




IOH. SLEIDANI
DE IV. SUMMIS
IMPERIIS
L.III
et
CONTINU-
ATIO
ad præsentem
annum usq.
ÆGID. STRAUCHII

JOHANNIS SLEIDANI DE QUATUOR SUMMIS IMPERIIS LIBRI TRES,

AB HENRICO MEIBOMIO

olim materiarum sedibus illustrati,

Nunc vero denuò revisi, multis in Loci emendati, & accuratâ Chronologiâ aucti.

Accessit

Continuatio ab initio CAROLI V. usqve ad Annum CHRISTI 1668.

Operâ & Studiô

ÆGIDII STRAUCHII, SS Theologiæ Doctoris, Collegii Theologici in Academia Witteberg. Assessoris & Histor. Prof. P.

Cum Indice gemino.

Cúm Privilegio Electorali Saxonico.

LIPSIÆ,


Imp. MART. GAB. HÜBNERI, Bibl. Dresd.

Typis WITTIGAVIANIS.

ANNO M DC LXXXVI.

Sleidanus, Ioannes

J. C. Nemeti 1693. ...



Per-Illustri, & Antiquissimæ Prosapiæ Celsitudine Generosissimo

DOMINO,

DN. HENRICO LIBERO BARONI A

Friesen / in Röthau / Schonfeldt / Püitzkau / Graupa & Jessen &c.

HÆREDITARIO DOMINO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO ELECT. SAXONIÆ A CONSILIIS INTIMIS EMINENTISSIMO &c. &c.

DOMINO PERQVAM GRATIOSO,

Salutem à Dnò. JESU & omnigenæ felicitatis Splendorem!



CIvilem pariter atqve Ecclesiasticam Prudentiam Exemplis doceri optimè,& res ipsa loqvitur & exacti utriusqve doctores consentiunt. Etsi enim præcepta, qveis virtutum continentur regulæ, brevitate suâ se commendent satis, non minus tamen difficilia sunt, qvam curta. Difficilia dico, qvod præscribi facilè, non observari æqvè, possint, cùm ad Prudentis obtinendum titulum haud sufficiat, scire qvenivis, temperantiæ esse studendum, fortem, si id exigat necessitas, benignum & liberalem, si id patiatur fortuna, ostendi debere animum, justum & pium regimen comitem habere

feli-

felicitatem, & id genus alia, ſed agere expedité, qvæ nos omnes putamus noſſe, proprium Prudentis opus eſt, qvi præter Ethicorum ac Politicorum maximas rei cujusvis circumſtantias æſtimat diſtrictè, atqve ſic demum ſuum promit judicium. Qvid verò ad hoc negotium hiſtoriis imbuiſſe animum conducat, ex eo manifeſtum eſt, qvod exempla experimenta doceant, & vatis ſuppleant vices. Nihil enim ſub ſole omninò novum evenit hodiè, qvin potius in rebus humanis ſecula ac perſonæ intereunt, cauſæ & eventa eadem recurrunt, illa qvi ignorat, etſi Ariſtotelis doctrinam ad unguem teneat, *ſemper puer* eſt, qvod de Græcis Ægyptius ille ſacerdos apud Platonem judicium fert, qvi novit, antevertit canæ ſenectæ magiſterium, dum *nunqvam puerum* ſe eſſe factis edocet. Intelle-

tellexit id probè FRIDERICUS SAPIENS, Gloriosæ memoriæ; qvare Epitomen Historiarum postulavit exarari sibi, in qva series omnium temporum & Monarchiarum extaret descripta, atqve ad eandem in gravissimis deliberationibus, tanqvam prudentiæ promtuarium, provocare solitus est. Neqve aliter JOHANNES GEORGIUS I. Beatissimæ recordationis, erat persvasus, qvando ante biennium ferè Historias in hoc Inclyto Lyceo profitendi munus mihi extra ordinem gratiosè commisit, ne scilicet Professoris ordinarii, *celeberrimi Franckenbergeri, Praeceptoris olim mei, nunc Collegæ & Fautoris optimi*, adversa valetudo, cum qva conflictabatur tunc temporis, remoraretur eos, qvi in Serenitatis Suæ Academia humanioribus incumbunt literis. Postqvam itaq; ante annum Chronologicum edi-

di Breviarium, à temporum doctrina Studium Historicum auspicatus ob id, qvod illa hujus alter sit oculus; exhibeo, in præsenti, rogatus ab Antiqvitatum Scrutatoribus qvibusdam, egregium de IV. Summis Imperiis Sleidani libellum, revisum denuò & continuatione ad nostra usq; tempora, adauctũ, qvo præstò sit index earũ rerum, qvas olim gestas esse, in vastis legimus Annalib,.

Cæterum qvod ILLUSTRI NOMINI TUO, DOMINE GRATIOSE, hosce à Scholastico pulvere concretos globulos offerre audeam, ad id Summâ Tuâ & decantatissimâ Benevolentia adductus sum, qvam uti aliis non denegasti hactenus, certissimus nempe illorum, qvi literis se abdunt, Patronus, ita ego qvoqve eandem mihi polliceor, simul ac, hoc usus Prodromo, reverenter imploro. DEUS TE SERVET DIUTISSIME


SIME INCOLUMEM ET FLORENTEM: Ita precatus Scrib. Wittebergæ Calend. Maji Anno Christi M DC LVIII.

PERILLUSTRIS GENEROSITATIS TUÆ

observantissimus

Devotissimusque

ÆGIDIUS STRAUCH,
SS. Theol. D. P. P.



REINERUS
REINECCIUS HENRICO MEIBOMIO, Poëtæ, & Philo-Historico CL. amico conjunctiss.

S. D.



As nobis, HEINRICE MEIBOMI, Sleidanum tuum, id est, egregio & exquisito, planeque auctore hoc digno cultu exornatum; Nimirum scriptum istud ex eorum numero statuere nos oportet, de quibus Poëta:

Victurus genium debet habere liber.

Nam quàm eleganti, concinno, rotundo orationis genere summa illa

Imperia, quas vulgò Monarchias dicimus, nobis repræsentat, & ita repræsentat, ut non solùm Ecclesiæ, verùm etiam cæterorum regnorum & rerumpublicarum historiam delibet, tum rei literariæ quasi proceres, bonore suo minimè defraudet. Videbatur tamen alicubi de Ciceronis, de aliis veterum & recentium scriptorum adductis testimoniis, imò de expositionibus ipsis aqva barere. Qvorsum enim indices, rei veritatem vel occulentes vel involventes? Hunc igitur laborem tuus levat labor, profectus non ab importunâ aliqvâ ambitione & ostentatione, sed communi omnium voto hactenus desideratus, atq; adeò ad auctorem rectius intelligendum planè necessarius. Qvia enim is tantùm qvædam Historiæ elementa subministrat, seu id agit, ut rivis degustatis, ad fontes expeditius penetretur, profectò hi aperiendi & commonstrandi erant, & qvidem ejusmodi

χειραγωγία, quæ non veluti per transennam aspiceretur, aut mæandris implicaretur, sed succincto & solido tramitè procederet. Occurrebant & alia, ubi non modò disciplinæ hujus tyrones, verum etiam profectu aliquo confirmati titubare possent. At quam ista in parte denuò industria tua amicam opem affert? Nec mehercle tanquam ad ἀπόδειξιν seu exemplorum prolationem hic aggredi libet. Sunt enim omnia in medio. Atq; ut argumento illi omnibus numeris satisfieret; verbosior quæpiam Schola instituenda fuerat. Quare in præsentia finem facio; estóq; ea contemplationis hujus ad te meæ summa: Cùm plurimū de elaboratione ista Sleidano debeatur, & liber ejus ad teneros auspicantium animos informandos plenè nat9 fact9 videatur, de illustrato eo, & propemodum in integrū restituto meritum tuum esse. Macte ergo id genus lucubrationibus, macte reliqua statione tua

 tuen-

tuenda, macte gratissimo mihi instituto, ut cum conatibus meis, qvibus semper animo & linguis favisti, labores tuos conjungere pergas. Sic enim & rem literariam nostram vehementer ornabis, & excultissima illa Poësi tua, qvæ sacra & cœlestis facultas nonnullis usurpatur, totqve ingenii monumentis partam jam ante nominis famam incredibili cumulo augebis. Vale: è musæo.


Judicium Thuani de Sleidano lib. 2. histor. sui temporis.

Joan. Sleid. cujus fidei & diligentiæ multum tribuo.

Libr. 2. & 7.

Sleidan. Argentinensium legatus, harum diligens scriptor.

ILLU-



ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, EBERHARDO, DUCI WIRTEMBERGICO ET TECKIO,

Comitiq; Mompelicardii,

JOHANNES SLEIDANUS

S. P. D.



Uum ordinis vestri maximum sit ornamentum, *Dux Eberharde*, literatura vel mediocris, *tum illa sanè quæ res gestas omnium ætatum in se complectitur, inprimis conditioni Vestræ convenit*: Et apud nos qvidem, qvi Christi no-

nomen profitemur, primum in eo genere locum sibi vendicant Biblica scripta, qvæ & originem tradunt humani generis, & DEI voluntatem ostendunt, & misericordiæ simul ac iræ divinæ plurima nobis documenta subministrant. Ab iis proximè cognosci debet, qvicqvid de reliqvis gentibus memoriæ proditum est. Nihil enim propemodum evenire potest, cujus nō extet, & jam olim aliqva proposita sit effigies; qva qvidem in re permagnum habent adjumentum atq; subsidium, qvi rempublicam gerunt, si partem hanc eruditionis non negligant. Commodissima autem est illa ratio, qvæ totum hujus mundi curriculum in *qvatuor imperia* partitur. Ad *primum* qvod attinet, destituimur libris necessariis, & præter Sacr. Scripturam ferè nihil habemus fide dignum, aut qvo niti possimus. Fuit haud dubiè seculum illud prorsus Heroicum, & rebus excellentibus ac memoratu dignis admodum illustre: Sed qvota pars eorum ad nos demanavit? Semiramis celebratur & Babylon & Sardanapalus, nec aliud ferè qvicqvam: Illud

lud autem horrendum, & qvo nullum fuit unqvam magis terrificum aut triste spectaculum editum in uno aliqvo homine, qvod ipse de se Nabuchodonosor commemorat, ut est apud Danielem, qvis attigit? Tantâ videlicet potentiâ regem & Monarcham efferari, dejici regno, profligari sedibus avitis, extrudi foràs, ab hominum societate removeri, mutatâ naturâ pasci cum cæteris animantibus, & in belluam prorsus degenerare? Simpliciter qvidem ista narrantur ibi: sed qvô terrore perculsos esse credimus, qvi divinæ majestatis & iræ documentum hoc tàm luctuosum viderunt? Paucis ergò percurritur *Assyrium* vel *Babylonicum Imperium*, qvod intra sacrarum literarum cancellos planè sit consistendum, reliqva verò *tria*, qvæ seqvuntur, *Græcum* inprimis atq; *Romanum* valdè sunt authorum scriptis illustrata, qvos inter præcipuum locum obtinent, *Græci* qvidem, *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon*, *Polybius*, nam alii, qvorum Cicero meminit, Pherecydes, Hellanicus, Acusilas, Philistus, Agathocles, Theopom-

pompus, Ephorus, Callisthenes, Timæus, Clitarchus, Silenus interierunt: *Latini* verò, qvi priscam scripserunt historiam Romanam, qvos & *Cicero* nominat, desiderantur etiam; Annales Pontificum, Fabius Pictor, M. Portius Cato, L. Piso, Cælius Antipater, C. Vannius, Vennonius, Clodius, Asellio, Accius, L. Sisenna. Nimirum hi sunt, è qvibus conflavit suum opus, maximâ sui parte mutilatus, *T. Livius*, & hoc superior, *Salustius*, imperfectus & ipse. *Cicero* qvidem scribendi genus hoc non tractavit, sed tamen in eo versatus est diligentissimè, sicut ipsius libri demonstrant, qvi passim tincti sunt atqve respersi totius antiqvitatis memoria: Sed & temporis fuit observantissimus, ita qvidem, ut & rerum & personarum ætates ordine possint ex eô cognosci. Nam alioqvi tenebricosum est, qvicqvid in litteras refertur. Et qvia dicere solebat, *historiam scribere, præsertim ut Græci, maximè esse oratorium*, idcircò Pomponius Atticus eum ad hanc scriptionem hortatur, dum & illam literis

Lati-

Latinis abesse qveritur, & ipsum efficere posse dicit, ut in hoc etiam genere Roma Græciæ non cedat. Et qvidem commentarium sui consulatus Græcè composuit, ac Latinum inchoavit, ut ait ipse. Nam valdè cupiebat illum suum annum celebrari scriptis aliorum: adeò qvidem, ut si cessarent illa, non se defuturum sibi, deqve seipso scripturum esse diceret. *C. Cæsar* de suis ipse rebus tantùm agit, nec à priscis illis qvicqvam est mutuatus. Tunc etiam fuit *Diodorus Siculus*, & aliqvanto pòst *Dionysius Halicarnassæus*: inde *Plutarchus*, *Suetonius*, *Cornelius Tacitus*, *Appianus*, *Herodianus*, *Trojus Pompejus*, *Ælianus*, *Q. Curtius*: verum ex ipsis etiam nonnulli, vel omninò, vel bona sui parte perierunt. Ab his extiterunt alii complures, qvi sui qvisqve temporis, aut etiam populi, prosecuti res gestas, ad hanc nostram usqve memoriam pertingunt. Et hi qvidem cognoscendi sunt omnes, aut certè bona pars eorum, ut ea, qvæ reqviritur, facultas comparetur. Cognoscendi sunt autem

tem alii propter ipsam rem, alii propter rem simul & stylum seu genus orationis: qvo qvidem in ordine primum locum solus propriè sibi jure vendicat inter Latinos, *C. Cæsar*. Nihil est enim eô purius, nihil elegantius: & non solùm paulò posteriores, verum etiam æqvales omnes venustate sermonis longè superavit. Præter eos, de qvibus dictum est, evolvendi etiam sunt *Ecclesiastici*, qvi vel conversionem religionis, vel afflictiones piorum, vel Conciliorum & antistitum leges atqve decreta perscribunt. Et qvia regnum Pontificium in sacris literis prænunciatur, investigandum etiam est ejus initium, progressus & incrementum, ut cum iis notis atqve signis, qvæ scriptura delineavit, conferri possit. Sed qvia varium est, & multiplex, & impeditum hoc totum qvod diximus argumentum, latissimeqve campus iste patet, neqve brevi aliqvo tempore percurri potest, methodô qvâdam studiis juvenilibus consulendum est, qvoad facti grandiores, per omne genus authorum, suo Marte, qvod ajunt, & libere vagari

gari possint. Et hac qvidem de causa scriptionem hanc suscepi, qvò videlicet ætas illa formam aliqvam habeat atqve notationem eorum, qvæ discenda sunt, qvam intereà veluti filum aliqvod seqvatur, dum sensim adolescat in literis, & eò proficiat, ut hæc abjicere possit atqve contemnere. Nec enim, ut his contenti sint, aut intra fines istos maneant, eò scripsi; verùm, ut gustum aliqvem percipiant futuræ lectionis, & varietate rerum invitati magis excitentur ad perlustrandum aliqvando scriptores illos atqve libros, unde sunt ista desumpta. *Cùm autem ad eos, qui regendis populis præficientur, hoc studii genus propriè pertineat*, ut initiò dictum est, ætati simul & conditioni tuæ convenienter me facturum putavi, *Dux Eberarde*, si tibi lucubratiunculam hanc meam impertirem: qvo per Te tuasqve manus, ut ita dicam, reliqva juventus fructum ejus aliqvem perciperet, si tamen ullus percipi potest. Qvanqvam enim in Te formando & erudiendo nihil ad summam diligentiam reliqvi faciunt

orna-

ornatissimi viri, doctores tui, *Johannes Sigismundus*, & *Sebastianus Coccius*, tamen ut in hortuli cultura, qvem exqvisitum variisqve flosculis depictum esse volumus, non solemus aspernari plantulas & herbas aliunde nobis allatas, ita qvoqve non ingratum futurum spero, qvod ad ingenii tui fundum excolendum à me defertur munusculum, & tantisper qvidem defertur, solummodò dum assumpto robore, sicut antea dictum est, ipse per apertos campos & loca virentia volitare possis & exspatiari: Qva qvidem in re domesticum Tibi prælucet exemplum Patris Tui, laudatissimi principis, virtus, qvi splendorem generis eleganti doctrina non mediocriter auxit & ornavit; & qvod præcipuum est, hanc ipsam facultatem ad eum finem confert, qvem oportet, nimirum ut nomen DEI celebretur, ut Ecclesiæ simul & Scholæ benè constituantur, ut piis doctoribus alimenta subministrentur, & discipulis etiam non desit, qvo vitam tolerent. Hoc enim officiũ inprimis ab ordine vestro Deus

reqvi-

reqvirit: & ficut illius neglectum gravibus pœnis ulciſcitur, ita qvoqve maximis donis remunerat illos, qvi ſeſe fideles in eo præbent diſpenſatores. Commemorari autem poſſent nominatim illuſtriſſimi parentis Tui multa pietatis, conſtantiæ, fortitudinis documenta: ſed hæc olim ſuo tempore copioſiùs tractata leges, ac propria nobilitatis ornamenta cognoſces. Nam qvi bonis ingeniis ita favet, qvomodo fieri poteſt, ut non ab iis, qvem meretur, fructum aliqvando ferat gratitudinis, & ad poſteritatem celebretur, Cùm igitur & ſui loci dignitatem, & injunctum à DEO, ſibi munus intelligat, primam hanc voluit eſſe curam, ut inde à teneris & mollibus annis ad pietatem atqve literas animus tuus informaretur: qvi ſenſus eſt atqve ſtimulus amoris paterni, nihil ei poſſit evenire jucundius, qvàm ſi induſtriâ tuâ ſuperari ſuam videat expectationem. Hanc autem in partem & tuâ Te ſponte propendere, qvantum hæc ætas ferre poteſt, & Præceptores qvoqve tuos diligenter invigilare, nihil addubito.

Qva-

Qvamobrem perge bonis auſpiciis, *Eberarde Princeps:* & cum ſis ad gerendam Rempublicam natus, ea præſidia tibi compares, qvæ & perpetua ſunt, & certam opem adferunt, & laborem, qvi tibi ſubeundus erit qvandoqve, gubernanti Provinciam avitam non modò ſublevant, ſed facilem qvoqve reddunt atqve ſuavem.

Vale. Argentorati, Anno ſalutis M D LVI.





JOHANNIS SLEIDANI,

De Qvatuor Summis Imperiis,

LIBER I.



Riusqvam de Qvatuor summis & præcipuis orbis terrarum Imperiis dicam, de BABYLONICO, PERSICO, GRÆCO, ROMANO, breviter hoc mihi præfandum est, in annorum supputatione ab orbe condito, magnam esse dissensionem: Nam & Hebræi & Eusebius & Augustinus & Alphonsus & Mirandula, multum inter se discordant. Veruntamen, qvia pleriq; nostri seculi viri docti, rationem Hebræorum, hac qvi-

dem in parte, seqvuntur, vestigiis eorum & ipse insistam, cùm res ita feret:

Annos ab orbe condito ad Christum natum numerant	*Hebræi*	*Talmudici* 3784.
		Rabbini recentes 3760.
		Josephus 4102.
	Græci	*Metheodorus* 5000.
		Eusebius 5190.
		Theophilus 5476.
	Latini	*Hieronymus* 3941.
		Augustinus 5351.
		Isidorus 5210.
		Beda 3952.
	Recentiores	*Alphonsus* 5984.
		Picus 3970.
		Alii 3962.

Vide Gilberti Genebrardi lib. 1. Chronograph.

Ac principio qvidem, ut ad institutum veniam, ad primum videlicet Imperium, omissis illis, qvæ in omnium primam ætatem inciderunt, omissa qvoqve narratione diluvii, qvandoqvidem sacris literis hæc omnia continentur, neqve melius dici possunt, *Genes.* 1, 2. 3, 4. 5. *&* 6. exordium mihi sumam ab eo tempore, qvo dissipatâ rursus aqvarum mole, & desiccatâ terrâ, genus humanum, tunc ad paucissimos redactum, denuò propagari cœpit.

Xeno-

Xenophon in Æqvivocis tradit, sex inundationes maximè celebratas recenseri. Tempus autem hujus diluvii in autumnum refert Josephus Antiqvit. lib. 1. c. 5. alii in tempus vernum collocant, qvòd credibilius sit, Moisen supputare menses eo more, qvem ipse Israëlitis tradiderat. Item, qvòd folium oleæ, ad Noham allatum à columba, vernum tempus monstret, quæ teste Plinio lib. 16. c. 25. tum floret.

Diluvii tempus ad annum ponitur orbis conditi, millesimum, sexcentesimum, qvinqvagesimum sextum. [*Ante Æ. V. 1294.*] Methusalah autem, septimus ab Adam, hoc ipso tempore moritur, annos natus nongentos sexaginta novem, *Gen. 5.* Erat tum Noah, Nepos Methusalah ex filio Lamech, sexcentorum annorum, *Gen. 7.* & singulari DEI beneficio, cum suâ familiâ, servatus, ubi jam paulatim augesceret hominum numerus, author suis liberis atqve posteris fuit, ut in diversas regiones profecti, terram colerent, & oppida sibi constituerent, suam deniqve cuiq; provinciam sorte illis designavit, anno circiter centesimo post diluvium. *Epiphanius in Panario hæresi 66. Sulpit. Severus lib. 1. &c.*

Qvo qvidem tempore, Nimrod, Nohæ pronepos, unà cum suis in terra Chaldæorum consedit. Cùmqve tandem crescente hominum multitudine, migrandum esset qvàm plurimis, & diversæ qværendæ sedes atqve coloniæ, voluerunt antea perpetuum sui monimentum relinqvere, & duce Nimrodo cœperunt urbem ædificare, in eaqve summæ turrim altitudinis, *Gen.* 10. *v.* 10. *Gen.* 11. *v.* 4. & immemores iræ divinæ, qvæ nuper totum orbem terrarum absorpserat, & de qva diligenter ac sæpè multumqve Noah illis haud dubiè concionatus erat, nominis sui famam superbis & ambitiosis operibus extendere cogitabant. *D. Hieronymus in* 14. *caput Esaiæ, turrim hanc vocat arcem, seu Capitolium, in urbe Babylone. Credibile autem est, historiam istam Poëtis occasionem dedisse, fingendi fabulam de Gigantibus, qvi congestis altissimis montibus, cœlum oppugnare conati sunt. Michael Glycas in ædificatione turris* 40. *annos consumtos scribit.*

Offensus autem DEUS, irritos fecit illorum conatus, lingvarum immissâ conturbatione, cùm priùs unum fuisset & idem

idem sermonis genus apud omnes. Itaqve ab opere inchoato coacti desistere, in varias mundi partes abierunt. *Josephus l. 1. cap. 5.*

Ab hac lingvarum conturbatione, nomen urbs accepit, ut Babel diceretur: ab eoqve tempore, nimirum ab anno post diluvium circiter CXXXI. regni Chaldæi sumitur initium, & Babylonici. *Jos. Antiqv. Jud. lib. I. cap. 5. Augustin. de civit. DEI lib. 16. c. 4. & 11. lib. 17. c. 16. Berosus lib. 4. Matth. Beroaldus libr. 3. Chronicorum c. 2. Babel, ait, unde est Babylonis profectum vocabulum, idem est, ac si dicatur Ba, id est, venit, & Bel, hoc est, confusio, id est, pro gloria, qvam homines DEI securi somniabant, & qværebant, retulerunt justo DEI judicio confusionem & ignominiam.*

Primus autem Rex fuit is, qvem diximus NIMROD, qvi LVI. annis præfuisse dicitur: hunc Scriptura vocat ROBUSTUM VENATOREM, & vim atqve potentiam ei tribuit, *Gen. 10. 1. Paral. 5. Mich. 5. Terra Babylonica terra Nimrod nominatur.*

Alii Saturnium vocant, eumqve Imperii sui anno XLV. misisse principes ajunt colo-

loniarum huc illuc, ASSUR, MEDUM, MAGOGUM, MOSCUM, qvi regna sui nominis conderent, Assyrium, Medum, Magogum, Moscum: è qvibus duo qvidem illa prorsus ad Asiam, tertium autem atqve postremum ad Asiam atqve Europam pertinent. *Berosus lib. 5. Xenophon in Æquivocis. Archilochus de temporibus. GOG & MAGOG non esse certas gentes, Augustinus lib. 20. cap. 11. de Civitate DEI, demonstrat. Adde, quæ habet Vives interpres. Suidas in voce Magog Persas à popularibus suis Magog & Maguseos appellari scribit.*

Ipsius Assur meminit etiam sacra Scriptura, *Gen.* 10. & Ninivem urbem ædificatam ab eo dicit. *Ninivem urbem Herodotus libro primo, in ripa Tigris conditam fuisse refert. Meminit & Lucianus, in Charonte. Hieronymus in locis Hebraicis, duas hujus nominis urbes facit: Unam Assyriorum, ab Assur ædificatam. Aliam in Arabiæ angulo, suo tempore corruptè Neneve vocatum.*

Nimrodo successit filius JUPITER BELUS, *Berosus lib. 5.* qvi ad occidentem Solem occupasse traditur omnem agrum in Sarmati-

matiam usqve Europæam, ac deinde bellum qvoqve fecisse Sagarum regi Sabbatio, qvem non ipse qvidem, eò qvod morte præpediretur, sed ipsius filius Ninus oppressit, & productis longè lateqve finibus, Monarchiam primus omnium cœpit. *Meminit Beli Archilochus, Orosius lib. 1. cap. 1. Marcellinus, lib. 23. Ninus memoratur à Strabone, Diodoro, Justino. Videatur Augustinus de Civit. Dei, lib. 16. c. 3. & 15. l. 18. c. 2.*

Trecentis qvinqvaginta post diluvium annis [*Ante Æ. V. 1944.*] Noah moritur, *Gen.* 9. & duodevigesimo pòst anno circiter, [*Ante Æ. V. 1927.*] ABRAHAM, decimus à Noah, jussus à DEO, patriam relinqvit, *Gen.* 12. cùm esset annorum septuaginta qvinqve: vigesimo qvarto autem anno posteà, fœdus cum illo facit DEUS, per circumcisionem, qvam instituit: *Gen.* 17. Centesimo ætatis anno [*Ante Æ. V.* 1902.] natus est ei filius ISAAC; *Gen.* 21. post illud tempus vixit annos septuaginta qvinqve, [*mortuus ante Æ. V.* 1827.] Nam humanæ vitæ spatium multò jam erat contractius.

 Qvo-

Qvomodo nepos ejus JACOB, qvaqve
:casione devenerit in Ægyptum, ibiqve
: mortuus, qvomodo deinde ipsius
osteritas aliqvot seculis in Ægypto
ermanserit, & durissima servitute pres-
, beneficio Dei, per Mosen admini-
rum, educta fuerit atqve liberata, sa-
æ literæ docent. *A Gen. c. 36. usqve ad*
x. 6. 14.

Ponitur autem hæc emigratio Israëlis ex
gypto, ad annum Orbis Conditi millesi-
ium, qvadringentesimum, qvinqvagesi-
ium qvartum, (*Ante Æ. V. 1497.*) nem-
e qvadringentis annis & triginta, post
romissionem Abrahamo datam, ut ait Pau-
s Apostolus, *Gal. 3.*

Post Mosen, JUDICES habuit populus
raëliticus, ad Saulem usqve, cui DAVID
ccessit, (*Ante Æ. V. 1060.*) Rex alter e-
s populi, 1. *lib. Paralip. Joseph. in Antiqvit.*
udaic.

Nunc ad BABYLONICUM IMPERIUM re-
ertamur. Nino mortuo, regnavit ejus
:or SEMIRAMIS, qvæ divitiis & victoriis
triumphis nulli mortalium cessit. Ba-
lonem oppidum extendit, & justæ ma-
iitudinis urbem effecit, & variis or-

navit

navit ædificiis, muroqve cinxit. *Berosus L.V. Propertius lib. 3. Elegia 9. Dionys. in descriptione orbis.*

Æthiopiam devicit, & in India qvoqve bellum gessit.

Archilochus, Diodorus Siculus l.3. Strabo, Justinus lib. 1. Augustinus de Civitate DEI lib.18. cap.2. Orosius lib. 1.c.4. Jornandes lib.1. Suidas in voce Semiramis.

Ejus filius ZAMEIS, qvintus Rex, nihil memorabile perfecit, sed proximus ab eo ARIUS, Bactrianos & Caspios imperio suo conjunxit. *Berosus lib. 5. Justinus 1. Diodorus 3. Metasthenes, Cassiodorus, Eusebius, Jornandes.*

Qvi successit huic ARALIUS, ingenio qvidem & studio militari clarus fuisse traditur, qvid autem gesserit, non est proditum literis. *Beros. l.5. Eusebius, Cassiodorus, Metasthenes, Augustinus lib.18. cap. 3. de Civitate Dei, Jornandes.*

Alter ab eo BALEUS, qvàm plurimas gentes domuit, suosqve fines ad Judæam usq; produxit, ideoqve Xerxes fuit cognominatus, hoc est, victor & triumphator, seu bellator. *Beros. lib. 5. Herodotus lic. 5.*

Eusebius, Cassiodorus, Metasthenes, Augustinus, Jornandes.

ARMATRITES nonus, voluptatibus & otio planè fuit addictus. *Cassiodorus Armametrem vocat. Augustinus lib. 18. cap. 3. Jornandes.*

De BELOCHO X. nihil traditur, nisi qvod auspicia curavit, & divinationes. *Metasthenes Priscum nominat. Augustinus lib. 18. c. 3. Jornandes.*

BALEUS undecimus, alteram à Semiramide laudem habet virtutis & industriæ militaris, & doctorum hominum scriptis valde celebratus fuisse dicitur. *Berosus, Metasthenes, Augustinus lib. 10. cap. 4. Cassiodorus, Jornandes.*

ALTADAS XII. otium & vitæ tranqvillitatem secutus fertur, eò qvòd stultum esse duceret, multis defatigari laboribus, & variis implicari curis, amplificandi regni causâ: qvoniam ea res ad nullam hominum salutem & utilitatem, sed ad detrimentum potiùs atqve servitutem pertineret. *Metasth. Cassiodorus, Jornandes.*

QVI hunc excepit, MAMITUS XIII. belli curam atqve laborem in suis iterum ex-

citavit,

citavit, ejusqve fuit suspecta potentia Syris & Ægyptiis. *Berosus lib. 5. Metasthenes, Augustinus l. 18. c. 7. Jornandes.*

In MANCALEO XIV. narrandi deficit argumentum. *Metasthenes. Cassiodoro dicitur Magephaleus. Jornandes.*

SPHÆRI XV. magna dicitur fuisse virtus atqve prudentia. *Metasthenes, Augustinus l. 18. c. 8. Jornandes.*

MAMELI XVI. nullum facinus commemoratur. *Metasthenes, Jornandes.*

Sub SPARETO XVII. proditum est, passim accidisse miranda. *Jornandes.*

Qvi fuit XVIII. ASCATADES, omnem Syriam suæ ditionis fecit. *Jornandes & alii.*

Et hactenus qvidem is, qvi circumfertur, BEROSUS: de qvo qvidem scripto pleriqve omnes valdè dubitant, & adulterinum esse putant: sed qvoniam aliis monumentis hac in parte destituimur, hunc ordinem seqvimur. *Beatus Rhenanus rerum Germanicarum lib. 3. Ludovicus Vives commentario in Augustinum de Civitate DEI, c. 4. lib. 7. Caspar Peucerus in Chronico, Gvilielmus Cambdenus in sua Britannia, aliiqve plurimi adulterinum censent*

Berosi scriptum. Videatur praterea Casparis Varreris censura de Beroso Romæ excusa.

Ab aliis deinde reges viginti numerantur ad SARDANAPALUM usqve, trigesimum octavum Assyriorum regem. *Megasthenes, Cassiodorus, Eusebius, Jornandes.*

Fuit hic omnium hominum longè effœminatissimus: inter mulierculas perpetuò desidens, colum & lanam tractabat, adeò totus immersus voluptatibus, ut vix unqvam sui conspectum præberet. His rebus alienati ab eo duo qvidam ejus præfecti, BELOCHUS, Babyloniæ, ARBACES autem Medorum, factâ conjuratione, cùm turpitudinem ejus atqve mollitiem vulgò traduxissent, bellum fecerunt. Ipse *cum* suo *semiviro comitatu* (*Virg. 4. Æn.*) vix tandem progressus in aciem, re malè gestâ, profugit in regiam, & constructâ pyrâ, se, divitiasqve omnes, in ignem abjecit, (*circa annum ante Æ. V. 875.*) hoc uno facto virum imitatus, ut qvidam ait de Sardanapalo. *Justinus lib. 1. Vellejus lib. 1. Athenæus lib. 12. cap. 12. Oros. lib. 1. cap. 19. Augustinus lib. 2. cap. 20. de Civitate Dei, Cicero 5. Tuscul. qvæst. Ovid. in Ibin.*

Ibin. Jornandes lib. 1. Suidas in voce Sardanapalus & κονοσκογκόλορ⊕. Constantinus Manasses in Annalibus de interitu Sardanapali variat.

Hi duo præfecti Monarchiam pòst inter se partiuntur, & Belochus qvidem Babylonis, Arbaces verò Medorum atqve Persarum rex factus est. *Arbaces hic Justino Arbactus dicitur lib. 1. Orosio lib. 2. cap. 2. Arbatus: Vellejo mendosè Pharnaces pro Arvaces.*

Fuit ergò Sardanapalus Assyriorum rex postremus, in eo qvidem ordine, qvum ad mille trecentos annos ea Monarchia stetisset: nam pleriqve reges omnes diutissime vixerunt. *Jornandes 1240. annos numerat.*

BELOCHUS XXXIX. aut si magis libet, primus Assyriorum Rex, in nova Monarchia, Manahen regem Israëlis vectigalem sibi fecit. *Metasthenes.* Hunc Scriptura sacra non Belochum, sed PHUL appellat. *2. Reg. 15. 1. Par. 5.*

Ei successit PHUL ASSUR, cognomento TIGLATH PILLESSER, qvi urbes aliqvot Judææ cepit, & populum in Assyrios capti-

captivum abduxit: *3.Par.2.* hunc ipsum Tiglath, Achas rex Juda, sub qvo vixit Esaias, de auxiliis interpellavit adversus regem Syriæ, eiqve dona misit. *Es.7. & 9. hoc fœdus vehementer dissvadetur.*

Tiglath regem secutus est SALMANASSER, qvi Samariam urbem, post trium annorum obsidionem, cepit, & Hoseam regem Israelis, unàqve populum abduxit, & per suam ditionem illis domicilium attribuit, etiam in Medis, ut ait Scriptura. [*Ante Æ. V.* 723.] Unde qvidam colligunt, ipsum imperasse qvoqve Medis. *Josephus lib.9.cap.13. seqq.*

Eum excepit SENNACHERIB, qvi Ninivem urbem inhabitavit: Ezechiam regem Judæ mulctavit pecuniis, ac deinde cum ingenti exercitu Hierosolymam obsedit, 2. *Reg.*18. & missis legatis, populum ad defectionem hortabatur, & regem, qvòd auxilium à suo DEO speraret, irridebat; Sed non tulit impunè: Nam percutiente angelo DEI, desideravit unâ nocte, ad centum octoginta qvinqve hominum millia, qvod Ezechiæ regi paulò anteà per Esaiam DEUS confirmaverat:

2. *Reg.*

2.Reg.19.2.Par.32.Sir.48.Es.37.1.Macc.7.2.Macc.8.&15.

Deinde domum reversus, à suis ipse liberis fuit interfectus. *Joseph.lib.10.Antiqvitatum Judaicarum, cap.1.& 2.*

Huc usqve Babylonii, post debellatum Sardanapalum, Assyriis paruerunt. Cùm autem Sennacherib tantam, ut diximus, calamitatem ad Hierosolymam accepisset, neqve multò pòst à suis filiis esset trucidatus, *Es.37.v.38.* magna fuit insecuta rerum mutatio, & divisum est regnum. Nam qvi eam cædem fecerant, duo fratres, Adramelech & Sarasar, profugerunt qvidem, sed nihilominus vim & arma pararunt in fratrem ASSARADONEM, qvi post necem parentis regnum occupaverat, cùm anteà qvoqve per absentiam illius Rempublicam gessisset, *2.Reg.19.Es.37.Metasthenes.*

Hanc adeptus occasionem rei benè gerendæ, MERODACH Babyloniæ præfectus descivit, & indicto bello, cùm vicinas undiqve gentes, partim gratiâ, partim vi, paulatim ad se traduceret, duodecimo demum anno sui regni, devicto Assaradone,

done; totum Assyriorum Imperium Babyloniis adjunxit, & XL. pòst annis regnavit. *2. Reg. 20. 2. Par. 32. Metasthenes, Esaias c. 39. & 50. Joseph.*

Ab hoc nonnulli ponunt BENMERODACH & NABUCHODONOSOR, ejus nominis primum. (*Metasthenes.*) Sed qvia literæ sacræ nihil ea de re produnt, nec aliis temerè potest adhiberi fides, eum Nabuchodonosor, de qvo Scriptura sacra plurimam mentionem facit, proximum à Merodach numerabimus. *2. Reg. 24. Jerem. 46. Joseph. lib. 10. cap. 7.* Is ergò statim à primis annis bellum fecit Ægyptiis, & regionem omnem, qvæ est inde ab Euphrate usqve ad Pelusium, illis ademit. *Pelusium nominatur à Suida clavis Ægypti, & ingressus & exitus.*

Jojachim regem Juda vectigalem sibi fecit, & octavo sui regni anno (*Ante Æ. V. 601.*) filium Jechoniam Regem, unà cum præcipuis viris & artificibus, non tantùm urbis Hierosolymæ, sed totius qvoqve regionis, Babylonem captivos abduxit. *2. Regum 24.*

Anno

Anno XVIII. sui regni, (*Ante Æ. V. 590.*) Hierosolymam obsessam per biennium, cepit, ac paulò pòst diripuit, incendit, muros diruit, potissimam populi partem captivam abduxit, regem Zedechiam exoculavit, filios illius atqve proceres interfecit. *2. Reg. 25. 2. Paralip. 16. Joseph. lib. 10. cap. 1.* Hanc verò calamitatem Hieremias anno primo regni Nabuchodonosor prædixerat: *Jerem. 25. & ult.* Et ab hoc qvidem tempore numerandi anni LXX captivitatis Babylonicæ.

Ad annum circiter XXIV. sui regni, Nabuchodonosor, devictis Ammonitarum & Moabitarum regibus, *Jer.* 4. exercitum duxit in Ægyptum, & occupatâ regione totâ, MONARCHIAM pòst inchoavit.

Altero anno Monarchiæ, sicut nostri temporis Viri docti rationem putant, (*Lutherus, Funccius & alii in Chronologiis,*) per somnium vidit statuam ingentem, cujus erat caput aureum, pectus unà cum brachiis argenteum, venter & femora ex ære, crura ferrea; pedum pars aliqva ferrea, pars autem fictilis. *Dan. 2. Joseph. Antiqv. Judaicar. lib. 10. cap. 11.* Expergefactus

factus, cùm non recordaretur somnii, & tamen valdè esset attonitus, convocatis ariolis & divinatoribus, mandat, ut, qvale fuisset somnium, explicarent, nisi facerent, capitis pœnam denunciat. Eâ re cognitâ, Daniel adolescens, qvi cum reliqvis fuerat captivus eò deductus Hierosolymâ, nunciabat, se posse regis desiderio satisfacere: productus, incipit, & primò qvidem, qvid somniarit, ostendit, deinde, qvid sibi vellet somnium, interpretatur: & statuam illam significare dicit qvatuor orbis imperia summa, qvæ sint ordine successura, & ad ipsum regem oratione conversa, *Tu*, inqvit, *quem & summâ potentiâ Deus ornavit atq; gloriâ, cui dedit imperium in omnes homines, & bestias agri, volucresqve cœli, tu nimirum es illius statuæ caput aureum, post te regnum aliud orietur argenteum, videlicet deteri-*

terius, quàm sit hoc tuum: deinde tertium aliud æreum, quod longè latèq; dominabitur: Regnum verò quartum erit ferreum. Nam sicut ferrum comminuit et perdomat omnia, sic etiam quartum & postremum illud reliqua omnia confringet, sibiq; subjiciet. *Doctrinam hanc de quatuor orbis terrarum catholicis Imperiis seu Monarchiis, post Rabbinos impugnavit Johannes Bodinus Gallus, in sua historica Methodo, cui præter alios responderunt Matthæus Dresserus, Andreas Franckenberger, & Johannes Pappus.*

Hoc igitur primum est inauditum anteà vaticinium, de qvatuor Imperiis, qvod nobis est per Danielem divinitus patefactum, res planè digna, qvæ memoriæ tota commendetur, qvia temporum omnium historiam, ad finem usqve mundi, paucis complectitur, ut posteà sum dicturus, *l.3. in fin.* Nunc satis est videre, hoc primum tempore Deum aperuisse nobis imperiorum ordinem ac vicissitudinē.

Qvan-

Qvanta verò fuerit potentia Nabuchodonosor, magis etiam perspicuum est ex eo loco Danielis, ubi Scriptura comparat eum Arbori, qvæ ad cœlum usqve pertingat, qvæ totum orbem terrarum velut obumbret, cujus folia sunt longè pulcherrima, & fructus omnium uberrimus, qvo saginetur & pingvescat, qvicqvid est animalium, cujus in frondibus atq; ramis omne genus volucrum nidificet & qviescat. *Daniel. 1.*

Est igitur hæc PRIMA MONARCHIA; qvæ sicut hoc rege vehementer aucta fuit, & ad summum educta fastigium, ita qvoqve desiit, ac planè deleta fuit in ipsius *nepotibus*, qvemadmodum per Danielem DEUS, aliosqve Prophetas, denunciaverat. Regnavit Nabuchodonosor annis XLIII. *Josephus contra Appionem lib. 1. & Antiqvit. Jud. lib. 10. cap. 12. Metasthenes 45. ei assignat, assumto biennio, qvo patris in imperio consors fuit.*

Qvàm horrendo spectaculo DEUS & exemplo superbiam ejus, ut Daniel ait *cap. 4. & 5. Joseph. Antiqvit. lib. 10. cap. 16.* sit ultus, operæ pretium est, ut cùm omnes mor-

mortales, tum reges imprimis ac viri principes diligenter legant & conſiderent, qvò videlicet majeſtatem divinam revereantur, & officium ſuum erga populum ſibi commiſſum faciant.

Succeſſit ei filius EVILMERODACH. *2. Regum 25. Jer. ult.* Is regnavit annis triginta, & ſucceſſorem habuit ASSUR, qvi tribus annis præfuit. Hunc excepit LABASSARDACH, ſeptem annorum rex. Ab hoc imperii ſummam obtinuit BALTHASAR annis qvinqve; *Metaſthenes & poſt eum autor hiſtoriæ Scholaſticæ Petrus Comeſtor. Vide Joſeph. Antiqvitatum Judaicarum lib. 10. c. 13. & lib. 1. contra Appionem.*

Ad hunc modum eos nonnulli recenſent; verùm ætatis noſtræ viri docti, *Philippus & alii*, his duobus omiſſis, ab Evilmerodach rege numerant Balthaſarem filium, eumqve per annos qvatuordecim regnaſſe ferunt: qvod qvidem neceſſe eſt, ut conficiantur anni ſeptuaginta, qvibus apud Babylonios captivus fuit populus Judaicus: cùm hujus captivitatis initium ſumatur ab anno decimo nono regni Nabuchodonoſor.

Qvi

Qvi rationem hánc seqvuntur, & duos illos reges, de qvibus dixi, prætermittunt, Scripturæ vestigiis insistunt, & Hieremiæ præsertim testimonio, *Jerem.* 15. *&* 17. qvi futurum prædixit, ut Judæi servirent regi Babel, ejusqve filio, filiiqve filio. Sed hic liberum sit suum cuiqve judicium. Balthasar autem, ut ait Scriptura, *Dan.* 5. postremus fuit Babyloniorum rex, in eoqve pariter omnes consentiunt. (*Joseph. Antiqvit. lib.* 10. *cap.* 33.)

Jam qvomodo capta sit Babylon, non ab uno describitur: (*Xenophon lib.* 7. *παιδ.*) qvomodo autem imminentem regi calamitatem, & jam præsentem DEUS illi denunciaverit, Daniel commemorat, *Dan.* 5. & interfecto rege, summam Imperii translatam esse dicit ad DARIUM MEDUM, tum LXII. natum annos. *Joseph. Antiqvitat. lib.* 10. *cap.* 13.

Hic Darius à scriptoribus, (*Herodoto lib.* 1. *Xenophont. lib.* 5. *&* 8. *παιδ.*) vocatur CYAXARES, fuitqve filius Astyagis, qvem Daniel AHASVERUM vocat, octavi Medorum Regis, & cùm sobolem masculam non haberet, filiam suam in matrimoni-

nium dedit Cyro Persæ, Sororis filio, & bello lacessitus à Rege Assyriorum, in auxilium accersivit Cyrum, *Herodot. lib. 1.* qvi profectus eò cum copiis, & factus Imperator totius exercitus, feliciter rem administravit, urbe captâ potentissimâ. Post hanc victoriam non amplius anno Darius vixisse traditur, *Dan. 9.*

Et hoc qvidem tempore, qvum captâ Babylone, Darius adhuc viveret, jamqve per annos ferè septuaginta populus Israëliticus esset in Babylone captivus, Danieli, revolventi Hieremiam, (*Jerem. 25. & 29. Dan. 9.*) ejus captivitatis prænuncium, & precanti, Deus multò majora patefacit, & non solum instare liberationem confirmat, sed qvo tempore sit etiam venturus Messias, qvi pro peccatis hominum satisfaciat, ostendit.

A morte Darii summa rerum ad Cyrum generum delata fuit, & hoc qvidem est Alterius Initium Monarchiæ. Jam enim & Assyriam & Mediam & Persiam solus Cyrus obtinebat ad Jonium usqve mare, sicut Thucydides ait, cùm ante captam Babylonem prælio cepisset Crœsum, Lydiæ regem potentissimum.

Hero-

Herodotus lib. 1. Justinus lib. 1. Orosius lib. 2. c. 6. Suidas in voce Crœsus.

Est ergò CYRUS Persarum Rex primus & autor SECUNDÆ MONARCHIÆ.

Devictis Babyloniis, bellum gessit cum Scythis, eoqve profectus ipse cum exercitu, circumventus tandem fuit per insidias, & interfectus, princeps laudatissimus. *Justinus lib. 1. Valerius Maximus lib. 9. cap. 8. Oros. lib. 2. cap. 7. Frontinus Stratagem. lib. 1. cap. 5.*

Initio sui regni, post captam Babylonem, populo Judaico permisit, ut ex captivitate domum reversi, templum ac urbem Hierosolymam reædificarent, ad eamqve rem sumptum liberalissimè subministrari jussit. *2. Par. 36. l. 1. Esdræ c. 1. l. 3. Esdræ c. 2. Joseph. Antiq. l. 11. c. 1.*

Hoc Deus per Esaiam, *cap. 44. & 45.* seculis aliqvot ante, qvàm nasceretur ille, prænunciaverat nominatim.

De animorum immortalitate disserentem ad filios ante mortem, Xenophon (*lib. 8.*) introducit, ut est apud Ciceronem, (*Cicero in Catone Majore*) qvi locum illum eleganter, ut omnia, vertit. Ad septua-

ſeptuageſimum annum Cyrus pervenit: regnavit annis triginta, qvum XL. natus regnare cœpiſſet.

Filius ei fuit CAMBYSES, qvem domo proficiſcens in bellum Scythicum, regno præfecerat. *Herodot. lib. 3. Juſtinus l.* 1. Is, abſente & occupatô patre, cepit Ægyptum: bello qvidem egregius, ſed alioqvi vitioſus, & patris virtutem minimè repræſentans. Inter alia turpiter immaniterq; facta, fratrem qvoqve ſuum inſidioſè necari juſſit.

In iis libris, qvos de legibus Plato conſcripſit, *Lib. 3.* valdè Cyrum in eo peccaſſe dicit, qvòd molliter filios inter fœminas educaſſet, qvi grandiores facti, & ab aſſentatoribus corrupti, qvum ipſorum auribus pleriqve ſervirent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri crearint.

Cambyſi ſecundo Perſarum regi, qvi poſt mortem patris non diu ſuperſtes fuit, DARIUS ſucceſſit, filius Hyſtaſpis. (*Herodotus libr. 3.*) Et qvoniam, à morte Cyri, ac poſt tantam exercitus calamitatem nonnulli populi, & in his Babylonii,

nii, â Persico Regnô defecerant, statim ab initio principatus arma sumpsit, & imperio suo rursus illos adjunxit, captâ qvoqve Babylone post longam obsidionem, operâ Zopyri. *Herodotus lib. 3. Justinus lib. 1. Plutarchus in Apoph. Suidas in voce Zopyrus.*

Bellum deinde suscepit in Athenienses, (*Herodot. 6. Plato in Menexeno. Plutarchus in Arist.*) qvi subitò collectis copiis, neqve Lacedæmoniorum expectatis auxiliis, ad decem millia hominum, ingentem illius exercitum, (*ad sexcenta millia fuerunt, Justin. lib. 2.*) ad Marathonem, duce Miltiade, fuderunt. [*Ante Æ. V. 491.*] *Plutarchus, pugnam Marathoniam ferè in trecentis historiis descriptam esse, affirmat.*

Cogitabat redintegrare bellum Darius: verùm in ipso conatu mortuus, filium habuit successorem XERXEM, qvi decimo anno, qvemadmodum Thucydides ait, post prælium illud ad Marathonem, (*Ante Æ. V. 480.*) innumerabili cum exercitu venit, ut Græciam omnem sibi subjugaret, *Justin. lib.*

Itaqv

Itaqve rei gerendæ summa, de communi consensu fuit demandata Lacedæmoniis; (*id est, Spartanis, duce Leonida,*) qvod ii totius Græciæ plurimum tunc poterant: Athenienses verò, secuti consilium Themistoclis, (*Justin. lib. 2.*) urbe desertâ, suis liberis & uxoribus huc illuc depositis, naves conscendunt, & hostem ad Salaminem insulam prælio vincunt. *Herodotus lib. 8. Diodorus lib. 11. Orosius lib. 2. cap. 10. Plutarchus in Themistocle, Cornelius Nepos in vita excell. Imper. Gell. lib. 17. cap. 21.*

Ea victoria toti Græciæ fuit salutaris: nam terrâ (*ad Plateas, ducibus* Pausania *& Aristide,*) qvoqve profligatus, turpi & infelici fugâ domum Xerxes revertit, & Græci qvidem etiam, post discessum illius. Verùm Athenienses, qvi classem haberent, ad qvadringentas (200. *naves fabricasse refert Justin. lib. 2.*) circiter naves, profecti longius & insecuti, Sestum oppidum in Hellesponto, qvod Persæ tenebant, capiunt (*duce Xantippo, Herodotus in fin. lib. ult.*) & ibi peracta hyeme reversi domum, suas uxores atqve

liberos recolligunt, & urbis, qvam hostis captam incenderat, mœnia restaurant. *Themistoclis consilio, Thucyd. initio Lib. 1.* portumqve muniunt. Bellum hoc Persarum, vel, ut Thucydides vocat, Medorum, eodem ferè tempore fuisse scribit Cicero *in Bruto & Lælio*, qvo bellum Volscorum, cui Coriolanus exul Romanus interfuit. Id autem incidit in annum urbis conditæ CCLXVI. [*Ante Æ. V. 487.*] *Plutarch. in Coriolano. Dionys. lib. 8. Plinius de Viris Illustr.*

Persicum illud bellum descripsit Herodotus *Lib. 7. 8. & 9.* Thucydide prior. Eum Cicero *lib. 1. de legib.* vocat patrem historiæ, sed innumerabiles apud eum fabulas esse dicit.

Extat liber Plutarchi περὶ κακοηθείας Ἡροδότου; sed huic responderunt Henricus Stephanus & Joachimus Camerarius VV. CL. Videatur Andreas Alciatus præfatione in Tacitum, & Ludovicus Vives lib. 2. de causis corruptarum artium.

Munitionem hanc Atheniensium indignè qvidem ferebant Lacedæmonii; sed qvum aliud non possent, mussabant.

Con-

Conjunctis etiam viribus, tum ipsi, tum aliqvi Græci, & Athenienses, Cyprum capiunt & Byzantium urbem, qvam Persæ tenebant. *Thucydid. libr. 1. Orosius, Justinus lib. 9.*

Erant tunc inter alios Lacedæmoniorum duces, PAUSANIAS, qvi convictus proditionis, cùm domum rediisset, & obsessus in qvodam asylo, fame fuit enecatus. THEMISTOCLES etiam accusatus hoc nomine, profugit. *Cornel. Nepos in vit. excell. Imperat.*

Multis deinde variisqve bellis & dissidiis jactata Græcia fuit, partim externis, partim civilibus, qvæ Thucydides obiter exponit; sed tandem, qvinqvagesimo nimirum anno, post Xerxis è Græcia discessum, ut post Thucydidem ait Cicero, *Lib. 1.* bellum illud ingens natum est, [*Ante Æ. V. 431.*] qvando Peloponnesus tota conjuravit in Athenienses, qvorum in eo bello Dux erat Anaxagoræ Philosophi discipulus, PERICLES, *Justin. lib. 3.* qvem dicendo fulgurare, tonare, permiscere Græciam, ait Aristophanes, (*in Acharnensibus,*

actus 2, ſcena 5.) Nam iidem erant olim & virtutis & eloqventiæ magiſtri. *Repetit hoc ex Ariſtophane Cicero in Oratore. Habet eundem locum Plinius lib. 1. Epiſtola 20. ad Cornel. Tacitum.*

Ex altera parte ſummæ rei præfectus fuit ARCHIDAMUS, rex Lacedæmoniorum.

Periclis erat æqvalis & æmulus THUCYDIDES, qvi & bellum illud deſcripſit. *Thucydides Hiſtoricus non idem eſt cum hoc Periclis æmulo, ut Xylander vir judicii & doctrinæ laude excellentiſſ. in Plutarchi Periclem annotat.*

In prætura collegam Pericles habuit Sophoclem, Poetam Tragicum, ut Cicero narrat 1. *Off.*

Nunc ad Xerxem revertamur. Is, re malè geſtâ, cum in magnum contemptum veniſſet, à ſuis eſt interfectus, *Diod. lib. 2. Juſtinus lib. 3. Oroſius lib. 2. cap. 11.*

Ei ſucceſſit filius ARTAXERXES LONGIMANUS. Ad hunc Themiſtocles exul, de qvo paulò ante diximus, profugit, ibiqve vitam finiit, ſepultus Magneſiæ. *Plutarchus in Themiſtocle, Cornelius Nepos in vitis Imperatorum excellent. Cicero*

Floruerunt huius Artaxerxis Longimani in tempore, Herodotus, Pericles, Hippocrates

in *Bruto & Lælio. Valerius Maximus autem lib. 5. c. 3. & lib. 8. cap. 18. Themistoclem ad Xerxem fugisse scribit.*

A Longimano regnavit DARIUS NOTHUS, { *Ante. Æ. V. 423.* } qvi sororem illius habebat in matrimonio. *Darius Nothus, Artaxerxis Longimani filiam Parysatida sororem suam habuit in matrimonio, & regnarunt ante eum Longimani filii legitimi, teste Plutarcho.*

In hujus regnum incidit illud, qvod diximus, bellum Peloponnesiacum. *Belli Peloponnesiaci tempus Plinius lib. 30. cap. 1. refert ad Olymp. octogesima primæ annum qvartum. Aulus Gellius verò lib. 17. cap. 21. ad primum Olymp. 89. refert, Diodorus Siculus collocat id bellum in annum urbis conditæ 323. id est, in Olympiad. 87 annum tertium.* Durat. ann. 27.

Et Athenienses qvidem licet satis impediti essent, tamen ejus belli anno qvartô, sicut Thucydides ait libro 3. classem in Siciliam, (*Sicilia olim Trinacria dicta. Just. lib. 4. & Sicania*) miserunt, verbo qvidem, ut Leontinis adessent contra Syracusanos, revera autem, ut

ut insulam illam suæ ditionis efficerent, qvò sic possent commodius perdomare Græciam, cumqve subinde reverterentur & factiones alerent, Hermocrates Syracusanus author fuit Siculis, ut omni deposita simultate, pacificarent: nam Athenienses ipsorum omnium libertati tendere insidias. Itaqve persvasit, qvod fuit ejus belli anno septimo.

Tribus post annis, pacem Athenienses & Peloponnesiaci faciunt in annos qvinqvaginta, sed non totum septennium ea pactio duravit. Tunc enim hostiliter multa fieri cœperunt; & licet non planè sublata pax esset, ac subinde per inducias resarcirentur offensiones: tamen anno decimo septimo rursus ad arma ventum est totis viribus, duravitqve bellum hoc alterum annis decem. Tunc Athenienses denuò classem ornatissimam in Siciliam mittunt. *Thucyd. lib. 6.* Primi duces erant inter alios, Alcibiades & Nicias (*Lamachum addit Justin. lib. 4.*). Et hic qvidem concionibus aliqvot habitis, navigationem valdè dissvasit: Alcibiades verò contrà *Diodor. Sic. lib. 13.* Siculis opem

opem ferebant Peloponnesiaci, tandem in portu Syracusano Athenienses cum hoste confligunt, sed post ancipitem ac subinde variantē fortunam profligati fuerunt omnes atqve concisi. (*& terrestri & navali prælio victi. Just. lib. 4.*) Interea Lacedæmonii sociiqve Darium Regem Persarum in Athenienses fœdere sibi conjungunt. Darii legatus erat Thissaphernes. *Thucyd. lib. 8.*

Cæterùm post Codrum, (*meminit jurgiorum Codri Virg. eclog. 5. de morte Codri vid. Justin. l. 2.*) Polydorum Spartanum & Aristomenem Messenium, hi ferè numerantur præcipui, maximeqve clari Græcorum Duces, qvorum alii de totâ Græciâ, alii de suâ qvisqꝫ patriâ benè meriti sunt: MILTIADES, (*cæsus est ad Thermopylas,*) LEONIDAS, THEMISTOCLES, PERICLES, ARISTIDES, PAUSANIAS, XANTIPPUS, (*hoc duce Athenienses navigarunt in Hellespontum. Herod.*) LEOTYCHIDES, (*Dux Spartanus, judicatus fuit filius Alcibiadis, qvem genuerit, dum Spartæ fuisset exul.*) CIMON (*filius fuit Miltiadis.*) CONON, (*Athe-*

thenienſis dux, qui vicit Lacedæmonios ad Cnidum, & muros Athenienſes rurſus extruxit ſuis ſumptibus.) EPAMINONDAS, (*Athenienſium virtus cum Epaminonda interiit, Juſtin. lib. 6. occubuit autem ad Mantineam, fuit Thebanus dux,*) LEOSTENES, (*dux Atticus,*) ARATUS Sicyonius. (*Philippus* Perſei *pater, ipſum necavit. Fuit dux Achæorum,*) PHILOPŒMEN, (*hic bellum geſſit cum regibus Syriæ, & fuit dux Achæorum* (ex iis pleriqve fuerunt juſſi tandem exulare. *De his Græciæ luminibus videantur paſſim Xenophontis, Thucydidis,* P*auſaniæ, Plutarchi aliorumq́ hiſtoriæ, imprimis verò liber Cornelii Nepotis, ſive Æmilii* P*robi, de vitâ excellentium Imperat.*

Portum Syracuſanum Cicero *in Verrem lib. 5.* deſcribit in eumqve ſolam Athenienſium claſſem, poſt hominum memoriam invaſiſſe trecentis navibus, victam autem atqve ſuperatam in eo ipſo portu, loci ipſius portusqve naturâ, & tunc primum opes ipſius civitatis victas, comminutas atqve depreſſas, & nobilitatis, imperii, gloriæ, naufragium fuiſſe factum dicit. *Meminit Q. Fab. Maximus*

Tempore Artaxerxis Ochi [illegible] Dianae Ephesinae ab Herostrato igne deleta, et floruere Demosthenes, et Aristoteles, et Diogenes Cynicus.

mus in Oratione, quæ apud Livium extat, Lib. 28.

Siciliam, in circuitu patere, qvantum navis magna possit obire intra dies octo, & à continenti distare Thucydides ait *l. 6.* circiter viginti stadiis.

Dario filii erant duo, ARTAXERXES MNEMON & Cyrus: qvorum ille mortuo Parenti successit, [*Ante Ær. Vulg. 404.*] Cyrus autem Joniam, Lydiamqve tenebat: sed sorte sua non contentus, fratri regi bellum fecit, in eoqve victus fuit & occisus. *Xenoph. l. 2. ἀναβ. Diod. l. 14. Plutarch. in Artaxerxe, Orosius l. 2.*

Cyrum hunc minorem M. Portius Cato, regem Persarum, & ut est apud Ciceronem, præstantem ingenio virum, atqve imperii gloriam vocat: Laudat etiam ex Xenophonte, propter studium agriculturæ: nam ei Xenophon & militavit & fuit familiaris, ideoqve post ab Atheniensibus, qvi Mnemonem habebant amicum, pulsus fuit in exilium. *Xenoph. lib. 3. ἀναβ.*

A Mnemone regnavit OCHUS ex tribus natu minimus filius. [*Ante Æ. Vulg. 358.*]

Tempore Artaxerxis B 6 Mnemonis Hunc Socrates vixit, Plato et Xenophon, Musa Attica dictus.

Hunc excepit DARIUS POSTREMUS. [*Ante Ær. Vulg.* 335.] Ei bellum fecit ALEXANDER, Philippi Macedonum regis filius, qvi Thebis eversis, & pacatâ Græciâ, in Asiam contendit, & tribus præliis Darium superavit, captâ illius & matre & uxore, & filiabus. *Justin. lib.* 11. *Oros. l.* 3. *c.* 16.

Ingentes qvidem conditiones, & regni partem ad Euphratem usqve Darius ei deferebat, (*Diodor. lib.* 17. *Curtius lib.* 5.) sed ille respuit, neqꝫ destitit ante, qvàm illum expugnasset. Cùm enim pacem obtinere Darius his conditionibus non posset, (*Strabo lib.* 26.) tertium bellum instaurat, & educto validissimo exercitu, rursus profligatur, inqve fugâ trucidatur à suis, (*à Besso.*) cum eoqve Persicum imperium, qvod annis steterat ducentis & amplius, deletum fuit. *De Alexandro Magno ejusqꝫ rebus toto imperii tempore gestis, videatur Plutarchus in ejus vita. Diodorus Siculus lib.* 16. *Q. Curtius, Arrianus, Justinus, Johannes Monachus & Omnibus his recentior Gualterus Poëta in Alexandreide.*

His

His tantis victoriis in suam ditionem produxit ALEXANDER qvicqvid est ferè terrarum ad orientem solem., & in Europam ex Asia transportavit imperii summam, & [*Ante Ær. Vulg. 331.*] TERTIAM constituit MONARCHIAM: *Diodorus lib. 17. Arrianus lib. 3. Curtius lib. 8. Justinus lib. 12.* Pòst etiam in India belligeravit: (*anno sui imperii nono,*) sed qvæ hominum est infirmitas, tantam fortunæ benignitatem & indulgentiam moderatè ferre non potuit, & cum insolenter multa faceret, seqve pro numine vellet propemodum adorari, Babylonem ubi venisset, febri, vel ut nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus. [*Ante Ær. Vulg. 323.*] *Cicero Philipp.* cum annorum esset triginta trium, & annos regnasset duodecim. *Videatur Plutarchus in Alexandre, Diodorus Siculus lib. 16. Arrianus lib. 7. Curtius lib. 10. Justinus lib. 12. Oros. lib. 3. cap. 10. Zosimus lib. 1. Meminit lib. 1. Maccab. cap. 1.*

Vitæ finem ei prædixerat Calanus Indus, ut ait Cicero, *Lib. 1. de Divin.* qvum enim conscenderet in rogum ardentem,

ι Alexander eum rogaret, si qvid vellet, ιt diceret: *optimè*, inqvit, *propediem e videbo*. Paucis post diebus mortem ιbiit Alexander. *Justinus lib. 12. veneno extinctum dicit ætatis anno 33. postquam regnasset 12. ann. & 6. menses. Plutarchus in Alexandro nonnihil variat. Meminit Arrianus lib. 7. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8.*

Interitus ejus ad centesimam decimam qvartam ponitur Olympiadem, urbis autem Romanæ conditæ anno qvadringentesimo nono, trecentis nimirum & viginti duobus annis ante natum CHRISTUM. *Funccius & Chytræus obitum Alexandr. M. ponunt ad annum V. C. 428. Bucholcerus & Beroaldus ad annum 429. Censeo igitur in Sleidano esse mendum, & scribendum anno quadringentesimo vigesimo nono: Videtur idem cum Livio congruere lib. 9. de Papirio Dictatore.*

Bonarum artium imprimis amans, & in homines doctos fuit liberalissimus, eoqve nomine multorum celebratur monumen-

numentis. Homeri Poëma sibi familiarissimum habebat, & qvanqvam scriptores multos rerum suarum secum habuisse dicitur, (*Plin. lib. 7. cap. 9. Dio Chrysost. de regno lib. 2.*) tamen qvum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset, *ô fortunate*, inqvit, *adolescens, qvi tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! Cicero pro Archia. Fl. Vopiscus in vita Probi Imp. Symmachus lib. 9. Epist. 67.*

Etenim sicut ab Apelle potissimum pingi & à Lysippo fingi, sic etiam ab iis tantùm celebrari volebat, & posteritatis memoriæ commendari, qvi in ipso laudando propriam ingenii gloriam conseqvi possent. *Cic. ad Lucerium lib. 5. Epist. 12. Plutarchus in Alexandro & de fortuna Alexandri. Plin. lib. 5. cap. 37. & lib. 3. cap. 10. Horat. lib. 2. Epist. 1. Apulejus lib. 1. Floridorum.*

ARISTOTELI præceptori negotium dedit animalium describendi naturas, *Plin. lib. 8. cap. 15.* ad eamqve rem aliqvot hominum millia per Græciam Asiamqve con-

constituit, pecuarios, venatores, piscatores, cetarios, aucupes & id genus alios, qvi de singulis illum edocerent: ipsi verò scriptori præmium laboris dedisse traditur (*Athenæus lib. 9. & 12.*) octingenta talenta, hoc est, ut qvidam ætatis nostræ viri docti rationem ineunt, coronatorum aureorum millia qvadringenta octoginta. *Budæus de asse, lib. 2. Philippus Melanchthon in oratione de vita Aristotelis. Matthæus Hostus lib. 3. rei nummariæ.*

XENOCRATI Philosopho (*Cicero Tusc. 5*) qvinqvaginta per legatos talenta misit, aureorum videlicet millia triginta, sed illo recusante: qvòd tantâ pecuniâ non sibi diceret opus esse, legatis reversis, qvid, inqvit, nullos ne habet ille amicos, qvibus benefaciat? *Plutarchus in Alexandro, Diogenes Laertius de vitis Philos. lib. 4. Valerius Maximus lib. 4. cap. 3.*

Primis annis, qvum Aristotelis esset discipulus, summo ingenio, summâqve modestiâ præditum, posteà verò qvàm rex appellatus est, superbum, crudelem, im-

immoderatum fuisse, ait Cicero. *Meminit Livius lib. 9. Solinus cap. 12. Cic. 3. Tusc. & lib. 13. ad Atticum. Epist. 28.*

De splendore, delitiis & luxu Darii mira narrant scriptores. Nam omnis generis coqvos, cupedinarios, sartores, artifices, magistrosqve gulæ & unguentarios habebat in castris, ne qvid ad corporis voluptatem omninò deesset.

Qvantus etiam fuerit alioqvi regum Persarum splendor & apparatus in qvotidianis epulis, non ab uno memoriæ proditum est. *Athen. lib. 12. cap. 2. lib. 4. cap. 5.*

Solebant, ut ait Cicero, *(Verrin. 5.)* plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere, ut hæc mulieri redimiculum præberet, illa hunc, vel illum ornatum. *Meminit ejusdem moris Xenophon in ἀναβάσει, & Plato in Alcibiade priore.*

Talem igitur, ut dixi, vitæ finem habuit Darius, & in fugâ cum aqvam turbidam bibisset, & cadaveribus inqvinatam, negabat unqvam se bibisse jucundius: nec enim sitiens unqvam biberat. *Cic. 5. Tusc. Quest.*

Amor-

A morte Alexandri, divisa fuit imperii moles in proceres, *Oros. lib. 3. cap. 23. Justinus lib. 13.* Ptolomæum, Laomedontem, Antigonum, Cassandrum, Leonatum, Eumenem, Pythonem, Lysimachum, Antipatrum, Meleagrum, Seleucum: in his autem præcipui fuerunt SELEUCUS Syriæ, PTOLOMÆUS Ægypti, ANTIGONUS Asiæ minoris, CASSANDER Macedonum Græciæqꝫ rex deinde factus, oppressis omnibus Alexandri propinqvis. *Pausan. lib. 9. Oros. lib. 3. cap. 23. Diod. lib. 20. Justinus lib. 14.*

Lysimachus, ille est, qvem Alexander iratus aliqvando concluserat cum leone: Cum autem interfectam ab eo belluam audisset, magno habuit in honore. *Curtius lib. 8. fabulosum hoc putat. Justinus lib. 15. Plin. lib. 8. cap. 15. Valerius lib. 9. c. 3. Plutarchus in Alexandro.*

Cæterum inter eos, quos dixi modò, successores, eorumqve filios atqve nepotes, gravissima bella fuerunt, ut fieri solet, dum ambitione depravatus animus qviescere non potest, & alienâ cum injuriâ suam potentiam augere studet:

Et

Et his qvidem bellis, qvoniam diuturna fuerunt, vehementer afflictæ regiones illæ omnes, in populi Romani ditionem paulatim venerunt, qvi longè lateqve rerum potitus, QVARTAM & postremam effecit Monarchiam, de qvâ nobis jam dicendum est. *Julius Solinus cap. 14. Post Alexandrum qui fuére, magis ad segetem Romanæ gloriæ, qvàm ad hæreditatem tanti nominis ortos invenimus. Herodot. lib. 1. Qui Alexandro successerunt, ita contumeliosè, violenterq; dominati sunt, ut illius imperio grave dedecus conciliarint.*

Caterùm inter Ægypti reges, Alexandri successores, numeratus PTOLOMÆUS PHILADELPHUS, admodùm laudatus Princeps. Nam & pacem coluit, qvantum in ipso fuit, & artes liberales excitavit, constitutis præmiis, & Bibliothecam effecit luculentissimam, (*Athenæus lib. 2. cap. 5.*) & Mosis libros atqve Prophetarum in Græcam lingvam jussit converti. *Josephus Antiqvit. Judaic. lib. 12. cap. 2. Philo de vita Mosis lib. 2. Epiphanius libro de mensuris & ponderibus, Galenus*

lenus lib. de natura humana, Zonaras tomo 1. Nicephorus lib. 4. cap. 4. Meminit Ammianus Marcell. lib. 22. Gell. lib. 6. cap. 17. Augustinus. lib. 18. cap. 42. de Civitate Dei. Constantinus Manasses in Annalib.

Romanæ igitur urbis initium fuit, qvo tempore Salmanasser rex, de qvo suprà dictum est, Assyriis imperabat, nimirum, anno primo septimæ Olympiadis, (*De initio urbis Romanæ & dissentientibus scriptorum sententiis videatur Plutarchus in Romulo, Solin. cap. 1. Camerarius in Annotation. in Solinum, Onuphrius lib. 1. Fastor.*) autore Plutarcho: conditi autem orbis anno ter millesimo, ducentesimo, duodecimo, (*Ante Æ. V. 753.*) cum annis ferè qvadringentis antè in Latio cœpisset regnare Æneas, (*Flor. lib. 1. cap. 1.*) à bello Trojano, qvod Homerus ad posteritatem transmisit: de cujus qvidem ætate, sicut etiam patriâ, nihil certi constat; nisi qvòd ante cõditam urbem atq; Romulum multis annis eum fuisse, Cicero scribit *in Brut. Herodot, Halicarnasseus lib. 2. Homerū & He-*

& Hesiodum quadringentis non amplius annis ante sua tempora vixisse testatur, attamen post bellum Trojanum ipsum vixisse scribunt quidam, cum essent exacti 150. anni. videatur præterea A. Gellius lib. 17. c. 21. Solin. cap. 35. De patria Homeri habet Gellius lib. 3. c. 11. & Oratio Cic. pro Archia.

Nullum verò scriptum existit prophanum, illius poëmate vetustius: Nam sicut Horatius ait *Lib. 4. Ode 9.*

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotiq; longâ
Nocte: carent quia vate sacro.

Significat idem qvoqve Cicero, (*in Bruto*) nec oratoris ullum extare vestigium dicit ante Homerum. *Diversum ab hac sententia scribit Eusebius de præparatione Evangel. libr. 10. cap. 3.*

Tenuis autem, & propè despecta populi Romani fuit origo, sed qvia Deus ita constituit, sicuti postea docebitur, in summam excrevit potentiam. *Cicero de consolatione. Constat inter omnes, quæ præclara dicuntur, ea ferè omnia à tenuibus initiis sumsisse exordium.*

Prin-

Principio, REGES ibi septem imperarunt annis ducentis, qvadraginta qvatuor. *Vide Livium lib. 1. Dionys. lib. 5. Flor. lib. 1. cap. 8. Messalam. Fest. Rufum. Eutrop. lib. 1. Oros. lib. 1. cap. 5. Jordanem, Solinum. Causam diversitatis inter hos explicat Sigonius commentario in Fastos & Triumphos Rom.*

Et sexti qvidem regis ætate, (*Cic. in Bruto*) SERVII TULLII, *Solonem* ac *Pisistratum*, apud Athenienses: *Pythagoram* autem in Italia floruisse, Cicero scribit, *1. & 4. Tuscul. quæst.* qvo tempore TARQVINIUS SUPERBUS fuit ejectus. [*Ante Ær. Vulg. 508.*]

Athenas etiam ait, regnante Servio Tullô, stetisse jam supra septingentos annos. Profligatis regibus, ad binos CONSULES rerum summa delata fuit, qvorum magistratus erat annuus. *Livius Lib. 2. Florus lib. 1. cap. 9. Cicero de Legibus. Ovid. 2. Fastor. Fenestella cap. 7. de Magistratib. Roman. Eutrop. lib. 1. Pomp. tit. 2. lib. 1. Digestorum.*

Primus

Primus Consul, L. JUNIUS BRUTUS, qvàm fuerat acer & industrius in profligandis regibus, & constituendâ libertate, tàm etiam erat vigilans & strenuus in eâdem conservandâ. Qvùm enim inter alios nobiles adolescentes Romanos, ipsius qvoqve filii duo, Titus & Tiberius, occulta tractarent consilia de restituendis Tarqviniis, re per indicium patefactâ, capitali supplicio palàm illos affecit: *Livius lib. 2. Dionys. lib. 5. Plutarchus in Poblicola. Val. lib. 5. cap. 8. Oros. lib. 2. cap. 6. Virgil. lib. 6. Juvenalis Satyr. 8. Plinius de viris Illustr.*

Collegæ qvoqve suo, Tarqvinio Collatino (*marito Lucretiæ*) imperium abrogabat, qvi fuerat socius ejus in expellendis regibus, & consiliorum etiam adjutor. Idqve Cicero defendit, ut justè factum, & patriæ tum utile, tùm honestum fuisse dicit, ut nomen Tarqviniorum, & memoria regni tolleretur. *Abdicationis Collatini non eadem causa ab omnibus traditur. Videatur Livius l. 2. Gell. lib. 15. cap. 29. Cicer. in Bruto & 3. de Offic. Dionys. l. 5. Plutarchus in Poblicola.*

Augu-

Augustinus de Dei Civit. lib. 2. cap. 17. hoc Bruti factum scelus, Tarquinium vero bonum & innocentem virum nominat.

Cæterum in variâ populi Romani fortunâ, cum Hetruria conspirasset omnis, in hostem egressi urbe Româ trecenti FABIÆ gentis, interfecti fuerunt omnes, uno superstite tantum impubere domi relicto, qvi familiam deinde propagavit: fuit hoc anno tricesimo tertio post ejectos reges. [*Ante Ær. Vulg. 476.*] *Livius lib. 2. Florus lib. 1. cap. 12. Ovid. lib. 2. Fast. Eutropius lib. 1. Oros. lib. 2. cap. 5. Plinius de viris illustribus. Gellius lib. 17. cap. 21. Dionysius lib. 9. dissentit ab his & verisimiliora affert. De die hujus cladis videantur Macrob. lib. 2. cap. 16. Plutarch. in Camillo, Livius lib. 6. Tacitus lib. 2. Historiarum.*

Ob turbulentum autem Reipubl. statum conditæ urbis anno trecentesimo, legati in Græciam missi fuerunt, qvi leges illinc adferrent, qvibus deinde civitas uteretur. (*Vide Matth. Beroald. libr. 4. Chronolog.*) His reversis, mutata Reipubl. forma fuit, & DECEMVIRI constituti,

stituti, [*Ante Ær. Vulg.* 450.] qvi rei summæ præessent: sed non totum triennium duravit hic status, & APPIUS CLAUDIUS, ex Decemviris unus, neqvitiâ suâ, cùm L. Virginii, civis Romani, filiam virginem ad libidinem abriperet, occasionem populo dedit, ut ordinem totum profligarent. *Dionysius lib. 11. Livius lib. 5. Diodorus lib. 12. Eutropius lib. 1. Valerius lib. 6. cap. 1. Florus lib. 1. cap. 24. Cic. 2. de finibus. Justin. Imperat. lib. 2. ff. de orig. jur. §. 24.*

Itaqve res ad Consules rediit: sed & hi paucorum fuerunt annorum, & creati sunt TRIBUNI MILITUM duo, consulari potestate: [*Ante Ær. Vulg.* 443.] verùm hi sub finem anni deposito magistratu, consulibus denuò locum fecerunt, eoqve tempore, qvod erat anno urbis CCCXV. L. QVINTIUS CINCINNATUS, Dictator, Sp. Melium, largitione frumentariâ captantem in urbe regnum, per C. Servilium Halam, magistrum eqvitum, interfecit, ejusqve domum complanavit. (*Ante Ær. Vulg.* 437.) *Livius lib. 4. Florus lib. 1. cap. 26. Cic. 1. Catilin. pro domo. 2.*

de finibus in Catone, Plin. lib. 18. cap. 3. Valer. Max. lib. 5. c. 3. Plin. de viris illustribus.

Biennio pòst rediit potestas ad tribunos militum, qvi deinde non bini, sed plures eodem tempore creabantur, pro voluntate populi & Reipubl. conditione.

Duravit hic magistratùs per annos ferè septuaginta, & inter alios floruit in hoc ordine, M. FURIUS CAMILLUS, virtute nulli secundus, qvi præclarè de Republica meritus, in exilium fuit ejectus ab ingrata patria, cùm qvartùm fuisset tribunus militum: sed cùm captam à Gallis Senonibus urbem Romam liberasset, hostemqve fudisset, restitutus dignitati fuit, biennio pòst factus Dictator. *De Camillo vide Livium lib. 5. 6. & 7. Florum lib. 1. cap. 12. & seqq. Valerium lib. 5. cap. 3. Polyænum lib. 8. Plinium de viris illustribus: Plutarchum in Camillo: August. de Civitate Dei, lib. 2. cap. 17.*

Paucis verò pòst annis M. MANLIUS, qvi Capitolium à Gallis defenderat, ob suspicionem affectati regni, de saxo Tarpejo dejicitur, (*Cic. 1. Philip.*) & decretum fuit factum, ne qvis gentis Manliæ

patri

patricius, vocaretur Marcus. [*Ante Ær. Vulg. 381.*] *Livius lib. 6. Florus lib. 1. cap. 26. Plutarchus in Camillo. Plin. lib. 7. cap. 28. Valerius Max. lib. 6. cap. 3. Cicero pro domo sua. Quintil. lib. 3. cap. 9. Gellius lib. 17. cap. 21. citato Cornelio Nepote, nonnihil variat.*

Septimùm deinde creatus est Tribunus militum CAMILLUS, & ætate gravis vitam finiit anno conditæ urbis CCCLXXXIX. (*Sigon. 388.*) [*Ante Æram Vulg. 362.*] qvum anno uno [*Ante Æram Vulg. 363.*] ante ipsius mortem, à Tribunis Militum, Reipublicæ procuratio ad CONSULES rediisset, ex qvibus tunc primum unus fuit plebejus. *Camillus obiit L. Genutio, & Q. Servilio Coss. quo anno ingens Romam universam pestilentia invasit, de qua Livius lib. 7. Oros. lib. 3. cap. 4. quæ & Camillum sustulit. Plin. lib. 14. cap. 1.*

Dedit autem hæc ætas longè præstantissimos belli duces in ea civitate, M. VALERIUM CORVINUM, T. MANLIUM TORQVATUM, C. MARTIUM RUTILIUM, P. DECIUM MUREM, PAPIRIUM CURSO-

REM, PUBLIUM PHILONEM, L. VOLUMNIUM, & alios. *De his Plinius de viris illustribus. Item Onomasticon Romanum Glandorpii.*

Ex his T. MANLIUS TORQVATUS, Consul, filium suum, qvod præter mandatum, extra ordinem, duello pugnasset in hostem, tametsi feliciter, securi percussit. [*Ante Ær. Vulg.* 336.] *Diodorus Siculus lib.* 17. *Salustius in Catilinaria. Livius lib.* 8. *Plutarchus in Fabio Max. Cic.* 1. *de finibus.* 3. *Offic. pro Sylla. Valerius Max lib.* 6. *cap.* 9. *Gell. lib.* 9. *cap.* 13. *Frontinus lib.* 4. *cap.* 1. *Vide proverbium, Manliana Imperia* 2. *de finibus apud Ciceronem & Erasmum, Plinius de viris illustribus, Gellius lib.* 17. *c.* 21.

P. DECIUS MUS, Consul, [*Anno eodem*] in prælio contra Latinos, pro exercitu populi Romani sese devovit, & in confertissimam turbam hostium irruptione factâ confossus, nutantem rem Romanam restituit. *Livius lib.* 8. *Flor. lib.* 1. *cap.* 14. *Cic.* 1. *de divinatione,* 2. *de Finibus, In Catone,* 1. *Tuscul. quæst. Plin. lib.* 22. *cap.* 25. *Valer. lib.* 5. *cap.* 6. *& lib.* 1. *cap.* 7.

Augu-

Augustinus de Civitate Dei lib. 3. cap. 18. Meminere Virgil. lib. 6. Propertius lib. 2. Elegia 9. Juvenalis Satyra 8. Lucanus l. 2. Claudianus de 4. Consulatu Honorii. Frontinus Stratag. lib. 4. cap. 5.

Idem fecit ejus Filius, ejusdem nominis qvartùm Consul, annis XLIV. pòst, in bello contra Gallos Senones. *Livius lib. 10. Cicero 2. de Finib. Florus l. 1. c. 17. Cicero 1. Tuscul. qvæst. in Caton. pro Sexto, pro domo sua, pro C. Rabirio Posthumo 4. ad Herennium. Val. l. 5. cap. 6. Oros. l. 3. cap. 21. Plin. de viris illustr.*

Eo, qvod ante diximus, tempore, ad annum urbis conditæ CCCCXX. floruit ac bella gessit ALEXANDER MAGNUS, tertiæ Monarchiæ conditor, ut suprà docuimus. Cum hoc T. Livius *Libr. 9.* componit L. PAPIRIUM CURSOREM, & expatiatus tum sui, tum Lectoris reficiendi causa, demonstrat, eum inter alios Alexandro potuisse resistere, si fortè post devictam Asiam, in Europam abductis copiis, ille populo Romano bellum fecisset. *Repetit hoc idem Ammianus Marcellinus lib. 30. his verbis :* Papirius Cursor,

ad resistendum aptius Alexandro Magno, calcasset Italiam, æstimatus. Item Paulus Orosius lib. 3. cap. 15. Vide, quid hic in Livio desideret Anton. Muretus variarum Lection. lib. 15. cap. 14.

Erat omninò summâ præditus virtute is, qvem dixi, PAPIRIUS CURSOR. Nam, ut alia prætermittam, qvando T. Veturius Calvinus, Sp. Posthumius Albinus II. Consules, cum toto exercitu, sub jugum missi fuerunt à Samnitibus ad furcas Caudinas, & turpiter cum hoste pacificarunt, ille factus Consul, hostem victorem fudit ac profligavit. *Livius lib. 9. Florus lib. 1. cap. 16. Cic. 3. Offic. Augustinus lib. 3. de Civitate Dei, cap. 17. & lib. 5. cap. 22. Eutrop. lib. 2.*

Qvàm etiam severè disciplinàm oporteat servare militarem, in suo declaravit eqvitum magistro Dictator ipse. *Livius lib. 8. Eutropius 2. Valerius Max. lib. 2. cap. 9. Plinius de viris illustr. Frontinus Stratagem. lib. 4. cap. 1.*

Protulit insuper hæc & aliqvantò superior ætas in Græcia, viros longè doctissimos. (*Cic. 3. de Oratore.*) Tunc enim,

SOCRA-

SOCRATES, & ab hoc, velut ex fonte qvopiam, ARISTIPPUS, PLATO, ANTISTHENES, SPEUSIPPUS, ARISTOTELES, DICÆARCHUS, XENOCRATES, HERACLIDES, THEOPHRASTUS, POLEMO, STRATO floruerunt, Physici omnes, & ut ait Cicero, 1. *de natur. Deorum*, speculatores venatoresqve naturæ. *De his vide Diogenem Laërtium in vitis Philosophorum.*

Floruerunt etiam Oratores clarissimi, (*Cic. in Bruto*) GORGIAS, PROTAGORAS, PRODICUS, HIPPIAS, ISOCRATES, LYSIAS, DEMOSTHENES, HYPERIDES, ÆSCHINES, PHALEREUS, DEMETRIUS, DEMOCHARES. Historici verò, XENOPHON inprimis, qvem Socraticum Cicero vocat, (*lib. 2. de Oratore, 2. Offic. 2. Tuscul. quæst.*) & CALISTHENES, comes Alexandri Magni. *De Calisthene Plutarchus in Alexandro. Cicero de Rab. Posthumo. Arianus lib. 4. Curtius libr. 6. Oros. lib. 3. cap. 18. Diogenes Laertius lib. 5.*

Hâc ætate vixit Syracusanorum Tyrannus, *Just. lib. 21.* DIONYSIUS; ad qvem Plato cùm venisset, [*Ante Ær. Vulg.* 386.] deqve viri principis officio liberè locu-

tus esset, in maximo vitæ periculo fuit, ut Cicero narrat *pro C. Rabirio. Vide Diogenem Laërtium lib. 3.*

Hic est ille, (*de credulitate disserit Justin. lib. 21.*) qvi non propinqvis, sed convenis qvibusdam & feris hominibus atqve barbaris custodiam corporis committebat: (*Plutarchus in Dione*) qvi tondere filias suas docuit, ne tonsori collum committeret: qvi ferrum ab iisdem, cùm essent adultæ, removit, instituitqve, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent: (*Cic. libro 5. Tusc. quæst. Marcell. l. 6. Cic. 3. Offic. Valerius Max. lib. 9. cap. 24.*) qvi noctu sic ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur & perscrutaretur antè: qvi, qvum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri solebat; qvi DAMOCLI parasito, cujusmodi sua esset felicitas, qvam ille prædicaverat, ostendit, cùm in summis delitiis, omniumqve rerum copiâ, luxuqve accumbenti, gladium fulgentem, è lacunari seta eqvina appensum, dimitti jussit, ut impenderet illius cervicibus. *Cicer. lib. 5. Tuscul.*

Tuscul. Hor. lib. 3. Oda 1. Persius Satyr. 3. Macrob. in somn. Scipionis, lib. 1, cap. 10. Marcell. l. 89.

Post Alexandri mortem annis circiter XLII, [*Ante Ær. Vulg. 280.*] bella gessit cum Romanis, & in Italiam venit, Epirotarum rex, PYRRHUS. *Livius lib. 14. Florus lib. 1. c. 18. Plutarchus in Pyrrho. Eutrop. lib. 2. Justinus lib. 18. Pausanias in Atticis. Plinius de viris illustribus.*

Altero ejus belli anno solicitabat Senatum ad pacem & fœdus faciendum. *Livius lib. 3.* sed APPIUS CLAUDIUS ætate gravis, & cœcus, qvi ante annos septendecim fuerat Consul II. ut ait Cicero (*in Catone Majore,*) venit in curiam, & Senatum, inclinantem ad pacem, deterruit, ne fœdus cum eo facerent. Tanta enim erat in eo vis animi, ut in illo suo casu, nec privato nec publico muneri deesset. (*Cicero 5. lib. Tuscul. quæst.*) Oratio, qvam tunc habuit de Pyrrho, qvum pacem dirimeret, extabat tempore Ciceronis, ut ipse ait. *De Appio videatur Livius lib. 13. Florus lib. 1. cap. 18. Plinius de viris illustribus. Plutarchus in Pyrrho.*

Ovidius 6. Fastorum. Meminit Cicero in Bruto & Philipp. 1.

Insignem tunc operam Reipubl. navavit C. FABRICIUS LUSCINUS, qvi sollicitatus à Pyrrho ad defectionem, amplissima illius munera contemsit, atqve promissa. *Eutropius lib. 2. Lucanus lib. 3. Livius lib. 13.* Nec id modò, sed captivum etiam ei remisit perfugam, qvi veneno se posse regem tollere confirmarat. Cicero confert eum cum Aristide Atheniensi. *Transfuga hic Eutropio lib. 2. Medicus Regius; Gellio lib. 3. cap. 8. amicus regius; Marcellino lib. 30. minister regius appellatur. Est autem Timochares Gellio, Demochares Marcellino, utriqve diversa nomine Nicias. Ambraciensem Valerius lib. 6. cap. 5. & Gellius citato loco faciunt. Qvomodo cætera authores varient, ex citatis locis petatur. Meminit Plutarchus in Pyrrho. Cicer. 1. & 3. Offic. Suidas in voce Fabricius.*

Secundò reversum in Italiam Pyrrhum, MANIUS CURIUS DENTATUS omninò profligavit, (*sub Campis Arusinis, Anno V.C. 478.*) ac triumphum egit, [*Ante Æ. Vulg. 275.*]

Pyr-

Pyrrhus omnium primus Elephantos adduxit in Lucaniam. *Justin. lib. 18. Varro de lingua Latina, lib. 6. Plin. lib. 8. cap. 6. Julius Solin. cap. 38. Oros. lib. 4. cap. 1. Flavius Vegetius de re militari.*

Et adhuc qvidem, per annos ferè qvingentos, bella gesserunt Romani cum Italiæ solùm populis, (*Livius lib. 14. Flor. lib. 1. c. 18. Justin. 23. Eutr. 1. Cic. in Catone & pro Murena*) è qvibus accerrimè restiterunt, ac sæpè rebellarunt, nunc victi, nunc victores, Latini, Vejentes, Æqvi, Falisci, Samnites, Hetrusci, qvibus demum devictis atqve pacatis, exortum est longè gravissimum bellum in CARTHAGINENSES: (*Videat. Livius lib. 30. & seqq. Epitom. Eutrop. lib. 1. & 2. Flor. 21. &c.*) cujus qvidem urbis originem, Româ multò vetustiorem esse constat. *Fertur à Justin. l. 18. Carthaginem conditam 27. annis antè, quam Roma. Carthago condita annis 143. & mensibus octo à templo Salomonis, ut Josephus lib. 1. contra Appionem scribit.* [*Antè Æram Vulg. 873.*] *Est annus ante excidium ejus 751. Verùm Dionysius ex Timæo Siculo annotat, Carthaginem conditam esse anno 38. ante pri-*

 mam

mam Olympiadem. Vellejus lib. 1. anno 667. ante eversionem sub Scipione. Josephus ergo facit Carthaginem annis 81. antiqviorem, qvàm Dionysius. Suidas in voce καρχηδὼν dicit Carthaginem 700. annos à prima origine finitimis imperasse, deinde à Scipione solo æqvatam.

Initium belli fuit ad annum urbis Romæ CCCCXXCV. (*Annus, qvo Bellum Punicum primum geri cœptum, varium numerum apud scriptores habet. In fastis Capitolinis est CCCCXXCIX.* [*Ante Ær. Vulg. 264.*] *Consentit Solinus.*) In eoqve cumprimis memorabile est illud, qvod de M. ATTILIO REGULO memoriæ proditum est, qvi captus à Carthaginensibus, & Romam missus, ut de pace ac permutandis captivis ageret, ac nisi impetraret, ad vincula rediret: qvum eò venisset, planè diversum senatui svadebat, neqve ex usu Reipublicæ id esse demonstrabat deinde, qvòd fidem hosti servandam esse diceret, Carthaginem reversus, crudelissimo supplicii genere fuit exanimatus resectis palpebris, & illigatus in machina, vigilando enecatus. *De supplicio Reguli*

verò

variant scriptores, Cicero in Pisoniana Regulum in machina religatum scribit; & resectis palpebris vigilando enecatum. Eam machinam Appianus caveam vocat, stimulis intus exstantibus, necubi se sine corporis laceratione inclinare posset. Tubero apud Gellium aliud & inauditum tradit, talionemque nobilissimis Pœnorum captivis repensam esse à Reguli liberis, eosque in armario muricibus præfixo inclusos insomniaque excruciatos interiisse. Repetit Zonaras tomo 2. Florus libr. 3. cap. 2. crucis supplicio enecatum. Eutropius libr. 2. omnibus suppliciis extinctum, cæteri omnes insomniâ, etsi alio atque alio cruciatus genere tradunt. Vide Livium lib. 18. Polybium lib. 1. Appianum in Libicis. Meminit Cicer. 1. & 3. Offic. 5. de finibus. Horat. lib. 3. Ode 5. Silius Italicus lib. 6. Valerius lib. 1. cap. 1. Oros. lib. 4. cap. 10. Seneca de providentia in Ibin. Plinius de viris illustribus. Tertullianus ad martyres.

Eo durante bello Romani omnium primò feliciter mari pugnarunt in Sicilia; (*ad Ligaras insulas.*) C. DUILLIO Consule, [*Ante Æram Vulg. 260.*] adver-

Plinius lib. 33. cap. 50. Eutropius 3. Orosius lib. 4. cap. 14. & 15.

Creatus autem Dictator Q. FABIUS MAXIMUS, & in hostem profectus, cunctatione vim illius & impetum refregit atqve tardavit, ille ipse, qvem celebrans Ennius: *Unus homo nobis, inqvit, cunctando restituit rem.* *Hic Ennii versus de Q. Fabio extat apud Ciceronem lib. 1. Offic. & in Catone Majore. Eundem una voculâ immutatâ Virgilius lib. 6. Æneidos expressit, & post eum Serenus Sammonicus cap. 62. De cunctatione Q. Fabii Maximi prater Livium legatur Florus lib. 2. cap. 6.* Plu*tarchus in Fab. Max. Valerius Max. lib. 7. cap. 3. Plinius lib. 22. cap. 5. Orosius lib. 4. cap. 15. Eutropius lib. 3. Frontinus lib. 2. cap. 5. & lib. 1. cap. 3. Silius Italicus lib. 6. & 7. Ovid. lib. 2. Fastor. Propert. lib. 3. Elegia 2. Plin. de viris illustr.* Calliditatem ei Cicero *lib. 1. Offic.* tribuit, & qvod facile celaret, taceret, dissimularet, insidiaretur, hostiumqve consilia praeriperet.

Pòst autem ad Cannas, [*Ante Ær. Vulg.* 216.] ingentem cladem populus Romanus

nus accepit, (*Plutarchus in Fabio. Oros. lib. 4. cap. 16.*) qvæ qvidem tantam excitavit in urbe trepidationem, ut pleriqve potentiores de fuga cogitarent, & Italiâ relinqvendâ: sed à P. Cornelio Scipione, P. Filio, ingentis animi juvene, qvi tum vicesimum qvartum ætatis annum vix ingressus erat, confirmati fuerunt, imò retenti. *De prælio ad Cannas commisso videatur Livius lib. 22. & 26. Polyb. lib. 3. Plinius lib. 10. & 15. cap. 18. lib. 33. cap. 1. Strabo in fine lib. 6. Lactantius lib. 2. cap. 17. Silius Italicus lib. 9. Augustinus lib. 2. cap. 9. de Civitate Dei. Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. & 2. lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap. 4. lib. 4. cap. 5. lib. 7. cap. 4. & 6. Frontinus lib. 2. cap. 5. Oros. lib. 4. cap. 16. Eutrop. lib. 3.*

Qvarto pòst anno (*Ante Ær. Vulg. 212.*) M. Claudius Marcellus, post diuturnam obsidionem, Syracusas capit. (*Polybius lib. 8. Livius lib. 25.*) In ejus urbis direptione fuit occisus ARCHIMEDES; nobilis Mathematicus, qvi in pulvere qvædam describens, patriam non sensit esse captam. (*Cicero Verrina 6. & 5. de finibus. Valerius lib. 8. cap. 7. Silius lib. 14.*) Interitum ejus

tulit

tulit permoleſtè Marcellus, ubi reſcivit, & ſepeliri juſſit, & captam urbem non ſolùm incolumem eſſe paſſus eſt, ut ait Cicero *Verr.* 4. ſed ita reliqvit ornatam, ut eſſet idem monumentum victoriæ, manſvetudinis, clementiæ: imò victoriâ Marcelli pauciores homines deſideratos fuiſſe dicit (*Verr*, 6.) qvam Deos, adventu Verris prætoris in eandem urbem. Livius autem iræ, invidiæ, avaritiæ, multa fœdaqve dicit ibi fuiſſe edita exempla. *De expugnatione Syracuſarum videatur Livius lib. 25. Florus lib. 2. cap. 6. Silius Italicus lib. 14. Plutarchus in Marcello. Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. & lib. 8. cap. 7. Oroſius lib. 4. cap. 17. Eutropius lib. 3. Plinius de viris illuſtribus. Auguſtinus de Civitate Dei 1. cap. 6. & lib. 3. cap. 14.*

Sepulchrum Archimedis, obſoletum prorſus, & dumis atqve vepribus obſitum, (*Cicero lib. 1. Tuſcul, qvæſt.*) & ipſis adeò Syracuſanis ignotum, Cicero, qvæſtor Siciliæ, cùm illud ex deſcriptione qvadam cognitum haberet, Senatui Syracuſano demonſtravit, centum triginta ſeptem pòſt annis.

Urbem

Urbem SYRACUSAS, maximam esse Græcarum urbium, pulcherrimamqve omnium, & ex qvatuor urbibus maximis constare dicit M. Tullius: (*Verr. 6.*) *Insula*, ubi fons est Arethusa, plenissimus piscium: (*Plutarchus in Marcello.*) *Acradina*, ubi forum & porticus & curia: *Tyche*, ubi fanum Fortunæ: *Neapoli*, qvæ postrema ædificata theatrum habet amplissimum. *Strabo Syracusas, ex qvinqve urbibus, qvas ambitu complectatur, constare dicit, lib. 6. Insula eidem dicitur Ortygia. Livius lib. 5. eam partem incolis* Nason *vocari autor est, qvi idem Achradina & Tica pro Acradina & Tyche scribit. Diodorus lib. 11. itinq.*

Porrò, nationum omnium exterarum princeps SICILIA se ad amicitiam fidemqve populi Romani applicuit, & primò omnium est appellata provincia, sicut idem Cicero (*Verr. 4.*) testatur; *Meminit Solinus cap. 11. Festus Rufus in compendio historia Rom. Vell. lib. 2.*

ANNI-

Annibal, à Cannensi victoria, Campaniam omnem deditione capit; exercitus illius Capuæ hybernans, copiâ rerum atqve luxu totus fuit enervatus atqve fractus. *Cicero contra Rullum*: *Luxuries Annibalem Capuæ fregit.* *Valerius lib. 9. cap. 2. Livius lib. 2. cap. 3. Florus lib. 2. cap. 6. Capuam Annibali Cannas fuisse scribit. Lucanus in contentione Annibalis & Alexandri, mulieribus deditum Annibalem, belli gerendi occasiones prodidisse author est. Videatur Seneca lib. 7. Epist. 1.*

Post expugnatas Syracusas, anno tertio, Capua deditione capta fuit à *Romanis.* (*Livius lib. 26. Florus lib. 2. cap. 6. Oros. lib. 4. cap. 17.*) Diu multumqve deliberatum fuit, an esset urbs delenda: postremò placuit conservandam esse: veruntamen, ne posset unqvam rebellionem facere, ademtus fuit illis ager, sublatus omnis Magistratus atqve Senatus, publicumqve consilium, imago nulla Reipublicæ relicta, (*Cicero contra Rullum. Vellejus lib. 2.*) sed constitutum, ut esset locus comparandis condendisqve fru-

fructibus, receptaculum aratorum, nundinæ rusticorum, cella horreumq; agri Campani. *Stetisse Capuam, antequàm à Romanis caperetur, annis circiter 260. Marcus Cato author est, teste* Paterculo *lib. 1. Idem lib. 2. in præfecturæ formam redactam scribit.*

Biennio pòst, ASDRUBAL novas copias auxiliares in Italiam adduxit, verùm à M. Livio Salinatore, & C. Claudio Nerone, consulibus, ad Metaurum flumen occisus fuit. *Livius lib. 17. Florus lib. 2. cap. 6. Polybius lib. 11. Silius lib. 15. Eutropius lib. 3. Suetonius in Tiberio. Oros. libr. 4. cap. 7. Horat. lib. 4. Ode 4. Plin. de viris illustr. Cicero in Bruto hoc prælium Senense vocat. Metaurus Vmbriæ fluvius hodie Metro appellatur, teste Leandro, Lambino, Bonacialo & aliis.*

Interea rem feliciter in Hispaniis gerebat P. CORNELIUS SCIPIO, (*Cic. pro Balbo,*) qvem diximus, cùm ipsius & pater & patruus ibi fuissent interfecti; & omni recuperatâ provinciâ Romam revertit, & factus Consul Aphricam sibi dari petit, ut ibi bellum gerat. Vehemen-

menter autem ei resistit Q. FABIUS MAXIMUS, ætate gravis, & non adeundam Aphricam, sed cum Annibale præliandum esse contendit. (*Eutropius lib. 3.*) Scipio contrà: qvòd si Carthaginensibus bellum inferatur in ipsorum finibus, fore, ut necessitate coacti Annibalem, in qvo summam spem atqve præsidium collocassent, ex Italia domum revocent. *Orationes Fabii Maximi & P. Cornelii Scipionis exstant apud Livium lib. 28. & 29.*

A multa disceptatione, Scipioni Senatus tribuit Siciliam; &, si qvidem esset ex usu Reipublicæ, ut in Aphricam eat, permittit. Ille igitur è Sicilia tandem in Aphricam proficiscitur, & qvod Senatui prædixerat, re comprobavit ipsâ. Nam præliis aliqvot ab eo victi, plurimisqꝫ damnis affecti Carthaginenses, Annibalem revocant. (*Liv. lib. 30. Plinius lib. 15. c. 18. Castra Punica tertium lapidem vallata: Orosius lib. 4. cap. 19. Polybius lib. 15. Appianus.*) Sic ille, qvi sedecim annis per Italiam grassatus erat, qvi sub Romæ urbis mœnia castris locum delegerat, domum redire coactus est qvantumvis invitus atqve dolens: & tandem

dein ingenti prælio superatus à Scipione fuit, qvi de Senatûs voluntate pacem deinde cum hoste fecit. Hinc ei datum cognomen, ut *Aphricanus* diceretur. [*Ante Æram Vulg. 201.*] *Eutropius lib. 3. Livius lib. 30. Primus hic Imperator nomine victæ à se gentis est nobilitatus.*

Hîc verò considerandum est, qvomodo summis ex angustiis emerserint Romani. Jam enim per annos aliqvot tenuissimo filo pendebat omnis ipsorum fortuna, sed in fatis erat, ut vim omnem atqve calamitatem superarent, & domini fierent orbis terrarum: idqve prævidisse ferunt Annibalem, qvùm fratrem esse victum Asdrubalem audisset. (*Livius lib. 17. Florus lib. 2. cap. 6.*) Ipsius qvidem verba, qvibus tunc usus fuit, Horatius (*lib. 4. Ode 4.*) refert, in illo carmine, qvo Drusi laudes ejusqve familiæ celebrat. Et qvia doctissimum est elegantissimumq; carmen, planè meretur, ut Juventus illud inter alia memoriæ commendet.

Facta cum Carthaginensibus pace, Romani, præter ea bella, qvibus occupati

pati fuerunt, per Italiam, Istriam, Lusitaniam, grave qvoq; bellum gesserunt cum PHILIPPO Macedonum rege, qvi Græciam oppresserat. Ejus belli fuit Imperator T. Qvintus Flaminius, (*Plutarch. in Flaminio*) qvi tandem, hoste devicto, de Senatus voluntate Græciam libertati restituit, & inter alia Philippo regi præscripsit, ne Senatus injussu belligeraret extra Macedoniæ fines. *Bellum hoc Macedonicum etiam Philippicum à rege, qvo cum gestum est, nominatur, de qvo Livius lib. 31. & deinceps Florus lib. 2. cap. 7. Eutropius 4. Orosius lib. 4. cap. 20. Val. lib. 4. cap. 8. Pausanias in Achaicis. Polyb. lib. 17. Justinus lib. 31. Plin. de viris illustribus.*

Huic bello successit alterum, adversus ANTIOCHUM Syriæ regem, qvi transgressus in Europam, devictus fuit à Manio Glabrione, Græciaqve pulsus, auxilium Romanis ferente Macedonum rege, Philippo. *Livius lib. 35. Florus lib. 2. cap. 8. Justinus 31. Eutropius 4. Orosius lib. 4. cap. 10. Appianus in Syriaca. Bellum hoc cum Antiocho gestum Antiochinum, Syriacum & Asiaticum dictum est. Meminit Cicero Philippica 11. Plin. de viris illustr.*

Sunt

Sunt autem hi, qvos diximus, Asiæ, Syriæ, Macedoniæ reges, ex eorum posteritate, qvi post Alexandri Magni mortem provincias inter se partiti fuerant, ut supra diximus. Nam Carthagine pacatâ, totâqve subactâ Italiâ, Romani, cùm reliqvas etiam Europæ partes viciniores terrâ mariqve debellassent, eò jam potentiâ creverant, ut longinqvi etiam reges atqve populi fidem ipsorum implorarent. *Justinus lib. 13.*

Huncad modum Ægyptii, qvorum res PTOLOMÆUS EPIPHANES admodum adolescentulus, per ætatem non poterat administrare: cùm ab Antiocho Magno periculum immineret, missis Romam legatis, petebant, ut Senatus tutelam regis pueri susciperet.

Eo facto, Senatus Antiocho denunciat, ut ab Ægypto abstineat: ille offensus, præsertim, cùm Annibal profugus & hospes ipsius, vehementer bellum svaderet, in Græciam cum classe trajecit, *Livius lib. 31.* ibiqve profligatus fuit, ut anteà diximus. Comparatâ deinde classe, Romani perseqvuntur illum, & in Asiam

transportati, maximo prælio vincunt, & ultra Taurum montem rejiciunt. [*An 50. Æram Vulg. 190.*] *Livius lib. 37. Cicero pro Sextio.*

Post acceptam cladem dicere est so litus, ut Cicero (*pro Dejotaro,*) narrat, be nignè sibi à populo Romano esse factum qvod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. Bellum hoc gubernabat L. CORNELIUS SCIPIO, P. Scipionis Aphricani frater vocatus ob hoc ipsum ASIATICUS. *Florus lib. 2. cap. 8. Eutropius lib. 4. Appianus in Syriaca. Orosius lib. 4. cap. 20. & Plinius de viris illustribus. Scipio hic tandem capta à rege Antiocho pecunia damnatus est. Valerius lib. 4. cap. 8. & lib. 8. cap. 1. Plutarchus in Catone.*

Pòst Ætolos debellavit M. Fulvius nobilior, de iisqve triumphavit. *Livius lib. 48. Appianus in Syriaca. Florus lib. 2. cap. 9. Justinus lib. 31. Eutropius libr. 4. Meminit Cicero in prima Tusculana. Plinius lib. 3 cap. 11.*

Et cùm ex Asia domum revertisset Scipio Aphricanus, qvi legatus eo bell

fra

fratri fuerat, à Tribunis plebis divexatur. Itaqve Liternum secessit, in villam suam, atqve sibi, sicut nonnulli tradunt, mortem obiit, [*Ante Æram Vulg. 184.*] vir longè præstantissimus, natus annos LII. æqvalis M. Portii Catonis. *Livius lib. 38. Orosius lib. 4. cap. 20. Valerius lib. 5. cap. 3. Augustinus de Civitate Dei, lib. 3. cap. 21. Plinius de viris illustribus.*

In Dialogo, qvem de senectute Cicero scripsit, Catonem introducit amanter & honorificè de Scipione, deqve sua & illius ætate studiisqve loqventem, imprimis verò celebrantem illius magnitudinem animi. Livius (*lib. 38.*) autem inimicum ei Catonem, solitumqve fuisse dicit, hanc ipsius fortitudinem odiosiùs exagitare: celeritatem ei Cicero (*Verrin. 7.*) tribuit in re gerenda.

Suspicor Sleidanum memoriâ lapsum, ea, quæ in Dialogo de Senectute à M. Portio Catone de Q. Fabio cunctatore, deque ejus studiis & ætate prolixè dicuntur, hoc loco ad P. Scipionem referre. Constat autem ex lib. 4. cap. 18. Gellii, Catonem Scipionis Africani inimicum fuisse, tribu-

nosque plebis vi immisisse. Videntur Suidas in voce ναῦν *&* αὐτοῦ, *ubi contrarium.*

Florebant eo tempore, ENNIUS, PLAUTUS, NÆVIUS, poetæ. *Gellius lib. 17. cap. ult.* [*Ante Ær. Vulg. 185.*]

Debellato Antiocho, Annibal ad Prusiam Bithyniæ regem profugit, & qvum illum sibi dedi Romani postularent, hausto veneno vitam finiit. *De Annibalis morte diversas historicorum opiniones lege apud Plutarchum in vita Annibalis & Qvinti Flaminii. Item apud Æmilium Probum in vita Annibalis. Meminit Juvenalis Satyra 10. Julius Obseqvens cap. 5. prodigiorum. Plinius de viris illustribus. Silius Italicus lib. 13. Habet de sepulchro ejus Plinius lib. 5. cap. 32.*

Antiocho successit filius ANTIOCHUS EPIPHANES. (*Livius libr. 45.*) Qvi & ipse per insidias Ægyptum occupare cogitabat, cum esset Ptolomæi Philometoris, Ægypti regis, qvi mortuo patri [*Ante Æ. V. 180.*] successerat, avunculus. Itaqve tutorem se professus adolescentis (*erat enim ex sorore Cleopatra natus, unde ob cognationem simulabat tutelam,*) op-

pri

primere illum, ac rei summam ad se traducere constituit: sed intellectâ fraude, Romani, qvorum auxilia demùm sollicitaverant Ægyptii, legatum miserunt, C. Popilium Lenatem, (*Plinius mendosè Octavium vocat, Vellejus Marcum; Justinus Publium,*) is, cùm in Colloqvium venisset, Antiocho, populi Romani nomine, denunciat, ut ab Alexandria, qvam obsidebat, discederet, qvi cùm deliberandi spacium peteret, ille virgulâ stantem circumscripsit, & qvid facturus esset, clarè jussit antè respondere, qvàm ex ea circumscriptione excederet. Ita perterrefactus, qvod populi Romani potentiam non ignoraret, pacem promisit. *Valerius Maximus libr. 6. cap. 4. Cicero Philipp. 8. Plinius lib. 84. cap. 6. Vellejus libr. 1. Justinus lib. 34. Appianus in bello Syriaco. Plutarchus Apophthegmat. tomo 2.*

Hæc eo commemorantur, ut videri possit, qvemadmodum Romani paulatim à parvis initiis creverint, ac progressus fecerint ad summam rerum constituendam. Jam enim virtus illorum egressa

finis Italiæ, in diversas qvidem mundi plagas impressionem fecit, sed permultum adhuc operis reliqvum erat, ad coacervationem illius imperii molis, qvæ potissimam orbis terrarũ partem ambitu suo complectitur, ut ordine deinceps, tametsi breviter, exponam.

Is, qvem supra dixi, PHILIPPUS, Macedonum Rex, qvòd à Romanis in angustias redactum se gravissimè ferret, (*Justinus lib.* 32.) bellum redintegrare cogitabat, sed præoccupatus morte, [*Ante Æram Vulg.* 179.] successorem habuit PERSEA filium, qvi jam pridem in Romanos exacerbatus, belli qvoqve gerendi velut hæreditatem suscepit. Sed L. Æmilius Paulus, II. Consul, [*Ante Æram Vulg.* 168.] prælio tandem illum vincit, [*Valerius lib.* 5. *cap.* 1.) & unà cum uxore, matre, liberisqve capit, inqve triumpho ducit, vocatus idcirco MACEDONICUS, ab eoqve tempore Macedonia facta est populi Romani provinciæ. *Messala Corvinus de Rom. historia.*

Secundum bellum Macedonicum describit Livius lib. 41. *& seqq. Plutarchus in Æmi-*

Æmilio Paulo. Diodorus Siculus libr. 31. Florus lib. 2. cap. 12. Eutropius lib. 4. Vellejus libr. 2. Orosius lib. 4. cap. 20. Meminit Valerius lib. 4. cap. 2. Cicero pro Muran. & 2. Offic.

Superiori proximo anno mortuus erat Ennius, [*Ante Æram Vulg.* 169.] annorum septuaginta, sicut ait Cicero. *In Bruto & in Catone. Livius lib. 47. Plinius de viris illustribus. Frontinus lib. 3. cap. 6.*

Paucis deinde pòst annis, P. Cornelius Nasica, [*Ante Æram Vulg.* 155.] Dalmatiam subegit: neqve multò pòst, Tertium est Bellum Punicum exortum. [*Ante Æram Vulg.* 149.] *Tertium bellum cum Pœnis gestum exponitur in Epitome Liviana, lib. 49. 50. 51. Scribitur ab Appiano in Lybica, à Plutarcho in Catone, ab Eutropio lib. 4. à Floro lib. 2. cap. 15. ab Orosio lib. 4. cap. 22.*

Et enim cùm Carthaginenses, qvietis impatientes & otii, reliqvis vicinis, præcipuè verò Masanissæ, Numidiæ Regi, populi Romani socio & amico, vim atqve bellum inferrent, solicitati Romani de auxiliis, bellum decreverunt, ad annum

urbis conditæ circiter sexcentesimum quartum. Sed in eo sententiis variabant, utrum everti civitatem, an verò servari oporteret integram: Una erat eorum sententia, qvi non delendam esse censebant, eò, qvòd Carthagine sublatâ fore dicerent, ut civilibus inter se dissidiis atqve bellis conflictarentur ipsi; M. autem PORTIUS CATO, diversum svadens, (*Plutarchus in Catone Majore*,) qvantum Reipublicæ Romanæ periculum impenderet ab ea civitate, nisi funditùs everteretur, demonstrabat, (*Plinius lib. 15. cap. 18.*) eaqve sententia vicit, (*Cicero in Bruto*,) ipso in hac deliberatione mortuo, [*Ante Æram Vulg.* 149.] cùm ad octogesimum qvintum annum ætatem produxisset. Eum Cicero numerat inter Oratores antiqvos, & proximum à MARCO CORNELIO CETHEGO ponit, qvem ab Ennio celebratum esse dicit. (*Ennius in 9. Annal.*, *Cicero de claris Oratoribus dicit, quod ob suaviloquentiam sit dictus Suaviimedulla*) Catonis autem orationes extare centum, ait, qvinqvagin-

ginta, refertas & verbis & rebus illustribus, & sui temporis homines delicatiores reprehendit, qvod non eas diligenter evolvant. Confert eum cum LYSIA Scriptore Attico. *Vide Gellium lib. 13. cap. 18. Ciceronem septimâ Verrinâ, Valerium Maximum lib. 3. cap. 5. Senecam Epistola 87.*

Bello Punico tertio præfectus demum fuit P. SCIPIO ÆMILIANUS, Paulli Macedonici filius, P. verò Scipionis Aphricani, per adoptionem, nepos. *Vellejus lib. 1.* Is post inchoatum bellum ab aliis, anno qvarto, [*Ante Æram Vulg. 146.*] Carthaginem aliqvot diebus vehementer oppugnatam capit, diripit, incendit, (*urbs inflammata 16. arsit dies,*) complanat: adeptus ideò cognomen, ut Aphricanus etiam diceretur, sicut ille, qvi Annibalem debellavit, ut suprà dictum est. *Appianus in Lybico. Plutarchus in Scipione. Plinius lib. 15. cap. 18. Livius Epit. 51. Florus lib. 2. cap. 15. Solinus cap. 40. Strabo lib. 16.*

Et hic qvidem est urbis potentissimæ finis, qvæ origine vetustior qvàm Romana, & ducum præstantiâ ferè non inferior, longè lateqve dominata fuit.

De tempore Carthaginis conditæ discrepant authores. Justinus lib. 12. septuaginta duobus, Livius Epitom. 51. nonaginta tribus Româ vetustiorem faciunt. Eusebius ejus ortum collocat in annum 40. ante Ilium captum, Appianus in quinquagesimum. Vide Orosium lib. 3. cap. 6.

P. Scipionem Cicero (*Verrin. 6.*) scribit, Carthagine capta, Siculis reddidisse, qvæ superioribus annis Carthaginenses illis ademerant, signa & ornamenta, & Agrigentinis qvidem Taurum illum nobilem, qvem PHALARIS tyrannus [*Innotuit Seculo sexto ante Æram vulgarem,*] habuisse dicitur, qvo vivos, supplicii causa, demittere homines & subjicere flammam solebat.

De Phalaride ejusqve Tauro Orosius lib. 1. cap. 20. Valerius lib. 5. cap. 1. lib. 9. cap. 2. Plutarchus in Paral. *34. cap. 8. Cicero in Pisonem. 5. Tuscul. Seneca de clement. lib. 2. cap. 3. Juvenalis Satyrâ 8. Persius Satyrâ 3.*

Phalaris hic non ex insidiis interiit, ut alii multi tyranni, sed in eum universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. *Cicero in Officiis, lib. 2. Valerius lib.*

lib. 3. cap. 3. Ovidius in Ibin. Meminit hujus tyranni Diogenes Laërtius lib. 9. suum nomen non exprimit.

APHRICAM Cicero (*pro Ligario*) vocat *provinciarum omnium arcem. Bello Punico Carthaginensium regio in provinciæ formam redacta est, teste Vellejo lib. 1. & Strabone, libro ultimo. Idem patet ex* F. *Rufo & Salustii historiâ Jugurthinâ.*

Eodem ferè tempore, bellum Romani fecerunt ACHÆIS, Græciæ populo, propter violatos legatos. (*De causa belli variant authores, qui hujus belli historiam exposuerunt.*) Belli dux erat L. MUMMIUS Conf. qvi prælio victor Achaiam omnem deditione cepit, & CORINTHUM, primariam urbem, ac totius Græciæ lumen, ut Cicero inqvit, (*pro L. Manilia, item 1. Offic. in Agrar. contra Rullum, III. Verr.*) ex Senatusconsulto incendit, funditusqve sustulit, (*Ante Æram Vulgarem 146.*) ne qvando recreata exsurgere atqve erigere sese posset. MUMMIUS ob eam rem vocatus est ACHAICUS. *Vellejus Paterculus lib. 1. De Bello Achaico legatur Livius lib. 52.*

Vellejus lib. 1. Florus lib. 2. cap. 16. Eutropius lib. 4. Pausanias lib. 7. Justinus lib. 34. Festus Rufus. Orosius lib. 5. cap. 3. Plinius lib. 34. cap. 2. Meminit Virgilius lib. 6. Plinius de viris illustribus.

Ad hoc etiam tempus LUSITANIAM occupavit VIRIATUS (*Livius lib. 52.*) qvidam, ex pastore venator, ex venatore latro, ac deinde validi exercitus dux factus: qvi cum Romanis, per aliqvot annos, (*decem Justinus lib. 44.*) ac sæpè qvidem feliciter præliatus, insidiosè tandem fuit interfectus: (*Valerius lib. 9. cap. 6. Livius Epit. 54. Strabo lib. 3. Festus Rufus,*) ac tùm demum DECIUS JUNIUS BRUTUS, Consul, Lusitaniam ad Oceanum usqve perdomuit. [*Ante Æram Vulg. 138.*

De re gesta cum Viriato legatur Appianus *in Hispanicis. Florus lib. 2. cap. 7. Vellejus lib. 2. Eutropius lib. 4. Orosius lib. 5. cap. 4. Meminit Viriati Cicero 2. Officiorum, Plinius de viris illustribus, Silius lib. 3.*

Romani magnam intereà cladem à NUMANTINIS, Hispaniæ populo, acceperant: cùmqve pacem à Mancino Consule factam repudiarent, qvòd esset ignomini-

nio-

niosa, P. Scipionem Æmilianum Aphricanum extra ordinem denuò creant consulem, eiqve bellum demandant. *Livius lib. 55. Vellejus lib. 2. Orosius lib. 5. Cicero 3. de Offic.*

Is cum exercitu profectus, & ad severam disciplinam revocato milite, qvi mollior factus erat, & laboris impatientior, (*Eutropius lib. 4.*) Numantiam urbem, ubi circumvallasset aliqvandiu, cepit ac delevit, anno post deletam Carthaginem decimo qvarto, urbis conditæ anno sexcentesimo. [*Ante Æram Vulg.* 133.] *Vide Florum lib. 2. cap. 18. Strabonem lib. 9. Appianum in Ibericis, qvi Scipionem ex hac victoria cognomen Numantini accepisse tradit.*

Carthaginem, Numantiamqve Cicero vocat *duos terrores Imperii Romani. In Orat. pro L. Murena & pro lege Manilia.*

Eodem tempore Servorum est ortus in Sicilia tumultus, qvi maximis collectis copiis, vix tandem à C. FULVIO

Consule fuerunt oppressi. *Belli servilis historiam expositam luculenter à Diodoro Siculo edidit Latinè Henricus Stephanus. De eodem scribit Livius Epit. 56. Florus lib. 3. cap. 19. Meminit Appianus lib. 1. Orosius lib. 5. cap. 6. Non autem C. Fulvius servos subegit, sed bellum, sub ejus consulatu ortum, triennio post P. Rupilius confecit, provinciamque ordinavit. (Ante Æram Vulg. 132.) Vide Sigonium commentario in Fastos Romanos. Just. lib. 18.*

Post hæc, bellum fuit Romanis cum ARISTONICO in Asia; Nam Pergami Rex ATTALUS, populum Romanum testamento fecerat hæredem. *Livius Epitom. 58. Appianus in Mithrid. Justinus 36. Florus lib. 2. cap. 20. Strabo lib. 14. Eutropius lib. 4. 1. Vellejus lib. 2. Cicero Philippicâ 11. Festus Rufus. Meminit Horatius lib. 2. Ode 18. Plutarchus in Gracchis.*

Aristonicus autem, ejus propinqvus, occupatâ eâ parte Asiæ, testamento Romanos fraudabat. Hunc & debellavit & tandem cepit M. PERPENNA Consul. [*Ante Æram Vulg. 130.*] *Livius Epit. 59. Valerius lib. 3. cap. 4. Justinus lib. 36. in fin.*

Anno

Anno autem seqventi, [*Ante Æram Vulgarem 129.*] qvi fuit annus urbis conditæ DCXXV. P. Scipio Aphricanus, domi suæ cubans, noctu fuit oppressus à propinqvis, uti creditur. *Vide Livium libr. 59. Vellejum 2. Appianum 1. Plutarchum in Gracchis. Ciceronem in Lælio & Milone. 3. de Natura Deorum. Orosium lib. 5. cap. 10. Suspicio de Sempronia, Tiberii Gracchi filia, Africani uxore, est in Epitom. Livii: De Sempronia ac Cornelia socru in Appiano lib. 1. de bellis civilibus. Hinc Cicero in somnio Scipionis dixit: Si impias propinquorum manus effugeris. Existimatus est quoque C. Carbo tribunus plebis Africam vim attulisse, Cicero lib. 7. Epistolarum ad famil. 21. ad Pætum, ad Quintum Fratrem lib. 2. Epistolâ 3. Metellum Macedonicum hujus cædis insimulat Plinius. lib. 7. cap. 44. Appianus addit non defuisse, qui Scipionem sibi ipsi mortem intulisse, scripserint.*

Eloqventiam, summam fidem, integritatem, ei Cicero (*pro L. Murena*) tribuit: & qvanqvam ipsius interitu maximum dolorem civitas tota perciperet, nul-

nullam tamen qvæstionem de illius morte latam fuisse scribit (*pro Milone.*) Solem verò fuisse geminatum eodem anno tradit. (*Meminit ejusdem Vellejus 2. de natura Deorum.*) Itaqve ducum longè omnium præstantissimus periit, natus annos LVI. qvod qvidem Africanum ei majorem præsignificasse, commentatione qvadam svavissima fingit Cicero. *In somnio Scipionis.*

Vixerunt (*Vellejus lib. 2.*) hac ætate Lucilius, Terentius, Pacuvius, Accius, Licinius, Cæcilius, Afranius: & Pacuvium qvidem C. Lælius, Aphricano conjunctissimus, (*Cicero in Lelio*) amicum suum vocat, Terentium verò familiarem. *De his legatur Gellius lib. 13. cap. 23. & lib. 17. cap. ult. Lilius Gyraldus historiæ Poëtarum dialogo 4. & Petrus Crinitus.*

Post hæc Fabius Maximus consul, Allobroges, Arvernos, Rutenos, Galliæ populos, ingenti prælio superavit. [*Ante Æram Vulg. 120.*] *Livius Epit. 61. Strabo lib. 4. Orosius lib. 5. cap. 14. Florus lib. 3. cap. 2. Cæsar 1. de bello Gallico. Appianus in Celtica. Plinius lib. 7. cap. 50.*

Eodem

Eodemqve tempore fuit interfectus Romæ C. GRACCHUS, tribunus plebis, vir eloqvens, legis Agrariæ defensor, cùm ante annos XII. ejus frater TIBERIUS GRACCHUS consimili de causa cæsus fuisset. *De Cajo Graccho videatur Plutarchus in Gracchis, Appianus 1. de bellis civilibus. Orosius lib. 5. cap. 8. Florus lib. 3. cap. 15. Vellejus lib. 2. Livius Epit. 61. Valerius lib. 6. cap. 3. Salustius in Jugurthina. Augustinus lib. 3. cap. 24. de civitate Dei. Tiberii Gracchi interitum refert Livius Epit. 58. Florus lib. 3. cap. 14. Plinius de viris illustribus. Valerius lib. 6. cap. 3. Seneca de consolatione ad Martiam.*

Utriqve Cicero (*in Bruto*) tribuit eloqventiæ laudem, & Tiberii qvidem orationes non satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiæq; plenissimas, C. verò, fratrem ejus, legendum esse cumprimis juventuti dicit, qvòd non solum acuere, sed etiam alere ingenium possit, eumq; vocat Romanorum ingeniosissimum atqve eloqventissimum.

Somniaverat Gracchus (*Valer. Max. lib. 1. cap. 7. Plutarch.*) Tiberium fratrem sibi

sibi visum esse dicere, fore, ut eodem le tho, qvo ipse, periret: & hoc illum dixisse nonnullis, anteqvàm Tribunus plebi factus esset, Cicero refert, *libr. 1. de divinatione.*

EXTANT illorum leges frumentariæ, de coloniis deducendis, de commodis militum, de provinciarum administratione, de populi suffragiis, de locatione agri Attalici & Asiæ: *Vid. Fr. Hottomanni Comment. de legibus Romanis. Johannis Rosini antiquitates Romanas, lib. 8.*

Hos Motûs Tribunitios consecutum est bellum populi Romani cum JUGURTHA Numidiæ rege, (*Plinius de viris illustribus*) qvod qvidem bellum à L. CALPHURNIO BESTIA Cos. susceptum, & à Q. CÆCILIO METELLO continuatum; à C. MARIO CONSULE, qvi P. Scipioni militaverat, tandem confectum est: (*Plinius lib. 37. cap. 1.*) Nam Rex Mauritaniæ BOCCHUS, Jugurthæ socius, prælio victus, cùm belli periculum nollet sustinere diutius, vinctum Jugurtham SYLLÆ tradidit, [*Ante Æram Vulgarem 105*] qvi missus à Mario fuerat, hujus rei causâ. *Vid.*

Salu

Salustii Jugurthinam historiam. Livium Epit. 64. & seqq. Florum lib. 3. cap. 1. Eutropium lib. 4. Vellejum 2. Orosium lib. 5. cap. 15. &c. Traditionem hanc in annulo suo Sylla expressit, ut Plutarchus *in vita & in Mario, Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. testantur.*

Et ad hoc ipsum tempus, qvod erat urbis conditæ anno DCXLVIII. natus est M. Tullius Cicero, [*Ante Æram Vulg. 107.*] *Gellius lib. 15. cap. 8.* cùm annis ante ipsum octo natus esset Q. Hortensius, clarissimus Orator. *Cicero in Bruto.*

Per bellum Jugurthinum Cimbri & Theutoni innumerabili multitudine penetrant, alii in Italiam, alii in Galliam; ac ubi maximis cladibus populum Romanum affecissent, & nunc proconsules, nunc Legatos aliqvot præliis vicissent, tandem ad internecionem cæsi fuerunt à C. MARIO IV. consule, Theutoni qvidem ad Aqvas Sextias, provinciæ Galliæ oppidum, [*Ante Æram Vulg. 102.*] Cimbri autem ad fines Insubriæ. [*Ante Æ. Vulg. 101.*] *Plutarchus in Mario. Appianus in Celticis. Livius Epit. 68. Florus lib. 3. cap. 3.*

Eutro-

Entropius lib. 5. Orosius lib. 5. cap. 16. Bellum Cymbricum Cicero, in Orat. de provinciis, Gallicum vocat.

Hanc felicitatem excepit novus tumultus. Nam Italiæ populi aliqvot à Romanis defecerunt, SAMNITES, PELIGNI, MARSI, VESTINI, MARRUCINI, UMBRI, PICENTES, LUCANI. *De his Italiæ populis videatur Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. cap. 5. Silius lib. 8. Pomponius Mela lib. 2. cap. 8. Historia legatur apud Livium Epit. 72. Florum lib. 3. c. 8. Velleium lib. 2. Eutropium l. 5. Appianum Alexandr. lib. 1. de bellis civilibus. Orosium lib. 5. cap. 18. Meminit Augustinus de civitate Dei lib. 5. cap. 22. Horatius Ode 4. lib. 3.*

Variè [*Ante Ær. Vulg. 90.*] cum his pugnatum est, & vix tandem ad officium reducti fuerunt. *Bellum hoc, quia à Marsis inchoatum, Marsicum nominatur à Strabone libr. 5. cum hoc facit Cicero Philippicâ 8. in orat. contra Rullum. Item Plinius lib. 8, cap. 57. lib. 25. cap. 5. Eidem & Sociale dicitur, lib. 32. cap. 1, ubi simul origo indicatur, & lib. 33. cap. 3. Aliàs & Italicum appellatur à Cicerone, Verrinâ 4. pro Cluentio, pro Archia & de Aruspicum responsis*

Per-

Portentum, quod hoc bellum praecessit, refertur à Plinio lib. 2. cap. 83. ubi etiam Italiae funestissimum fuisse annotatur. Vastitatem, quam Italiae intulit, indicat Florus lib. 3. cap. 18. Defecerunt autem eo bello finitimi ac vicini, ut ait Cicero pro Sylla.

Mox aliud malum, ac Reipublicae perniciosissimum intervenit: MITHRIDATES, Ponti rex, Cappadociae regem Ariobarzanem, & Bithyniae regem Nicomedem, populi Romani Socios & Amicos, finibus ejecerat, & occupatâ Phrygiâ, Romanorum provinciâ, penetraverat in Asiam. *De hoc bello legatur Orosius lib. 6. cap. 2. Eutropius lib. 5. Florus lib. 3. cap. 5. Livius Epit. 78. Cicero pro lege Manilia. Valerius lib. 9. cap. 2. Plutarchus in Sylla. Appianus in Mithridate. Justinus lib. 38.*

Itaque, Senatus bellum decrevit: *Florus lib. 3. cap. 21.* Hic autem orta factione, alii L. SYLLAM, nobili genere natum, alii C. MARIUM poscebant Imperatorem. Marii partes juvabat P. SULPITIUS, tribunus plebis. *Livius Epit. 77. Vellejus 2. Valerius lib. 9. cap. 5. Appianus lib. 1. belli civilis. Plutarchus in Mario & Sylla. Cicero in Bruto.*

Habe-

Habebat autem exercitum Sylla, Mariumqve urbe ejicit, qvi maximo deinde vitæ periculo, cùm in paludibus circa Minturnas delituisset, parvâ naviculâ in Aphricam trajecit exul. [*Ante Æram Vulg. 88.*] *Vellejus lib. 2. Cicero, pro Sextio. in oratione ad Qviritès post reditum, in Pisonem. Livius Epit. 77. Ovidius lib. 4. de Ponto, elegiâ 3. Juvenalis Satyrâ 10. Lucanus lib. 2. Plinius de viris illustribus. Valerius Maximus lib. 8. cap. 2.*

Per absentiam Syllæ, belligerantis in Asia, L. CORNELIUS CINNA, Consul, tumultuari cœpit, & moliri res novas: (*Livius Epit. 79. Cicero 3. Catilinariâ*) verùm ejectus à CN. OCTAVIO collega, & pulsus urbe colligit vires, & C. Marium, ista occasione reversum ex Aphrica, sibi conjungit: *Bellum hoc Octavianum dicitur, cujus meminit Cicero lib. 1. de divinat. & 2. de Natura Deorum. Plutarchus in Sylla. Appianus lib. 1. Vellejus lib. 2. Eutropius lib. 5.*

Itaqve contractis copiis Romam obsident ambo, qvâ parte Janiculum erat: cùm non ignavè tantum, sed & perfidio-

se multa in urbe fierent, neqve jam illis resisti posset, intromisit cædibus atqve rapinis omnia complent: (*Livius Epit. 80. Orosius lib. 5. cap. 19. Lucanus lib. 2. Sallustius 1. Histor.*) deinde seipsos renunciant Consules, [*Ante Æram Vulgarem 87.*] in eoqꝫ Magistratu crudeliter multa fecerunt: & L. qvidem Cinna præstantissimum Oratorem M. Antonium interfici jussit; Marius verò Q. Catulum. *Quomodo uterque ab inclementi victore vitâ expulsus sit, scribunt Florus lib. 3. cap. 21. Eutropius lib. 5. Meminit Cicero lib. 3. de oratore. 5. Tusculanâ, in Bruto, lib. 3. de Natura Deorum. Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. Vellejus lib. 2. & Florus dicto loco, de morte Catuli nonnihil variant.*

His rebus cognitis, L. Sylla, cùm pleraqve omnia bello recuperasset, pace cum Mithridate facta, in Italiam revertit: sed jam è vita decesserat Marius VII. Consul. *Cicero lib. de Natura Deorum. Livius Epit. 80. & 83. Plinius de viris illustribus.*

L. verò Cinna collegam habebat suarum partium CN. PAPIRIUM CARBONEM: (*Livius Epit. 86. & 88.*) qvi, licet vim ac

arma

arma Syllæ opponerent, unà cum filio Marii, profligati fuerunt: & Sylla rerum potitus, adversarios omnes acerbissimè persequitur, proscriptionis tabulam proponit, proscriptorum bona vendit, eorumqve liberis facultatem eripit, atqve jus, ullos honores in Republ. conseqvendi. (*Cicero 2. de Offic. Augustinus de Civitate Dei, lib. 3. cap. 28. Lucanus lib. 2. Cicero 3. de legibus.*) Factus inde Dictator, [*Ante Æram Vulg. 82.*] (*Florus lib. 3. cap. 23.*) pro suo arbitratu omnia constituit, ac tribunitiam potestatem infringit, & qvum civium Romanorum bona venderet, prædam se suam vendere, pro concione dicebat: breviter, nemo illo invito, nec bona, nec patriam nec vitam retinere poterat. *Livius Epit. 88. Plutarchus in Sylla. Appianus 1. civil. Orosius lib. 5. cap. 21. Cicero pro Ligario: Sylla omnes, qvos oderat, morte mulctabat. Seneca de beneficiis, lib. 5. cap. 16. L. Sylla patriam durioribus remediis, qvàm pericula erant, sanavit. Florus lib. 3. cap. 2.*

In C. verò Marium odio tam acerbo fuit incitatus, ut ejus reliqvias, apud Anienem fluvium sitas, dissipari jusserit.

Cic

Cicero 2. de Legibus. Plinius lib. 7. cap. 54. ipse autem primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari, fortasse timens idem suo corpori posse accidere. *Quomodo Sylla in agro Cumano mortuus, anno ætatis 60. & Romam perlatus, cum magna pompa, in campo Martio sepultus sit, præter cæteros Appianus lib. 1. copiosè narrat. Meminit Livius Epit. 90.*

Mario vim & virtutem, & in iracundia perseverantiam Cicero tribuit: Syllam, vehementem, L. verò Cinnam vocat (*Actione 5. in Verrem, seu de suppliciis, 3. de Natura Deorum*) crudelem, Marium appellat etiam terrorem hostium, spem, subsidiumq; patriæ. *Cicero lib. 3. de finibus, Syllam trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ & crudelitatis magistrum vocat. Marium in Oratione pro Sextio conservatorem patriæ, tertiâ Catilin. custodem urbis, pro* C. *Rabyrio patrem patriæ, parentem libertatis & Reipublicæ appellat. Lucanus lib. 1. Pharsal. Syllam scelerum magistrum nominat.*

L. Sylla qvatuor novas leges tulit, *de falso, de parricidio, de sicariis,*

riis, de injuriis. Hottom. de legibus Rom.

Ipso Dictatore, M. Cicero natus annos XXVI. [*Ante Æram Vulgarem 81.*] in forum prodiit, & pro S. Roscio publicam causam dixit. *In hoc Gellius libr. 15. cap. 28. Quintilianus lib. 12. cap. 6. Asconius & alii consentiunt. Conradus Fenestella errorem à Pædiano notatum, sequi maluit.*

Ante ipsum clarissimi nominis oratores fuerunt, Q. CATULUS, C. JULIUS, M. ANTONIUS, L. CRASSUS, cujus qvidem ætate lingva Latina suam qvasi maturitatem habuit ut ait Cicero, *in Bruto.*

Fuit autem hæc Ciceronis ætas omnium eruditissima; nam ut tot, tamqve præstantes oratores omittam, Jureconsulti qvoqve fuerunt insignes, in his C. AQVILIUS GALLUS, L. LUCILIUS BALBUS, C. JUVENTIUS, SEXT. PAPIRIUS, auditores Q. MUTII SCÆVOLÆ Pontificis, cui & Cicero dedit operam adolescens. *Pomponius tit. de origine juris. Plutarchus in Cicerone. Cicero lib. 1. de Legibus & in Brut.*

Æqvalis autem propè Ciceronis erat P. SER-

P. SERVIUS SULPITIUS, qvi superiorum auditor, discipulos habuit, A. Offilium, P. Alphenum Varum, Cajum, Titium Cæsium, duos Aufidios, C. Attejum Pacuvium, Flavium Priscum, Cinnam, P. Cæcilium. *De veterum Jurisconsultorum vitis extant Bernhardi Rutilii & Aymari Rivalii commentarii.*

Floruit etiam cum Sulpitio, C. TREBATIUS, cui discipulus fuit Antistius Labeo.

Sulpitium mortuum Cicero *Philippicâ 9.* verbis amplissimis laudans, Omnes, ait, qvi ex omni ætate hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpitio non sunt comparandi. Neqve enim ille magis Jurisconsultus, qvàm Justitiæ fuit.

Ex proscriptorum numero Q. SERTORIUS restabat, vir animi robore belliqve scientiâ præclarus. Is in ulteriori Hispania gravissimum bellum excitavit, & devictis aliqvot ducibus populi Romani, complures urbes in suam potestatem redegerat. *Livius Epitome 90. & seq. Florus lib. 3. cap. 22. Eutropius lib. 6. Appianus lib. 2.*

Plutarchus in Sertorio & Pompejo. Orosius lib. 5. cap. 23.

Itaqve belli administratio tandem commissa fuit CN. POMPEIO: cùmqve variâ fortunâ sæpè pugnatum esset, tandem insidiosè fuit interfectus Sertorius, & Pompejus deinde decimo ferè anno post inceptum bellum, HISPANIAS recipit. [*Ante Æram Vulgarem 71.*] *Vellejus lib. 2. Florus lib. 3. cap. 22. Livius Epit. 96. Vide literas Pompeji ad Senatum apud Salustium, item Ciceronem in Maniliana.*

In hoc tempore NICOMEDES, Rex Bithyniæ, moriens populum Romanum instituit hæredem (*Livius Epit. 93.*) Mithridates autem, Ponti rex, qvi fœdus anteà cum Sertorio fecerat, in illa Mariana & Syllana factione, occupatâ Bithynia, maximis viribus bellum restaurat. *Appianus in Mithridatico, Florus lib. 3. cap. 5. Eutropius lib. 6. Cicero pro Murena & pro lege Manilia.*

In eum missus est cum exercitu L. LUCULLUS, qvi Consul eqvestribus præliis feliciter rem gessit, (*Livius Epitom. 94.*) ac deinde Proconsul, cæso exercitu, & ere-

ereptâ Bithyniâ, coëgit illum in Pontum retrocedere. [*Ante Æram Vulgarem 72.*] (*Livius Epitom. 95.*) Ibi qvoqve ingenti prælio victus Mithridates, ad Tigranem, Armeniæ regem, confugit, (*Livius Epitom. 97.*) Lucullus verò perseqvens & instans utriusqꝫ copias aliqvot præliis conscidit, (*Epit. 98.*) & qvo minùs bellum planè conficeret, optatumqve victoriæ fructum atqve laudem reportaret, in causa fuerunt seditiones militares, callidè à nonnullis excitatæ, *Dio lib. 35. Plinius de viris illustribus. Florus lib. 3. cap. 5. Eutropius lib. 6. Appianus in Mithridatico. Vellejus lib. 2. Orosius lib. 6. cap. 2. & seqq. Cicero pro Archia.*

Nam paulò pòst revocato Lucullo, belli administratio commissa fuit Cn. Pompejo: cujus qvidem rei svasor etiam fuerat M. Cicero, (*pro L. Manilio,*) qvum in Pompeji laudem luculentam haberet ad populum orationem. *Livius Epit. 100. Dio 36. Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Pompejo.*

Lucullus revocatus triumphavit nihilo secius, & epulum splendidissimum

populo Romano dedit; *Cicero Academ. qu. libr. 4. Athenæus libr. 6.* Relictâ deinde Republicâ, domi vixit privatus in Philosophiæ studio, & amplissimam instituit Bibliothecam, in victu qvotidiano splendidus & magnificus, ut anteà semper. Ejus Bibliothecæ meminit Cicero *3. de fin.* seqve eò venire solitum esse ostendit, ut libros inde promeret. *Plinius lib. 18. cap. 5. Lucullum, senem triumphantem appellat, Vellejus lib. 2. Xerxem togatum.*

Pompejus Mithridatem in fugam conjecit, longissimeq; persecutus est. Et Tigranem regem deditione cepit: qvumqve in suis castris illum supplicem abjectumqve vidisset, erexit, ut ait Cicero *(pro Sextio)* atqve insigne regium, qvod ille de suo capite abjecerat, reposuit, & imperatis certis rebus regnare jussit, [*Ante Æram Vulgarem 66.*] *Plutarchus in Pompejo. Livius Epitom. 101. Florus lib. 3. cap. 6. Eutropius lib. 6. Dio lib. 36. Valerius lib. 5. cap. 1. Orosius lib. 6. cap. 3.*

Mithridates tandem obsessus à filio suo Pharnace, mortem sibi conscivit ipse. [*Ante Æram Vulg. 63.*] *Plinius de viris illu-*

illustribus. Livius Epitom. 101. Diodorus lib. 37. Appianus in Mithridatico. Eutropius lib. 6. Plinius lib. 23. cap. 5. Florus lib. 3. cap. 5. Valerius lib. 9. cap. 2. Orosius lib. 6. cap. 5.

Cn. Pompejo magnam authoritatem conciliaverat bellum illud, qvod cum PIRATIS gessit: [*Ante Æram Vulgarem 66.*] qvod qvidem fuit antè, qvàm in Mithridatem iret. *Bellum hoc à Salustio in Catilinaria maritimum: à Cicerone ad Qvirites, post reditum, Piraticum nominatum, describit* Dio *lib. 36. Florus lib. 3. cap. 6. Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Pompejo. Livius Epit. 99. Vellejus lib. 1. Eutropius lib. 6. Meminit Cicero pro lege Manilia. Lucanus 1. Pharsal.*

Et victis cedat piraticæ laurea Gallis,
Magne times. -- -- -- --

Eo sedato bello, mox aliud incendium civile ortum est, (*Cicero in Catilinariis.*) Nam L. CATILINA, cum aliis multis, in perniciem Reipublicæ conjuraverat: Verùm singulari CICERONIS industriâ, qvi tùm CONSUL erat, patefacto scelere, pulsus urbe, cùm copias in Hetruria & manus perditorum hominum coëgisset, à C.

à C. ANTONIO consule, Ciceronis collegâ, prælio victus occubuit. [*Ante Æram Vulgarem 63.*] *Livius Epit. 103. Florus lib. 4 cap. 1. Vellejus lib. 2. Appianus lib. 2. de bello civili. Eutropius lib. 6. Salustius in Catilinar. Dio lib. 37. Bellum Catilinarium luculenter descripsit Constantinus Felicius Durantius.*

Operam, qvam tum Reipublicæ præstitit, Cicero (*pro Sylla, in Pisone, Agraria 2.*) passim in suis scriptis prædicat, & non modò tunc visas nocturno tempore faces, ardoremqve cœli fulminumqve jactus, & terræ motus extitisse dicit, (*3. Catilinariâ*) verùm etiam illa prodigia, qvæ L. Cottâ & Torqvato consulibus, annis duobus ante ipsum Consulem acciderant, huc accommodat, qvando complures in Capitolio turres percussæ, & simulacra deorum depulsa, & statuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liqvefacta fuerunt, tactus etiam, qvi Romam urbem condidit, Romulus, parvulus atqve lactens, & uberibus lupinis inhians. *Eadem prodigia Cicero in secundo de consulatu, Uraniam Musam narran-*

rantem fecit, versibus elegantissimis, qui extant lib. 1. de Divinatione. De iisdem Obsequens.

Catilinæ naturam & ingenium Cicero (*pro Cælio*) describens, *nunquam*, ait, *fuisse tale monstrum in terris ullum, tam ex contrariis diversisque inter se repugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum. Libidinis ejus meminit Valerius lib. 5. cap. 1. Videatur Portius Latro in declamatione sua in Catilinam, Suidas in voce L. Sergius Catilina.*

Cicerone Consule, natus est C. OCTAVIUS, [*Ante Æram Vulgarem 63.*] & Judæa Romanis facta stipendiaria, cùm HIEROSOLYMAM CN. POMPEIUS EXPUGNASSET. [*Anno eodem, die 4. Julii, feria 7.*] *Vellejus lib. 2. Svetonius in Augusto, Gellius libr. 15. cap. 7. De Hierosolyma expugnata à Pompejo, legatur Josephus, lib. 14. cap. 8. Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 6. Tacitus*

 histo-

historiar. lib. 5. Dio lib. 37. Augustinus de Civitate Dei, lib. 18. cap. 45.

Qvinto pòst anno L. Pisone, A. Gabinio, consulibus, [*Ante Æram Vulgarem* 58.] HELVETII sedes mutarunt, & maximis cum copiis, per provinciam Galliam, constituerunt in reliqvam Galliam penetrare, & ibi propter agri fertilitatem considere. *Livius Epit. 103. & seqq. Florus lib. 5. cap. 10. Strabo lib. 4. Eutropius lib. 6. Vellejus lib. 2. Cæsar lib. 1. de bello Gall. Suetonius in Julio. Orosius lib. 6. cap. 7. & seqq. Dio lib. 38. Plutarchus in Cæsare.*

Qvo cognito, C. JULIUS CÆSAR, sex annis natu minor Cicerone, collecto exercitu, qvod ei provinciam Senatus attribuisset, profectus illuc, & commisso prælio fudit hostem: pòst etiam ARIOVISTUM, Germanorum regem, qvi Galliam Celticam, imprimis autem Heduos, populi Romani socios, oppresserat, non procul à Rheno debellavit, Vesontione, Seqvanorum oppido, profectus, omnem deinde GALLIAM in ditionem populi Romani perduxit, simul trajecto mari BRITANNIAM devicit. *Contrarium Pompejus apud*

apud Lucanum libr. 2. de Cæsare asserit;

Rheni gelidis qvod fugit ab undis,
Oceanumqve vocans incerti stagna profundi,
Tertia qvæsitis ostendit terga Britannis.

Ex Britannia Cæsarem ad se dedisse literas, ait Cicero (*ad Q Fratrem, libr. 3. Epistola 1.*) Calendis Septembris, qvas ipse pòst acceperit ad qvartum Calendas Octobris.

Cùm in Galliam Cæsar iret, Cicero vexatus à P. Clodio, Tribuno plebis, in exilium decessit, [*Ante Æram Vulgarem* 58.] *Dio libr. 38. Vellejus lib. 2. Plutarchus in Cicer.* oratione prius habitâ ad populum & eqvites, qva suos liberos atq; familiam illis commendat. *Oratio ad populum & eqvites habita, qvæ sub nomine Ciceronis extat, inelegans est, incontinna, insulsa atqve inepta, deniqve vix Latina, itaqve eam Ciceroni qvi adscribunt, eâdem operâ regi opulento vestem aliqvam crasso filo tritam & laceratam circumdant. Dionys. Gothofred.*

Revocatus autem aliqvot pòst mensibus [*Ante Æram Vulgarem* 57.] à Senatu maxima cum populi gratulatione, alteram habu-

habuit orationem ad Qvirites, qva gratias agit amicis. *Vide Ciceronis vitam à Francisco Fabricio descriptam. Orationes in L.* Pisonem *& de provinciis consularibus.*

Causam exilii pòst contulit in L. Pisonem, A. Gabinium, Consules, ab iisqve proditum sese demonstrat, habitis orationibus in utrumqve, qvarum in altera Senatui svadet, ut provincias illis adimant, Syriam ac Macedoniam, & ne C. Cæsarem, felicissimè belligerantē in Galliis, revocent, sed ut imperium ei proferant, qvo planè bellum conficiat.

Pisonem & Gabinium Coss. suis coloribus multis in locis depinxit Cicero in Orat. ad Qvirites post reditum : in Pisonem *: pro domo: pro Sextio in Vatinium: de provinciis consularibus &c.*

Interea Ptolomæus Auletes, Ægypti rex, propter ignaviam & crudelitatem, regno pulsus, Romam venit, & persvasus à Cn. Pompejo Senatus, per A. Gabinium restituit illum, [*Ante Æram Vulgarem* 55.] Archelao pulso, qvi de populi voluntate regnabat. *Livius Epit. 105. Dio lib. 39.*

Stra-

Strabo libr. 12. & 17. Plutarchus *in Pompejo.*

GABINIUS fuit damnatus tandem, ut in ærarium inferret decem millia talenta, vel, ut qvidam nostri homines rationem putant, sexagies centena millia, (*Budæus de asse lib. 3. Matth. Hostus rei num. lib. 2.*) qvòd tantam summam à Ptolomæo accepisset. *Dio lib. 39. Valerius lib. 4. cap. 12.* Cicero *pro C. Rabirio. Strabo lib. 17.*

M. etiam CRASSUS, cui Parthicum bellum fuit decretum, Euphrate transmisso, victus, in colloqvio deinde perfidè fuit interfectus. [*Ante Æram Vulgarem 53.*] *Livius Epit. 106.* D*io lib. 40. Justinus lib. 42. Vellejus lib. 2. Florus lib. 3. cap. 9. Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 13. Appianus in* Parthicis. P*linius lib. 33. cap. 10.* P*lutarchus in Crasso. Cicero 1. & 2. de divinat. ad Att. lib. 4. Epist. 12. Ovidius 6. Fastorum. Festus Rufus in compendio.*

Hic est ille, qvi dicere solebat, neminem esse divitem, nisi qvi exercitum alere posset suis fructibus. *Vide* C*iceronis paradoxon ultimum. Offic. lib. 1.* P*linius lib. 33. cap. 10. Item* D*ionem lib. 40. in*

histor.Crass.Exercitus autem constat legionibus qvatuor, teste Paulo Manutio.

Per hoc qvoqve tempus [*Ante Æram Vulgarem* 53.] fuit occisus à T. Annio Milone P. Clodius; Milonem Cicero defendit, Cn. Pompejo III. & solùm consule: sed ille tamen jussus est exulare. [*Ante Æram Vulgarem* 52.] *Dio lib.* 40. *Asconius Pedianus in argumento Milonianæ. Cicero ad* Att. *lib.* 9. *Epist.* 18. *Vellejus lib.* 2.

Confecto bello Gallico, qvod fuit octavo circiter anno, (*Cæsar lib.* 1. *de bello civili,*) BELLUM est natum CIVILE C. CÆSARIS, cum CN. POMPEIO genero. Caussa erat belli, qvod Cæsar à consulatu repudiaretur, ni dimitteret priùs copias, & provinciam traderet: illi verò persvasum erat, se salvum esse non posse, si ab exercitu recederet: ferebat tamen eam conditionem, ut tum ipse, tum Pompejus traderent exercitus, cùmqve id repudiaretur, progressus incredibili celeritate cum copiis, è Gallia venit in Italiam, & Flaminiam ingressus, oppida qvàm plurima, partim gratiâ, partim deditione capit. *De bello Civili inter Pompejum & Cæsa-*

Cæsarem gesto legatur Livius Epit. 110. & seqq. Plutarchus in vitis. Dio lib. 41. Florus lib. 4. cap. 2. Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 15. Appianus de bello civili. Lucanus in Pharsalia. Cicero in Epistolis ad Atticum.

Eâ re cognitâ, Pompejus & ambo consules, C. Marcellus & L. Lentulus Româ fugiunt, & Brundusium, Apuliæ oppidum maritimum, petunt. (*Cicero lib. 16. Epist. 11. ad famil.*) Eò venit etiam Cæsar, sed jam Consules, trajecto mari, Dyrrhachium iverant, neqve multò pòst inseqvitur eos Pompejus, (*Cicero ad Atticum, libr. 9. Epist. 2.*) & cum Cæsar, tempore exclusus, qvòd classem idoneam non haberet, illum perseqvi non posset, Romam venit, [*Ante Æram Vulgarem 49.*] & convocato Senatu, de injuriis qveritur, ac simul pacis cõditiones proponit: (*Cæsar lib. 1. de bello civili*) cùmqve remissius ageretur à Senatu, Massiliam petit, qvæ portas illi clausit. Itaqve, comparata classe, terrâ mariqve illam obsidet, &, relictis ibi legatis, in Hispaniam proficiscitur. Ibi PETREIUM, & AFRANIUM, Pompejanos duces, totumqve exercitum,

citum deditione tandem capit. *Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 15.*

Pòst Massiliam redit, (*Cæsar lib. 2.*) qvæ tum primum, desperatis rebus omnibus, in potestatem illius se permisit, & absens à M. LEPIDO Prætore Dictator factus, Romam venit, comitia habet, & Consul creatur cum P. Servilio Isaurico: deinde, rebus in urbe constitutis, in Græciam transmittit, ac tandem in Thessalia Pompejum maximo prælio vincit, [*Ante Æram Vulgarem 48.*] copiis multò superiorem, & castris exuit. *Plutarchus in Bruto, media æstate hoc factum scribit. Cæsar dicitur fugiente hoste suis acclamasse:* Parce miles civibus. *Florus lib. 4. cap. 2.*

Pompejus fugiens, Ægyptum petit. *Cæsar lib. 3.* Erat tum Ægypti rex PTOLOMÆUS DIONYSIUS, Ptolomæi Auletæ filius, qvem expulsum regno, Pompejus Consul per A. Gabinium reduxerat, ut suprà diximus. Propter hoc beneficium sperabat opem atqve tutelam in ea regione: *Cæsar lib. 2. de bello civil.* Rex autem erat ætate puer, ejusqve familiares, vel

qvèd

qvòd fortunam Pompeji despicerent, vel qvòd motum aliqvem metuerent, insidiosè illum interficiunt. [*Ante Æram Vulgarem 48.*] Cæsar fugientem persecutus, Alexandriam pervenit cum tribus millibus hominum & ducentis, atqve ibi primum de morte Pompeji cognoscit. *De Pompeji fuga & interitu Cæsar lib. 3. Livius Epit. 112. Plutarchus in Pompejo. Appianus lib. 2. Dio 42. Vellejus lib. 2. Florus lib. 4. cap. 2. Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 15. Lucanus lib. 8. Meminit Cicero 2. de Divinat. & lib. 3. Tuscul.*

Cicero (*Philippicâ 13.*) judicans de utroqve proximo bello, inqvit, *Si aliqvid de summa gravitate Pompejus, multum de cupiditate Cæsar dimisisset, & pacem stabilem, & aliqvam Rempublicam nobis habere licuisset.*

Gerebat tunc bellum Ægypti Rex cum Sorore CLEOPATRA. *Dio 40.* Cæsar itaq; cùm esset Alexandriæ, voluit de contro-

troversiis jure potiùs apud se, qvàm armis inter ipsos disceptari, eò qvòd Consul esset populi Romani, & qvòd, superioribus annis, cum Ptolomæo, patre regis, lege & Senatus consulto societas facta erat: Hoc ipsum verò indignissimè ferebant præfecti, qværentes majestatem regiam minui, qvòd ad dicendam causam evocaretur. (*Cæsar libro de bello civili.*) Concitatis ergo animis, bellum adversus Cæsarem moliuntur, sed ille post magna pericula victor, extincto Rege, non qvidem redegit Ægyptum in provinciæ formam, sed Cleopatræ ejusqve fratri minori regnum permisit. [*Ante Æram Vulgarem* 47.] *Plutarchus. Strabo lib. 17. Hirtius de bello Alexandrino. Orosius lib. 6, cap. 16.*

Inde profectus in Syriam, ac pòst in Pontum, PHARNAÇEM Regem, Mithridatis filiũ, profligat, Cappadociam, Armeniam, Gallogræciam, Pontum & Bithyniam pacat. *Hirtius de bello Alexandrino. Livius Epit. 113. Diogenes lib. 42. Orosius lib. 6. cap. 15. Eutropius lib. 6. Svetonius in Julio, cap. 35. Florus lib. 4, cap. 2.*

In

In Italiam ac Romam deinde reversus, [*Eodem anno 47. Ante Æram Vulg.*] media pòst hyeme, & ad Solstitium hybernum, ex Lilybæo trajicit in Aphricam, licèt à summo aruspice monitus esset, ne ante brumam transmitteret. (*Cicero 2. de divin.*)

Eo confugerant à pugna Pharsalica SCIPIO & CATO, M. Portii Catonis pronepos, magnisqve contractis copiis, JUBAM regem sibi consociaverant. Profectus igitur eò Cæsar ad internecionem omnes delevit. [*Ante Æram Vulgarem 46.*] *Appianus lib. 2. Dio lib. 43. Florus lib. 4. cap. 2. Hirtius de bello Africano. Suetonius in Julio, cap. 3. Orosius lib. 6. cap. 16. Eutropius lib. 6. Seneca lib. 3. Epistolarum.*

Et Cato qvidem, ne in illius potestatem veniret, Uticæ mortem sibi conscivit ipse, qvod qvidem Cicero (1. *Officiorum*) defendit, & cui incredibilem qvandam natura gravitatem dedisset, ei potiùs hoc faciendum fuisse dicit, qvàm tyranni vultus aspiciendus. *De Catonis Uticensis interitu legatur Livius Epit. 114. Plutarchus in vita Catonis. Appianus lib. 2. de bello civi-*

civili, Hirtius lib.5. Seneca Epist. 25. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Florus lib. 4. cap. 2. Cicero 1. Offic. & 1. Tuscul. 4. de Finibus lib. 9. Epist. ad Paetum. Lactantius lib. 3. cap. 18. Gellius lib. 13. cap. 18. Dio lib. 43. Horatius lib. 1. Ode 12. lib. 2. Ode 1. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 23. De illis autem, qui seipsos interficiunt, legatur Cicero Tuscul. quaest. lib. 1. & in somnio Scipionis, & Joseph. lib. 3. cap. 14. belli Judaici. Augustinus de civitate Dei, lib. 1. cap. 22. Sextus Pompejus lib. 3. de verborum significationibus in voce Carnificis.

Erat Stoicæ (*de Stoicis videatur Diogenes Laërtius lib. 7.*) disciplina Cato, & sententias horridiores nonnunqvam in senatu defendebat, tanqvam in Platonis versaretur politia, sicut ait Cicero, (*lib. 2. ad Atti. Epist. 1.*) non tanqvam in Romuli fæce. *De moribus Catonis videatur Lucanus lib. 2. Vellejus lib. 1. Salustius in Catilinaria. Augustinus lib. 5. cap. 51. Civitatis Dei scribit, Catonem à Pompejo, tanqvam belli civilis hæredem, relictum esse.*

Romàm posteà Cæsar venit: cùmqve de Gallia, Ægypto, Ponto & Aphrica tri-

triumphasset, adversus SEXTUM POMPEIUM, bellum suscepit, in Hispaniam profectus, eumqve debellavit. *Livius Epit. 115. Dio lib. 43. Hirtius de bello Hispaniensi. Svetonius in Julio, cap. 35. Orosius lib. 6. cap. 16. Eutropius lib. 6.*

Itaqve devictis omnibus adversariis, longè lateqve pacatis poculis, in urbem rediit anno qvinto, (*mense Octobr. Eo tempore annum ordinavit, ut nunc est, opera Sosigenis Mathematici, qvem ex Alexandria Romam duxit,*) post inceptum bellum civile, & cùm de Hispania triumphasset, Dictatoris qvoqve nomen atqve potestatem, sibi delatam, perpetuo sumeret, ac Senatum pro suo constitueret arbitratu, reliqvos etiam honores ac munera publica prope solus elargiretur, ac qvibus vellet, distribueret, in odia plurimorum incurrit.

Mutato igitur Reipublicæ Statu, & ad unius principatum redactâ summâ rerum, conjurationes in eum factæ, tandem exarserunt, & qvinto pòst mense, qvum Romam venisset, [*Ante Æram Vulgarem* 44.] in curia Pompeji, fuit Idibus

Mar-

Martiis interfectus, (*Plutarchus in Cæsar Florus lib. 4. cap. 4. Suetonius in Julio. Dio lib. 44. Orosius lib. 6. cap. 17. Zonaras tomo 2.*) ab iis ipsis, qvos recenti beneficio sibi devinxerat, qvibusqve ignoverat, qvòd bello Pompejano contra ipsum militassent. Hi erant M. & D. BRUTUS, C. CASSIUS, CN. DOMITIUS, C. TREBONIUS, Q. TULLIUS CIMBER, duo SERVILII, CASCA, HALA, & complures alii. *Appianus lib. 2.*

Ciceronem qvoqve M. Antonius Consul, collega Cæsaris, ut conscium cædis, ad Senatum coarguit, *Philippica 2.* qvòd, interfecto Cæsare, statim cruentum, altè extollens M. Brutus pugionem, ipsum nominatim exclamasset, atqve ei recuperatam libertatem esset gratulatus.

Tradunt nonnulli, C. Cæsarem Græcis verbis affatum esse M. Brutum irruentem, & appellasse filium: (*Suetonius in Julio, cap. 28. Dio 44.*) id qvomodo accipiant illi, nescio. Hoc qvidem ex Cicerone constat, Brutum annis qvindecim fuisse natu minorem illo. *Serviliam, M. Bruti matrem, à Cæsare unicè dilectam, & amplissimis muneribus donatam, autor est Suetonius in Julio, cap. 50.*

LEGES

LEGES aliqvot tulit, partim Consul, partim Dictator, qvæ propter ipsum JULIÆ dicuntur: *Agraria*, de *Judiciis*, de *Vi Majestatis*, *Repetundarum*, de *Sacerdotiis*, de *fœnore*. *Vide Hottomannum*.

Sunt aliæ qvædam ejus nominis, verùm ab Octavio latæ.

Clementiam Cæsari tribuunt omnes: Cicero (*Philipp. 2.*) etiam ingenium, acumen, rationem, memoriam, literaturam, cogitationem, diligentiam: sed ejus dominatum ægerrimè tulit, occultè tamen, & in qvadam ad Atticum Epistola, *intelliges*, inqvit, *id regnum vix semestre esse posse*. *Ad Atticum lib. 10. Epist. 7.*

Fuit autem in hac tota causa Cicero valdè lubricus, & inconstans: nam in bello secutus est partes atqve castra Pompeji, licet ipsius animi dejectionem atqve negligentiam reprehenderet, & in epistolis ad amicos, *C. Cæsarem belligerantem* vocabat *tyrannum atqve mon-*

monstrum. Ad Atticum lib. 8. Epist. 3 & 9. Sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est, item lib. 7. Epist. 19. & 20. lib. 10. Epist. 4. ad Atticum.

Profligato autem & extincto Pompejo, qvum Cæsar multis ignosceret, stylum vertit, & tribus habitis orationibus ad cœlum usqve laudibus eum efferebat; (*Cicero pro Ligario, Marcello, Dejotaro*) Cùmqve sibi fieri Cæsar insidias audisset, seqve satis vixisse nonnũqvam diceret, ille deprecatur, & orat, ut hanc opinionem deponat Nam etsi gloriâ sit cumulatissimus, ideoq; sibi qvidem satis vixerit, non tamen satis vixisse Reipublicæ, qvæ præsidio carere non possit ipsius atqve tutela. De periculo non esse, qvòd sit solicitus: Nam omnes, inqvit (*Cicero pro Marco Marcello*) tibi non modò excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur.

A nece verò Cæsaris mirum in modum exultabat, (*Philippica. 2.*) & qvi illum occidissent, eam gloriam consecutos esse dicebat, qvæ vix cœlo capi posse videretur,

tur, *libro 9. Epistolarum ad familiar. Ep. 28.* *cædem Cæsaris vocat divinum in Rempublicam beneficium.*

Hæc est igitur QVARTA & postrema MONARCHIA, qvo qvidem in loco notandum est, qvomodo ex minimis initiis paulatim ad summam potentiam creverit ea civitas, qvæ à pastoribus condita, domina tandem evasit orbis terrarum. *De victoriis populi Romani sic scribit Cicero lib. 3. in Verrem: Lugent omnes provinciæ, queruntur omnes liberi populi: regna denique jam de nostris cupiditatibus ac injuriis expostulant. Locus inter Oceanum nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quò non per hæc tempora nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit.*

Nunc deinceps breviter, qvantum licebit, exponam, qvemadmodum ab illo rerum fastigio, sensim posteà declinarit ad interitum.

FINIS LIBRI PRIMI.

JOHANNIS SLEIDANI,

De Qvatuor Summis Imperiis,

LIBER II.



CÆsare interfecto, C. OCTAVIUS, qvi Cæsaris sororis erat nepos, traductis ad se legionibus, acerbissimè persecutus est illius percussores. *Dio lib. 46. Livius Epit. 120. Appianus de bello civili lib. 3. Vellejus lib. 2. Suetonius.*

Et qvum initio pro Republica videretur in M. Antonium arma sumere, tandem partitus Imperium cum illo & M. Lepido, TRIUMVIRATUM instituit, [*Ante Ær. Vulg. 43.*]

43.] in qvo M. Cicero, qvi vehementer Antonium oppugnaverat, (*Philippicis suis*) trucidatus ab eo fuit, [*Eodem anno 43. ante Æram Vulg.*] natus annos LXIII. cùm ante annos octo mortem obiisset Q. Hortensius, totidem annis natu major illo, sicut supra dictum est. *De morte Ciceronis tradit Appianus lib. 4. Livius Epit. 120. Florus lib. 4. cap. 5. Plutarchus in vita.* Dio *lib. 47. Eutropius lib. 7. Vellejus lib. 2. Valerius lib. 1. cap. 4. & lib. 5. cap. 3. Orosius lib. 6. cap. 8.*

Ciceronem planè fefellerunt sua consilia; cùm enim à morte C. Cæsaris Rempublicam perturbaret ANTONIUS, C. Octavium, Cæsaris propinqvum, viginti annorum adolescentem, miris laudibus Senatui Cicero (*Philippica 5.*) commendabat, & svadere cœpit, ut non habita illius ætatis ratione crearetur Consul, adductis ex veteri memoria multis exemplis, qvamobrem id fieri posset, refutatis etiam iis, qvæ metuenda videbantur, fidem suam obligare se profitebatur Senatui, semper illum talem fore civem, qvalis tùm esset, qvalemqve eum maximè velle & optare deberent. Sed pòst ab illo destitutus, in Antonii manus devenit.

M. Brutus etiam graviter eum reprehendit, qvòd illi sic adularetur. *In lib. Epistolarum ad Brutum, Epistola 16. cui initium: Particulam.*

Cæterùm in æmulatione Imperii, natis, uti fieri solet, (*Sextus Aurelius: Imperia difficilè concordiam custodiunt. Dio lib. 49. Appianus lib. 5.*) offensionibus, cùm propter conjurationem in Octavium, triumviratu jam anteà [*Ante Æram Vulgarem 36.*] motus esset, & relegatus M. Lepidus; bellum in Antonium, alterum collegam, suscepit Octavius, & ipsum atq; Cleopatram, de qva supra diximus, post Actiacam victoriam [*Ante Æram Vulgarem 31.*] expugnavit ad Alexandriam, & ad mortem sibi ipsis inferendam, adegit, (*Ante Æram Vulgarem 30.*) & Ægyptum populi Romani provinciam fecit. *Dio lib. 50. & 51. Florus lib. 4. cap. 11. Vellejus lib. 2. Plutarchus. Eutropius lib. 7. Orosius lib. 6. cap. 19. Virgilius lib. 8. Horatius in Epod. Ode 9. Propert. lib. 3. Elegia 9. Item lib. 4. Elegiæ 6. Suetonius in Augusto, cap. 6.*

Tradunt authores (*Strabo lib. 17. ex Cicerone. Budæus de asse, lib. 4. Matth.*

Hostus

Hostius rei num. lib. 7.) Ægypti fructus annuos fuisse, Ptolomæo Aulete regnante, duodecim millia qvingenta talenta: hanc summam nostri temporis viri docti redigunt ad septuagies & qvinqvies centena coronatorum aureorum millia. Cùm autem in populi Romani deditionem venisset, multò putant fuisse fructuosiorem, propter Indiæ & Æthiopiæ commercia. *At Diodorus Siculus, qvi, ut ipse testatur, eodem Ptolemeo regnante in Ægyptum ivit, longè à Cicerone dissentit, reditum enim Ægypti fuisse dicit tantùm loc. c I3. talentorum. Isaacus Casaubonus in commentario ad Strabonem.*

Devicto & sublato Antonio solus per annos XLIV. Rempublicam gessit Octavius, & ipsius Imperii anno XXIX. conditæ autem urbis ter millesimo nongentesimo qvinqvagesimo qvarto, sicut pleriqve numerant, [*Revera ante Æram Vulgarem anno 2. ita, ut primus annus Æræ Vulgaris inierit cum tertio anno, à Nativitate* CHRISTI *numerando*] natus est Salvator noster JESUS CHRISTUS, qvum ante septem annos HERODES,

 cog-

cognomento MAGNUS, templum Hierosolymæ dirutum reædificasset magnificentissimè. [*Incepit ædificare templum ante Æram Vulgarem 19. & templum exterius absolvit octo annorum spatio, ante Æram Vulgarem 11.*] *Joseph. Antiq. lib. 16. cap. 14. de bello Judaico lib. 1. cap. 10.*

M. Antonius habebat in matrimonio, C. Octavii sororem, (*Vellejus lib. 2.*) sed amore captus Cleopatræ, cùm Asiam peragraret, illâ desertâ, duxit hanc uxorem, eaqve res partim etiam belli causam dedit. [*Ante Æram Vulgarem 32.*] *Dio lib. 50.*

Summus autem erat utriusqve luxus, deqve conviviis illorum atqve delitiis & voluptatibus incredibilia ferè prodiderunt authores: verùm is, qvem dixi, fuit ipsorum exitus, vitæqve finis. *Plutarchus in Antonio. Plinius lib. 9. cap. 25. Macrobius lib. 3. cap. 17.*

M. Antonius erat M. Antonii, de qvo suprà dictum est, Oratoris clarissimi, nepos.

C. Octavio regnante, populi Romani exercitus omnium primò bellum GER-

MA-

MANIÆ fecit, in ipsorum finibus. [*Ante Æram Vulgarem 11.*]

C. Julius Cæsar bis qvidem profligavit Germanos, Verùm in Galliis, nempè Ariovistum in Celtis, (*Livius de bello Gallico. Scilicet non procul à Rheno,*) & deinde ad Mosæ confluentem atqve Rheni: post eam victoriam, extructo ponte, Rhenum transiit, sed paucis diebus ibi commoratus, exercitum in Galliam reduxit; pontemque rescidit. *Cæsar lib.4.*

Biennio deinde pòst, rursùs ponte Rhenum transmisit, (*lib.6. belli Gallici*) paulò supra eum locum, qvo antea exercitum traduxerat, ac tum planè constituit in Svevos (*qvi in Saxoniæ parte habitabant ultima, ubi nunc est Pomerania,*) proficisci. Verùm per exploratores certior factus de rebus omnib9, & difficultatem veritus, inopiamqve commeatus, in Galliam se recepit, partem aliqvàm pontis rescidit, & in altera parte turrim atqve castellum constituit, præsidiisqve firmavit, ne sui reditus metum hostibus omninò tolleret. *Dio lib.39. & 40. Plutarchus in Cæsare. Orosius lib.6. cap.9.*

Et hæc qvidem solùm adversum Germanos gessit C. Cæsar, sicut ipse commemorat; (*lib. 4. & 6. de bello Gallico. Suetonius in Augusto, cap. 21. in Tiberio, cap. 9. Florus lib. 4. cap. 12. Horatius lib. 4. Od. 14.*) Verùm Octavius per Tiberium atq; Drusum fratres, bellum RHOETIS intulit, atqve VINDELICIS; & ex UBIIS, populi Romani sociis, eam Germaniæ partem, qvæ WESTPHALIA dicitur, invasit, duce QVINTILIO VARO: sed hunc ad internecionem propè concidit Cheruscorum dux ARMINIUS, inter Amisiam flumen & Lupiam. [*Anno Æra Vulgaris 10.*] Ejus morte gravissimè perturbatum Virgilium, Horatius (*Ode 24. lib. 1.*) carmine pulcherrimo consolatur. *Cladis Varinæ historiam habent Florus lib. 4. cap. 12. Suetonius in Augusto, cap. 23. Vellejus lib. 2. Sextus Aurelius Victor. Dio 56. Tacitus Annal. lib. 1. & lib. de moribus German. Orosius lib. 6. cap. 21. Zonaras tomo 2. De loco editæ hujus stragis recentiores dissentiunt: Otho Frisingensis & Abbas Urspergensis, qvique hos seqvuntur, Picus in Stauroaticho, Nauclerus volum. 2. generat. 43.*

Hactenus propè Augustam Vindelicorum pugnatum scribunt. Æneas Sylvius collocat pugnam ad Moguntiam. Mutius lib. 3. propè Francofurtum Mœni. Aventinus in Westphalia vel prope Dusburgam commissum prælium affirmat, lib. 2. Vestigia verò & monumenta indubitata in agro Lippiensis comitatus supersunt.

DRUSUS in Germania periit, relictis filiis, Germanico, viro præstantissimo, & Claudio. *Dio lib. 55. Svetonius in Tiberio, cap. 8. Ovidius ad Liviam, lib. 4.*

Celebrat eum Horatius *lib. 4. Ode 4.* doctissimâ, sicut antè qvoqve diximus, & stirpem ipsius refert ad C. CLAUDIUM NERONEM, qvi consul cum M. Livio Salinatore, II. [*Ante Æram Vulgarem 207.*] fratrem Annibalis, Asdrubalem, novas adducentem copias, ad Mataurum flumen concidit.

CANTABROS (*populum Hispaniæ*) prætereà domuit Augustus, & AQVITANOS, & PANNONIOS, & DALMATAS, & ILLYRICOS, & SALASSIOS, Alpium incolas. *Svetonius in Augusto, cap. 22. Dio lib. 54. Eutropius lib. 7. Orosius lib. 6. cap. 21. Florus 4. 12.*

De deponenda qvidem Imperii mole dicitur cogitasse non semel, sed cùm invicem reputaret, & se privatum non sine periculo futurum, & illam arbitrio multorum temerè committi, sententiam mutavit. *Svetonius cap. 28. Dio lib. 52. Donatus in vita Virgilii. Zonaras tom. 2. Josephus Antiq. Jud. lib. 17. cap. 10.*

Regni ipsius anno XXXIII. HERODES MAGNUS, qvem M. Antonius, & ipse, tertio triumviratus anno, [*Ante Æram Vulg.* 40.] Judææ Regem constituerant, mortuus est, [*Ante Ær. Vulg.* 1.] & octavo pòst anno, filius ejus atqve successor ARCHELAUS, relegatus fuit in exilium, Viennam, Galliæ oppidum. [*Anno Æra Vulg.* 7.]. *Zonaras tomo 1. Josephus Antiq. Judaic. lib. 17. cap. 19 & de bello Judaico, lib. 2. cap. 6.*

Ad provinciarum Imperii tutelam legiones aluisse scribitur Octavius XLIV. & in Ægypto qvidem ternas, in Hispania totidem, per Germaniam octonas: *Orosius lib. 5. cap. 20. Dio & Tacitus.* Qvantus autem fuerit ejus rei sumptus annuus, nonnulli rationem inierunt, & ad cen-

ties

ties atq; vicies centena coronatorum aureorum millia ponunt, sic, ut in singulas legiones annua ducēta septuaginta duo distribuant aureorum millia. *De legionibus Romanorum, earumqve stipendiis, consule Dionem lib. 55. Tacitum lib. 4. Annal. De stipendiis militum videatur Tacitus lib. 1. Præter hos legatur Budæus de Asse lib. 3.*

Legionem verò sex millibus peditum censent, eqvitibus qvingentis. *Vide Flavium Vegetium de re militari, lib. 2. cap. 6. Modestinum de vocabulis rei militaris, Isidorum Etymolog. lib. 9. cap. 3. Suidam in voce λεγεών.*

In Octavio valdè prædicatur studium & liberalitas erga viros doctrinâ præstantes. Erant tunc præcipui nominis Poëtæ, Varius, Virgilius, Plotius, Valgius, Fuscus, duo Visci, Pollio, Messala, Bibuli, Servius, Furnius, Horatius, qvi sua scripta cupit illis probari, minimè sollicitus, qvid alii sentiant. *Horatius lib. 1. Satyra 10.*

Cæterùm inde à M. Portio Catone & Aphricano majore, ad hoc usqve tempus,

perpetuâ.qvâdam serie clarissima Romæ floruerunt ingenia, (*lege Hadriani Cardinalis præfationem in librum de sermone Latino*,) sed hoc Augusti seculum ferè postremum est, qvod nativum illum Latinæ lingvæ succum & sangvinem incorruptum retinuit. Nam deinceps paulatim magis atqve magis fuit sermo vitiatus, donec in meram degeneravit barbariem, qvæ ad hanc nostram usqve memoriam adhæsit.

Cordubæ natos Poëtas pingve qviddam sonare Tullius (*pro Archia. Repetit hoc Seneca svasoria sexta*)ait & peregrinum: qvid de illis judicaturum fuisse putamus, qvi centum & amplius pòst annis vixerunt, non Cordubæ nati solum & educati, sed etiam Romæ?

Cæterum, Tiberius, Octavii Augusti privignus & gener & filius adoptivus admodum invitus, ut qvidem præ se ferebat, & vix tandem exoratus à supplicante Senatu, principatum suscepit. [*Anno Æræ Vulgaris 14.*] (*Tacitus 1. Annal. Svetonius in Tiberio, cap. 24. Aurelius.*) Et initio qvidem nihil solus agebat, deqve rebus omni-

omnibus, qvæ alicujus essent momenti, cum Senatu communicabat, sed paulò post, Reipublicæ curâ planè depositâ, totum se voluptatibus tradidit. *Suetonius in Tiberio, cap. 41. & seqq. Eutropius lib. 7. Tacitus Annal. lib. 5. Dio lib. 57.*

Eo regnante, ARMENIAM Parthi occuparunt, MOESIAM Daci & Sarmatæ. *Suetonius cap. 41.*

GALLIAM vastabant Germani: sed his incommodis nihil ipse movebatur. *Sextus Aurelius.*

Ejus regni anno decimo qvinto [*Anno Æræ Vulgaris 29.*] CHRISTUM servatorem nostrum esse crucifixum, nonnulli tradunt, & magni qvidem in re Theologica viri: sed eodem anno Lucas baptisatum esse scribit à Johanne. *Augustinus mortem* CHRISTI *collocat in consulatum Rubellii Gemini & Fusii Gemini, de civitate Dei, lib. 18. cap. 45. Idem sentit Lactantius lib. 4. cap. 10. & Tertullianus contra Judæos. Constat autem hoc 15. anno Tiberii Magistratum obtinuisse. Vide præterea Alciatum lib. 5. cap. 11. parergon.*

Floruerunt tunc M. Cocceius NERVA, pater & filius, CASSIUS LONGINUS, Jureconsulti. *Tacitus Annal. lib. 5. Suetonius in Nerone, cap. 37.*

Tiberii pater fuit Tiberius Nero, qvi C. Cæsari bello militarat Alexandrino. *Suetonius cap. 4.*

Successit ei [*Anno Æræ Vulgaris 37.*] C. CÆSAR CALIGULA, parentis optimi, GERMANICI, pessimus filius, & planè monstrum. Viginti tribus illis annis, qvibus præfuit, infinitam auri vim Tiberius collegisse scribitur, qvam iste primo statim anno totam profudit. *De Caligula legatur Dio lib. 59. Eutropius lib. 7. Aurelius, Orosius lib. 7. cap. 5. Suetonius cap. 39. in Caligula.*

Ipsius regni anno secundo circiter, HERODES ANTIPAS, Magni filius interfector Johannis Baptistæ, Lugdunum fuit missus in exilium, *Josephus lib. 18. c. 14. & de bello Judaico, lib. 2. cap 8. Eusebius hist. Eccl. lib. 1. cap. 11. lib. 2. cap. 4.* & successorem habuit HERODEM AGRIPPAM, qvi Jacobum Apostolum extinxit. *Act. 12. Josephus lib. 20. cap. 16. Eusebius lib. 2. cap. 22. Nicephorus lib. 2. cap. 38.* [*Anno Æræ Vulgaris 41.*]

Cali-

Caligulæ necato subrogatus est CLAUDIUS patruus. Is, ubi defecisset Britannia, profectus eò, & parte Insulæ in deditionem receptâ, domum rediit. *Svetonius in Claudio, cap. 17. Dio lib. 60. Eutropius lib. 7. Orosius lib. 7. cap. 6.*

Maxima fuit, eo regnante, passim inedia, qvam ab AGABO prænunciatam fuisse, Lucas Evangelista commemorat. *Act. 11. Meminit hujus famis Josephus Antiq. lib. 20. cap. 2. Epiphanius hær. 48. & 66. Eusebius hist. Eccles. lib. 2. cap. 8. Orosius lib. 7. cap. 6. Ruffinus lib. 2. cap. 8. Xiphilinus in Claudio.*

Claudii successor NERO CLAUDIUS, [*Anno Æræ Vulgaris* 54.] non obscurè significabat qvandoqve, se sublaturum esse prorsus ordinem Senatorium. (*Svetonius in Nerone, cap. 37.*) Eo regnante, Britannia magnam cladem accepit, direptis ibi civibus atq; sociis populi Romani. (*Svetonius 39. Eutropius lib. 7. Festus Rufus.*) Legiones etiam sub jugum missæ fuerunt in ARMENIA, & vix ægrè retenta Syria: Deinde GALLIA defecit, (*Svetonius cap. 40.*) authore Julio Vindice, ejus provinciæ præse-

fecto, pòst etiam HISPANIA, (*Suetonius cap.42.*) duce Sergio Galba. Cùmqve de recuperandis amissis cogitaret, inq; Galliam pararet profectionem, reliqvi etiam exercitus, qvos habebat, passim in provinciis rebellarunt. *Videatur Tacitus Annal. lib. 13.14.15. & 16. Dionis Epitome.*

Qvàm fuerit immanis & efferata belua, notum est ex historiis: itaqve judicatus hostis à Senatu seipsum interfecit [*Anno Æræ Vulgaris 68.*] adjuvante servulo. *Eutropius 6. Aurelius Victor, Orosius lib. 7. cap. 7. Suetonius 49. & 52.*

Florebant eo tempore, præter SENECAM, LUCANUS, PERSIUS, SILIUS ITALICUS, Poëtæ: & hic qvidem ultimo Neronis anno fuit Consul. *Lilius Gyraldus ex Tacito. Plinius Secundus lib. 3. Epist. 7. ad Caninium.*

Ab eo tempore status Reipubl. fuit eo redactus, ut penes exercitum atqve Legiones Populi Romani esset, creare Cæsarem; Hunc ad modum factus est etiam Cæsar VESPASIANUS: [*Anno Æræ Vulgaris 69.*] (*Morem hunc sub Pertinace increvisse Zosimus lib. 11. testatur.*) Nam qvi per

Mœsi-

Mœsiam erant, & Pannoniam, & Judæam, & Syriam exercitus, ab A. VITELLIO defecerunt, & in Vespasiani verba jurarunt. *Tacitus Annal. lib. 19. Suetonius in Vitellio, cap. 15 in Vespasiano, cap. 6. Orosius lib. 7. c. 8.*

Hic ACHAIAM, LYCIAM, RHODUM, BYZANTIUM, SAMUM, THRACIAM, CILICIAM & COMAGENEM populi Romani provincias fecit, (*Eutropius lib. 7. Orosius lib. 7. cap. 9. Suetonius cap. 8. Aurelius in Victore,*) & HIEROSOLYMAM [*Anno Æræ Vulgaris 70.*] funditus delevit, administrante bellum TITO filio. *Tacitus lib. 21. Josephus in hist. excidii Hierosl. Nicephorus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 3. & seqq. Eusebius lib. 3. cap. 5. & seqq. Lactantius lib. 4. cap. 21. Zonaras tom. 1.*

FLAVIUS DOMITIANUS, cum Chattis, [*circa Annum Æræ Vulgaris 85.*] cum Dacis, [*circa Annum ejusdem Æræ Vulg. 88.*] cum Sarmatis bella gessit, deqve iis triumphavit. *Suetonius in Domitiano, cap. 6. Aurelius Victor. Eutropius 7. Orosius lib. 7. cap. 10. Eusebius lib. 3. cap. 13. Xiphilinus.*

Vixerunt tunc STATIUS, JUVENALIS, MARTIALIS, Poëtæ.

ULPI-

ULPIUS TRAIANUS à NERVA COCCEIO adoptatus, [*Anno Æræ Vulgaris 97.*] ac deinde Cæsar factus, [*Anno seqventi 98.*] Dacos bis rebellantes domuit, [*Incepit bellum Dacicum qvinqvennale Anno Æræ Vulgaris 101.*] ac Romanæ ditionis fecit, coloniasqve deduxit. *Dio Cassius. Dacicum bellum à Caninio Poëta tantatum Plinius meminit lib. 8. Epist. 4.*

In Armeniam & Parthos cum exercitu profectus, deditione & gratiâ sibi illos adjunxit, & PARTHICUS deinde vocatus est. (*Eutropius lib 8. Festus Rufus.*) Verùm pleriq; omnes ab eo subjecti populi, rebellarunt tandem; præcipuè per Armeniam & Mesopotamiam, Parthi etiam regem ipsis datum ab illo, repudiarunt, cùm in Italiam reverti cœpisset. [*Anno Æræ Vulgaris 116.*] *Legatur Aurelius Victor, Orosius lib. 7. cap. 12. Xiphilinus, Zonaras tom. 2.*

ÆLIUS ADRIANUS Judæam rebellantem domuit: ejus causa belli fuit, qvòd Hierosolymæ, qvùm rursùs habitari permisit, Jovi Olympio templum ædificasset, qvam rem indignissimè Judæi ferebant. [*Anno Æræ Vulgaris 132.*] *Dio Cassius in Adriano, Euse-*

Eusebius lib. 4. c. 2. & seqq. Nicephorus lib. 3. c. 22. & seqq. Orosius lib. 7. c. 3. Zonaras tom. 1.

Gallias, item Germaniam, & Britanniam & Hispanias invisit. Deinde Mauritaniam, & Parthos, & Asiam, & Græciam, perqve Siciliam Romam rediit: Inde rursus in Aphricam profectus, Romamqve reversus, denuò Græciam Asiamqve petit, illinc in Arabiam contendit, & pòst in Ægyptum. *Videatur Ælius Spartianus in Hadriano. Festus Rufus, Aurelius Victor, Xiphilinus.*

Convocato Senatu (*Dio Cassius*) commendavit eis ANTONIUM PIUM, [*Anno Æræ Vulgaris 138.*] qvi post eum factus Cæsar, pacem coluit, deqve omnibus benè mereri studens, exteros reges atqve populos literis & humanitate in officio continuit. *Aurelius Victor. Eutropius lib. 3. Julius Capitolinus. Orosius lib. 7. cap. 14.*

Ejus tempore Jurisconsulti floruerunt, ALBURNUS VALENS, TUSCIANUS, VINIDIUS VERUS, ULPIUS MARCELLUS, ARRIANUS, TERTULLIANUS, SALVIUS JULIANUS, L. VOLUSIUS METIANUS. *Capitolinus in Pio.*

Anto-

Antonino Pio successit [*Anno Æra Vulg. 161.*] filius (*Julius Capitolinus*) M. ANTONINUS, cognomento PHILOSOPHUS, qvi propinqvum L. AURELIUM VERUM, socium Imperii sibi sumpsit. Per eum feliciter gessit Parthicum bellum, (*Eutropius lib. 8. Festus Rufus.*) ipse domi & in urbe Rempublicam curans: Deinde, mortuo Vero, [*Anno Æra Vulgaris 169.*] solus imperavit, & in Germanos benè rem gessit: MARCOMANNOS etiam oppressit, & SARMATAS, & VANDALOS, & QVADOS, qvi Pannonias invaserant. *Qvadi* Κουάδοι *Germaniæ populi Ptolomæo, Tacito & aliis. Hos ipsos Austriacos quidam putant; Silesios indigitat Dubravius; Aventinus Marckfeldres Austriæ tractus populos vocat. Qvadi qvondam Helvetii dicti sunt. Eutropius. Zosimus lib. 3. Qvados Saxonum partem facit:* Die Qvaden-Sachsen.

Pleriqve enim omnes populi, inde ab Illyrico usq; in Galliam, eo tempore contra nomen Romanum conspiraverant. *Orosius lib. 7. cap. 15. Eusebius hist. Eccl. lib. 5. cap. 5. Nicephorus lib. 4. cap. 12. Tertullianus in* Apo*logetico, cap. 5.*

Hujus

Hujus laudatiſſimi Principis filius flagitioſiſſimus, Commodus Antonius: (*Anno Æra Vulgaris 180.*) per legatos devicit Mauros atqve Dacos, (*Ælius Lampridius*) compoſuit Pannonias, Germaniam, Britanniam, imperium ejus recuſantes. Ipſe interim in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens. *Plura de eo Aurelius, Eutropius lib. 8. Herodianus lib. 1. Xiphilinus, Oroſius lib. 7. cap. 9.*

SEPTIMUS SEVERUS [*Anno Æra Vulgaris 193. ſeq.*] civile bellum geſſit cum NIGRO, qvi Aſiam, & cum ALBINO, [*Anno Æra Vulgaris 198.*] qvi Galliam ad defectionem ſolicitabat, (*Ælius Spartianus.*) Cum Parthis feliciter pugnavit, [*Anno Æra Vulgaris 200.*] Judæos per Syriam debellavit. Perſarum regem ABAGATUM ſubegit. Arabas in deditionem accepit. Britanniam communivit, muro utrinqve ad Oceanum ducto; per transverſam inſulam, & ſubactis populis, Britanniæ infeſtis, Eboraci vitam finiit. [*Anno Æra Vulgaris 211.*] *Eutropius lib. 9. Aurelius Victor. Herodianus lib. 2. & 3. Oroſius lib. 7. cap. 17. Xiphilinus. Feſtus Rufus.*

Ejus

Ejus filius ANTONINUS BASSIANUS CARACALLA bellum intulit Parthis & Armeniis. Hic est, qvi PAPINIANUM, Prætorii præfectum, nolentem defendere parricidium, trucidari jussit. [*Anno Æra Vulg. 212.*] *Spartianus de causa necis variat. Plura apud Xiphilinum, Eutropium lib. 8. Sex.* Aurelium *Victorem, Herodianum lib. 4. Festum Rufum.*

Viguerunt hoc tempore complures Jureconsulti, (*Lampridius in Severo*,) pleriqve omnes Papiniani auditores, TARRUNTIUS PATERNUS, MACER, TERENTIUS CLEMENS, MENANDER, ARCHADIUS, RUFFINUS, PAPYRIUS FRONTO, ANTHIUS MAXIMUS, HERMOGENIANUS, AFRICANUS, FLORENTINUS, THRYPHONIUS, JUSTUS CALISTRATUS, VENULEIUS CELSUS.

Interfecto Caracallæ [*Anno Æræ Vulg. 217.*] successit MACRINUS, (*Julius Capitol.*) qvi parùm feliciter pugnans cũ Artabano, Parthorum rege, qvum Legiones animadverteret ad HELIOGABALUM, Bassiani filium, inclinare, pacem fecit. *Herodianus lib. 4.*

485. *Eutropius lib.8. Orosius lib.7. cap. 18. Aurelius Victor. Xiphilinus.*

ALEXANDER SEVERUS, foedissimi hominis HELIOGABALI successor, [*Anno Æra Vulg. 222.*] vir strenuus, Artaxerxem, Persarum regem, ingenti praelio vicit. [*Anno Ær. Vulg. 234.*] (*Lampridius in Alexandro. Herodotus lib. 6. Artaxerxem, Oros. Eutrop. & Cassiodor. Xerxem nominant.*) Mesopotamiam recuperavit, deperditā ab Heliogabalo: per legatos in Mauritania, in Illyrico, in Armenia feliciter belligeravit: in Germanos deinde profectus, qvi Galliam vastabant, à qvibusdam suis militibus interfectus est. *Aurelius, Orosius lib.7. c.18. Eutropius lib.8.*

Huic erat familiaris admodum ULPIANUS Jureconsultus, Papiniani discipulus. [*Occisus* Anno *Æra Vulgaris 226.*] (*Eutropius lib. 8. Festus, Rufus.*) Vixerunt tunc etiam PAULUS, & POMPONIUS, & MODESTINUS. (*Lampridius in* Alexandro.)

Alexandrum excepit MAXIMINUS, [*Anno Æra Vulgaris 238.*] Is totis viribus in Germaniam profectus, non solùm Romano milite, (*Julius Capitolinus*) sed Mauris etiam, & Osdroenis, & Parthis,

this, qvos Alexander habuerat, usus est: Vicos Germaniæ longè lateqve incendit, hostium vim magnam concidit, ac multò plures cepit, militemqve reduxit opulentum. Germaniâ pacatâ, Syrmium venit, & Sarmatis bellum inferre cogitabat: nec id modò, sed ipsius etiam erat propositum, regiones illas omnes, qvæ sunt sub Septentrionibus, ad Oceanum usqve, Romano subjicere Imperio, sed offensus crudelitate illius exercitus, GORDIANUM summæ rei præficit, (*Capitolinus in Gordiano*) eamqve rem Senatus, qvi & ipse Maximinum oderat, habuit ratam, & illum Reipublicæ hostem pronunciat. Hoc factum vindicaturus ille, habitâ concione ad exercitum, Romam contendit. (*Eutropius lib.6. Herodianus lib.8.*) Qvo cognito, Senatus PUPIENUM,& BALBINUM Imperatores declarant, [*Anno Æra Vulgaris* 236.] & Pupieno qvidem belli tradit administrationẽ adversus Maximinum, qvi Aqvilegam obsidens, à suis militibus, unà cum filio, qviescens in tabernaculo, fuit interfectus. [*Anno Æra Vulgaris* 237.] *Orosius lib.7. cap.19. Aurelius*

Victor.

Victor. Eusebius lib. 6. cap. 21. Nicephorus lib. 5 cap. 25. Zosimus lib. 1.

Post hæc, Pupieno & Balbino per seditionem militarem occisis, qvum biennio regnassent, ad Gordianum, adolescentem, rerum summa delata fuit. (*Anno Æræ Vulgaris 238.*] *Julius Capitolinus in Balbino & Gordiano. Pupienum multi Maximum putant. Eutropius lib. 5. Zosimus lib. 1.*

Is qvarto sui imperii anno, [*Æra Vulgaris 242.*] per Mœsiam atqve Thraciam, in Persas profectus est, in iisqve locis populi Romani hostes profligavit: inde per Syriam venit Antiochiam, qvæ tum à Persis tenebatur: illic freqventibus præliis decertavit, & SAPOREM, Persarum Regem, ejecit, ita qvidem, ut Persæ, qvi jam propè formidabiles erant Italiæ, suos intra fines recipere sese cogerentur. Sexto demum Imperii anno circumventus à PHILIPPO, prætorii præfecto, qvi milites ad seditionem concitaverat, interfectus est. [*Anno Æra Vulgaris 244.*] *Zosimus lib. 1. Festus Rufus, Aurelius, Eutropius lib. 9.*

G Oro-

Orosius lib. 7. cap. 19. Pomponius Letus in compendio Rom. hist.

Idem fuit etiam exitus PHILIPPI, (*Zosimus lib. 1.*) qvi contra Scythas, Romanorum sociis & municipiis inferentes bellum, legatos cum exercitu misit. [*Anno Ær. Vulgaris 250.*] *Aurelius, Eutropius lib. 9. Orosius lib. 7. cap. 20. Pomponius Letus. Primus hic Christo fidem dedit: Eusebius lib. 6. cap. 27. Nicephorus lib. 5. cap. 25.*

Hic successorem habuit DECIUM, qvi à legionibus Illyricis factus Cæsar, assentiente postea Senatu, primùm Galliæ motus composuit. (*Zosimus lib. 1.*) Deinde, Republicâ Senatui commendatâ, profectionem unà cum filio, Imperii socio, Senatꝰ voluntate, suscepit in SCYTHAS, qvi terra mariqve Thraciam, & alia Imperii loca, vastabant: & preliis aliqvot victor, hoste in angustias locorum redacto, plenã victoriam reportasset, nisi GALLUS HOSTILIANUS, extremæ Mœsiæ præfectus, consilium illius ad Hostem enunciasset: qvo factum est, ut, prælio commisso, Pater & filius, ex insidiis circumventi, interficerentur. *Sextus Aureli-*

relius. Eutropius lib. 9. Eusebius Eccl. hist. lib. 7. cap. 1. Nicephorus lib. 5. cap. 25. Pomponius Letus.

GALLUS deinde, Cæsar factus, [*Anno Æræ Vulgaris 251.*] à Legione una & militum reliqvis, qvi superstites erant, pacem cum Scythis fecit, (*Zosimus lib. 1.*) populo Romano turpem & ignominiosam, qvando tributum eis dependere promisit, rem inauditam & tanti nominis majestate prorsus indignam. Itaqve ferociores facti Scythæ, rupto fœdere, populabantur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniam; nec id modò, sed Asiam qvoq;, vastatis & deletis qvam plurimis urbibus. Demum, Scytharum exemplo, multi alii facti sunt Romanorum hostes, complures etiam rebellarunt. In Syriam penetrabant Parthi, & Armeniam occupabant, fugato ipsorum rege Tyridate. *Pomponius Lætus.*

Scythæ verò tam erant insolentes, ut etiam Italiæ minarentur, & magna perfecturi videbantur, nisi Æmilianus, Mœsiæ præfectus, ad oram Sarmaticam, confirmato suo milite pollicitationibus & spe præmiorum, illos fudisset, ac longissimè

ſimè perſecutus, ipſorum qvoq; fines diripuiſſet, hac de cauſa Cæſar fuit ſalutatus à milite: GALLUS autem, eo cognito, profectus, ut obſiſteret, unà cum filio VOLUSIANO, imperii ſocio, fuit interfectus. [*Anno Æræ Vulgaris 253.*] *Eutropius lib. 9. Oroſius lib. 7. cap. 21. Aurelius Victor.*

Hoc tempore CYPRIANUS floruit, (*Euſebius lib. 7. cap. 3. Nicephorus lib. 6. c. 7.*) Epiſcopus Carthaginenſis, [*Occubuit Martyr Anno Æræ Vulgaris 259.*] *cujus* extant, inter alias multas, epiſtolæ qvædam ad LUCIUM, Epiſcopum Romanum, qvem fratrem vocat, & collegam, (*1. Tomo conc. pag. 369. cum ſeqq.*) multò autem plures ad CORNELIUM, ubi conqveritur, inter alia, de iis, qvi propter delicta condemnati ab Aphricanis Epiſcopis, & ſacerdotio dejecti, Romam confugerant, amblioris cognitonis causâ. Nam æqvum eſſe dicit, (*Epiſtolâ, cujus initium eſt, Legi literas duas, pater, pag. 381.*) ut, qvo loco crimen eſt admiſſum, ibi cauſa diſceptetur: Singulis enim Paſtoribus attributam eſſe portionem gregis, de qva ſint

ſint rationem reddituri Domino: Non ergò ſcindendam eſſe concordiam Epiſcoporum, neqve deſpiciendum judicium eorum, qvi per Aphricam de cauſa jam ſtatuiſſent. *Vide in Epiſt. Cypriani lib. 3. juxta editionem Pamelii.*

Interim exercitus alter, qvi in Alpibus erat, VALERIANUM, nobili genere natum, Cæſarem elegerat, (*Pompon. Lætus*) qvod cùm Æmiliani milites audiſſent, ne turbis implicarentur, ſuum Cæſarem interficiunt, & ad Valeriani partes transeunt. *Eutropius lib. 9. Aurelius Victor. Oroſius lib. 7. cap. 21. Zoſimus lib. 1.*

ÆMILIANUS datis ad Senatum literis, qvum Imperator factus eſſet, promiſerat ſe liberaturum Thraciam & Meſopotamiam ab hoſtibꝰ, recuperaturum Armenias, & depulſurum undiqve hoſtes Romani nominis. (*Pomponius Lætus.*)

VALERIANUS in bellum Perſicum profectus, [*Anno Æræ Vulgaris 259.*] culpâ cujusdam ſui ducis, captus fuit à SAPORE, Perſarum Rege, (*Trebellius Pollio in vita*) qvem vicini principes atqve populi confœderati hortabantur, fruſtra tamen,

 ut

ut captivum dimitteret: hoc enim esse Romanorum fatum, ut victi multò fortius resistant.

Eutropius lib. 9. Festus Rufus. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 22. Eusebius lib. 7. cap. 9. Nicephorus lib. 6. cap. 10. Zosimus lib. 1.

Capto Valeriano, successit ejus filius GALLIENUS. [*Anno eodem 259.*] Hic totum se voluptatibus dabat, neglectâ Republicâ, sic qvidem, ut milites, qvi passim per provincias erant, novos Imperatores sibi deligerent, per Galliam, Hispaniam, Pannonias, Illyricum, Ægyptum, Aphricam, cæterisqve in locis, qvi tamen omnes, partim ab illo, partim civilibus inter ipsos dissidiis, oppressi fuerunt. *Videatur Pollioni historia de 30. Tyrannis, eorumq; mutuis laniis.*

Ipso regnante, GOTHI Thraciam occupant, Macedoniam vastant, Thessalonicam obsident. Scythæ in Bithyniam & Cappadociam & Asiam invadunt, & ab Euxino Ponto in Istrum devecti, Romanorum municipiis vim faciunt. *De Gallieno Aurelius Victor. Festus Rufus. Eusebius*

sebius lib. 7. cap. 18. Zosimus lib. 1. Eutropius lib. 9.

Ejus verò tanta socordia fuit, ut, cùm de provinciarum defectionibus & publicis calamitatibus audiret, ridiculè semper & contemptim responderet, qvasi Respublica nihilominus consistere, suamqve dignitatem retinere posset, nec ideò facta sit ejus deterior conditio. Contemptus igitur tàm domi, qvàm foris, ob dedecorosum vitæ genus, Reipublicæ qvam plurimos conciliavit hostes: ac Scythæ qvidem, & Gothi, cumqve his permixti qvàm plures alii populi, erant tum in armis, ac in perniciem populi Romani conjuraverant circiter CCCXX. hominum millia, sed hos omnes in Mœsia, multisqve aliis in locis, debellavit tandem FLAVIUS CLAUDIUS, qvi interfecto Gallieno [*Anno Æræ Vulg.* *268.*] successerat, vir magnæ virtutis ac dignus longiori vitâ. *Trebellius Pollio in Vita. Eutropius lib. 9. Orosius lib. 7. cap. 23. Pomponius Letus.*

Pôst Claudium fuit AURELIANUS, [*Anno Æra Vulgaris 270.*] (*Flavius Vopiscus,*)

piscus,) qvoniam ejus erat perspecta virtus qvam, regnante Claudio, multis locis in hostem declaraverat. Is per Insubriam bella gessit, & cum Marcomannis conflixit, dubiè qvidem initio & periculosè, verùm feliciter tandem; postqvam illius mandato libris inspectis Sibyllinis religionem Senatus procurasset: Romam inde profectus, & mulctatis nonnullis, ob seditionem excitatam se absente; bellum suscepit, ut, qvæ sunt ad Orientem Solem, in Syria, provincias recuperaret, (*Zosimus lib. 1.*) qvas ZENOBIA, fortis & animosa fœmina, suorum liberorum tutrix, obtinebat, ab Odenato conjuge sibi relictas, qvi Gallieno Cæsare, multa fortiter ac præclarè iis in locis gesserat. *Eutropius lib. 9. Aurelius Victor. Festus Rufus. Pollio in vita 30. Tyrannorum. Orosius lib. 7. cap. 23. Procopius in bello* Persi*co lib. 2.*

Qvacunqve transiret Cæsar, hostes populi Romani fudit, in Illyrico, in Thracia, cæterisqve in locis; ac demum in hostilem regionem ubi venisset, post virium & periculi plenam dimicationem, vi-

cit

cit, & Reginam cepit. [*Anno Æra Vulgaris 273.*] qvæ Persarum & Armeniorum auxiliis confisa fortissimè repugnaverat. Ejus autem regionis, qvam debellaverat, præcipua erat civitas PALMYRA: Cumq; Cæsar ex Asia rediisset in Europam, Palmyrani rebellarunt, occiso duce, & militibus, in præsidio collocatis. Reversus igitur eò, captam urbem evertit, interfectis omnibus, ita qvidem, ut nec ætati parceret ulli, neq; sexui. *Palmyra Syriæ urbs, olim Hadrianopolis vocata fuit, teste Stephano, Syrorum quoque lingvâ Thadamus dicta fuit, ut tradit Baptista Egnatius. Zosimus lib. 1.*

Ægyptum deinde, qvæ tum defecerat, recepit, & Gallias denuò Romanæ ditionis fecit: pòst Romæ triumphavit, inde per Illyricum profectus, Persis bellum indixit: sed in itinere à suis familiaribus est interfectus. [*Anno Æra Vulgaris 275.*] *Aurelius, Pomponius Lætus, Zosimus lib. 1. historia nova.*

Ab ejus interitu fuit interregnum aliqvandiu, *(Fl. Vopiscus)* qvod post Romuli mortem acciderat nunqvam. Tandem

successit TACITUS, qvi paucorum mensium Imperator, nihil memorabile perfecit: huic Senatus oraverat, ne moriens, liberos suos, verùm aliqvem spectatæ virtutis ac probitatis virum, imperii successorem faceret. Is fuit PROBUS, [*Anno Æræ Vulgaris 276.*] qvi tàm ab exercitu, qvàm à Senatu confirmatus, Galliam recepit, & Francones Germanos, qvi illam obtinebant, multis præliis devicit. *Romanæ historiæ Francos, non Francones scribunt. Vopiscus, Aurelius, Eutropius lib. 9. Pomponius Lætus, Orosius lib. 7. cap. 24.*

In Illyrico Sarmatas, aliasq; gentes, concidit, & itinere facto per Thraciam barbaros populos, Romani nominis terrore, & rerum gestarum magnitudine, sibi devinctos reddidit, (*Zosimus lib. 1.*) Asiam pacavit, & Parthorum regem ad petendam pacem solâ nominis sui famâ excitavit: Pacem cum Persis fecit, ac inde in Thraciam reverit, & exteros populos devictos in Romanum solum transtulit, ex qvibus aliqvi fidem servarunt: Alii contrà, qvos tamen omnes magna ex parte pòst oppressit. Et cùm rebelliones per Galliam, Hispaniam

atqve Britanniam sedasset, iter ingressus per Illyricum, ut Persis bellum inferret, à suis insidiosè fuit interfectus. [*Anno Æra Vulgaris 282.*] *Orosius lib. 7. cap. 14. Pomponius Letus.*

Florebat tùm Respublica, longè latéqve pacatis undiqve populis, ita qvidem, ut PROBUS aliqvando diceret, brevi futurum, ut Legionibus atqve Præsidiis nihil esset opus: hoc illius dicto milites offensi, judicabant è medio tollendum esse. *Vopiscus. Eusebius Hist. Eccl. lib. 7. cap. 24.*

Post eum subiit CARUS, qvi Sarmatas, morte Probi factos insolentiores, & Italiæ minitantes, fregit. (*Vide Orationem Synesii de regno ad Arcadium;*) inqve Persas proficiscens, Mesopotamiam cepit, longiusqve protecturus interiit. *Vopiscus in vita; Sextus Aurelius, Eutropius lib. 9. Pomponius Letus, Orosius lib. 7. cap. 24. Festus Rufus.*

Ex filiis natu minorem, NUMERIANUM, militiæ Comitem secum habuit, alterum, CARINUM, Galliis præfecerat:

NUMERIANUS à Socero suo fuit occisus, [*Anno Æræ Vulgaris 284.*] in ejusqve locum venit DIOCLETIANUS, (*Vopiscus in vita Numeriani & Carini. Eutropius lib. 9. Aurelius. Orosius lib. 7. cap. 24.*) cum eo præliis aliqvot conflixit CARINUS, adipiscendi imperii causâ, sed victus occubuit. [*Anno Æræ Vulgaris 285.*] DIOCLETIANUS, propter nascentes non uno in loco turbas ac seditiones, collegam sibi sumpsit MAXIMIANUM, [*Anno Æræ Vulgaris 286.*] Is Galliam commotam pacavit, & Aphricam. Diocletianus autem Ægyptum, interfectis turbarum authoribus. [*Anno Æræ Vulgaris 292. seq.*] Britanniam qvoqve decimo pôst anno, qvam defecerat, recepit: & ut firmior esset Reipublicæ status, neve propter successionem novi motus excitarentur, GALERIUM adoptavit, Maximianus autem CONSTANTIUM CHLORUM. [*Anno Æræ Vulgaris 291.*] *Sextus Aurelius. Festus Rufus, Eutropius lib. 9. Orosius lib. 7. cap. 23.*

Contra NARSEM, Persarum regem, missus à Diocletiano Galerius, infeliciter

citer pugnavit, (*Festus, Rufus,*) amissâ majore parte exercitûs, sed jussus redintegrare bellum, ingenti prælio superavit hostem, & longiùs, qvàm qvivis alius Imperator, excepto Trajano, iis locis progressus, captâ Ctesiphonte, totam Assyriam domuit; & qvinqve trans Tigrim flumen provincias, qvæ Trajano Cæsare defecerant recepit. [*Anno Æræ Vulgaris 297.*] *Eutropius, Pomponius Lætus.*

Per Asiam rebus compositis, in Europam DIOCLETIANUS rediit, in qva pacatitum erant Scythæ, Sarmatæ, Alani, Bastarnæ, Carpi, Catti, Qvadi. Posteà tum ipse, tum Maximianus, [*Anno Æræ Vulgaris 304.*] abdicato magistratu, suos consortes, de qvibus antè diximus, Imperio præficiunt, CONSTANTIUM qvidem Galliis, Britanniæ, Hispaniis, Italiæ, Africæ, GALERIUM autem Illyrico, Græciæ & Asiæ. *Orosius lib. 7. cap. 25. Eutropius in fine noni libri. Eusebius lib. 8. cap. 26. Socrates lib. 1. cap. 1. Pomponius Lætus.*

Hoc tempore Romæ fuit Episcopus MARCELLUS, cujus extat decretum, (*Tom. 1*

conc. pag. 417. editionis Venetæ,) Episcopis non licere convocare Synodum, absque Romanæ sedis authoritate, non licere item damnare ullum Episcopum, qui Romam provocarit. Repetitur 2. quæst. 6. ad Romanam Ecclesiam, Dist. 17. c. Synodum Episcoporum.

Erat hujus etiam, sicut aliorum ante ipsum, afflicta tenuisqve fortuna, qvum Cæsar eum perseqveretur Maxentius. Itaqve facilè colligi potest, an in his angustiis atqve latibulis tantum ille sibi sumserit, ut ejusmodi faceret decreta. *Damasus in vita Marcelli.*

Constantio tandem Eboraci mortuo, [*Anno Æræ Vulgaris 306.*] Galerius adoptavit SEVERUM & MAXIMIANUM. *Orosius lib. 7. c. 25. Eutropius lib. 10. Sextus Aurelius.*

Intereà milites prætoriani MAXENTIUM Romæ salutant Cæsarem. *Eutropius lib. 10. Aurelius Victor. Socrates lib. 1. cap. 1. Zosimus lib. 2. Pomponius Lætus.*

Inter-

Interfecto Severo [*Anno Æræ Vulgaris 307.*] MAXIMIANUS imperii collegam assumpsit LICINIUM, *Eutropius lib. 10. Socrates lib. 2. cap. 1. Pomponius Lætus.*

Inter hos magni fuerunt motus, ideoqve nobiles Romani CONSTANTINUM, Constantii filium, in Galliis agentem, evocant, ut urbem à tyrannide Maxentii liberaret. Ille cum parte copiarum in Italiam profectus, commisso prælio vicit, & tandem ad urbem Romam exercitum Maxentii planè concidit. [*Anno Æræ Vulgaris 312.*] *Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 28. Eusebius Hist. Eccl. lib. 9. cap. 8. & lib. 1. de vita Constantini, cap. 32. Socrates lib. 1. cap. 1. Zosimus lib. 2. Pomponius Lætus. Meminit Prudentius Poëta.*

Tandem etiam cum LICINIO bella gessit, qvi prælio victus, & plerisq; omnibus exosus, à militibus demum fuit interfectus. [*Anno Æræ Vulgaris 325.*]

Sextus Aurelius, Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 28. Eusebius in vita Constantini M. lib. 2. cap. 18. Nicephorus lib. 7. cap. 45. Socrates lib. 1. cap. 2. Zosimus lib. 2.

Ejus

Ejus belli causam fuisse nonnulli scribunt, qvod Christianæ professionis homines acerbè Licinius perseqveretur, cùm qvidem persæpè rogatus esset atqve monitus à Constantino, ne faceret. *Eusebius lib. 10. cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 2. Sozomenus lib. 1. cap. 7. Nicephorus lib. 7. cap. 44. Pomponius Lætus.*

Nam inde à resurrectione CHRISTI ad hanc ætatem usqve, per annos ferè trecentos, qvi CHRISTUM profitebantur, variè fuerunt afflicti. Nam, ut illa prætermittam, qvæ sacra Scriptura de STEPHANO, de JACOBO, fratre Johannis, de PETRO captivo, sed per Angelum liberato, commemorat, *Actorum cap. 7. cap. 12. cap. 9.* ut PAULUM qvoqve taceam, qvi & ipse graviter Ecclesiam DEI persecutus est, & posteà conversus, nullum non periculorum genus adiit propter CHRISTUM: Romani qvoqve Cæsares horrendas & immanes excitarunt lanienas, NERO, DOMITIANUS, TRAIANUS, SEPTIMIUS SEVERUS, MAXIMINUS, DECIUS, VALERIANUS, AURELIANUS, DIOCLETIANUS,

NUS, MAXIMIANUS. *Augustinus de Civitate Dei, lib. 8. cap. 52. De his persecutionibus vide Scriptores Ecclesiasticos, Eusebium, Nicephorum, Sulpitium Severum &c.*

Rerum autem potitus CONSTANTINUS, & veram complexus religionem, portus extitit atqve refugium Christianis. *Quomodo Constantinus ad Christianismum amplexandum adductus sit, scribit Zosimus, lib. 2. longè aliter, ac Ecclesiastici Scriptores rem explicant.*

Tunc primum etiam EPISCOPI ROMANI cœperunt esse in tuto: nam hucusq; pleriqve omnes fuerant affecti suppliciis.

Numerantur autem inde à PETRO, qvem ipsi primum fuisse volunt, (*Tom. 1. concil.*) ad hoc usqve tempus triginta tres. Horum decreta sunt in libros inserta conciliorum, sed ex iis pleraqve tàm sunt levicula, tàm nugatoria, tàm aliena prorsus à sacris literis, ut credibile sit, ab aliis longo pòst tempore fuisse conficta. Sin autem vera sunt, & ab illis emanarunt, tunc sanè, qvod vaticinando Paulus (*2. Thessal. 2.*) dicebat, filium illum perditum hominemqve peccati jam tum operari

rari cœpisse mysterium iniqvitatis, rectissimè videtur hanc etiam ad partem accommodari posse.

ANACLETO, qvi ponitur qvartus à Petro, (*Tomo 2. conc. pag. 309.*) tribuitur, & extat decretum, qvo statuit Ecclesiam Romanam esse, mandato & institutione CHRISTI, caput aliarum Ecclesiarum. *Repetitur Distinct. 22. can. 2. Sacrosanct. Item Distinct. 21. c. In novo.*

Alteri post eum, ALEXANDRO, decretum adscribitur, (*1. Tom. Concil. pag. 316. Ep. 1. ad omnes Orthodoxos,*) qvo mandat, ut aqva cum sale consecretur ad expurgandum populum & amoliendum insidias Diaboli. *Extat de cons. dist. 3. can. aqvam cum sale.*

Qvæso, qvantum ista differunt ab Apostolorum illa majestate, (*Eusebius lib. 4. cap. 25.*) qvantum autem à Johannis Evangelistæ scriptis, qvi propè ad hoc usqve tempus ætatem produxit? *De obitu Johannis Evangelistæ nihil certi extat. Hieronymus breviter ait, Johannem anno 68. post passionem Domini Ephesi mortuum. Suidas ad annum ætatis 120. pervenisse refert.*

Hæc

Hæc duo posui solùm, ut de reliqvis judicium fieri possit. Nam ferè sunt ejús generis, & ambitionem apertè præ se ferunt, & ut sermo est illotus, ita qvoqve res ipsa nihil habet salis, qvem in Ecclésiæ ministris Paulus reqvirit, *ad Coloss. 4.*

Huc etiam pertinet illud Constantini Cæsaris edictum, qvod suis libris inseruerunt, (*Distinct. 96. can. Constantinus,*) ipsorum potentiæ videlicet fundamentum atqve robur. Nam, qvæ ponitur ibi liberalitatis illius immensæ causa & occasio, falsi redargui potest ex historiis, atqve convinci. *In vetustioribus exemplaribus Decreti Gratiani non extat Donatio Constantini Magni, ut annotatur Centuriâ 4. Histor. Eccles. Otto Frisingensis lib. 4. scribit, fuisse Gratiani tempore, qui donationem illam fictam asseverarent. Impugnarunt publicis scriptis hoc commentum Marsilius Patavinus in libro suo, cui titulus, Defensor pacis, Nicolaus Cusanus, Cardinalis, lib. 3. cap. 2. de Concordia Catholica, Æneas Sylvius in suo Dialogo, Vala-*

lateranus, Laurentius Valla, Ludolphus de Babenberg de jure regni Imperii Romani, *cap.* 13. *Johannes de Parisiis tractatu de potestate Regia & Papali. Martinus Lutherus; item Hottomannus in bruto fulmine, Theophilus Banosius lib.* 10. *de Politia civitatis Dei, cap.* 11. *Defendunt hanc ementitam donationem Augustinus, Steuchus Eugubinus duobus libris contra Vallam scriptis, & Boethius, Episcopus Frisius, lib.* 2. *Heroicarum quæstionum. Johannes Aventinus lib.* 5. *Henrico IV. imperante, fabulam Donationis Constantinianæ primùm excogitatam affirmat, quod ab illorum temporum statu non alienum videtur.*

Deinde, ut maximè fuerit Cæsar profusus, unî sibi fortasse potuit hoc ipso jus suum imminuere: Successoribus autem, æqvali potestate præditis, & Reipublicæ tutoribus, non potuit. Nam *qvi jus & Imperii vectigalia deteriora facit, patriæ pater appellari non debet, & par pari præscribere*

non

non potest, aut præjudicare, l. 4. D. de recept. arbit. Item in l. 58. D. de judic. & l. ille 13. ſ. tempeſtivum, D. ad SC. Trebellian.

Conſtantini Cæſaris mandato, [*Anno Æræ Vulgaris 325. & 326.*] NICEÆ, urbe Bithyniæ, fuit indictum & habitum CONCILIUM longè freqventiſſimum, (*Oroſius lib. 7. cap. 28.*) in eoqve dogma damnatum Arii, qvi CHRISTUM negabat ejusdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ. *Euſebius de vita Conſtantini M. lib. 3. cap. 6. 7. Nicephorus lib. 8. cap. 4. & ſeqq. Theodoretus lib. 1. cap. 7. & ſeqq. Socrates lib. 1. cap. 5. Sozomenus lib. 1. c. 16. Ruffinus lib. 10. cap. 2. Zonaras tomo 3.*

Non ex Europa tantum & Aſia, ſed ex Ægypto etiam atqve Lybia conveniſſe eò ſcribuntur Epiſcopi. *Hinc Auguſtinus libro de Baptiſmo, capite 18. Nicenum Concilium orbis terræ concilium nominat.*

Decretum inter alia fuit, ut per Ægyptum, Lybiam, Pentapolim vetus conſvetudo ſervetur, nimirum, ut hi omnes Alexandrino ſubſint Epiſcopo, qvum Romanus etiam Epiſcopus hunc morem uſur-

usurpet & retineat. (*Tomo 1. concil. cap. 6. Decret. Concilii Niceni, pag. 854. item 568. & 578.*) item, ut Antiochiæ, cæterisqve provinciis & Ecclesiis, integra maneant sua cuiqve privilegia. *Dist. 65. c. Mos antiqvus.*

Post hanc Synodum, *Dist. 16. c. prima annotatio,*) Eustathio qvodam authore, natæ fuerunt opiniones pravæ, *de vitando matrimonio, de novo & inusitato genere vestitus, de non edendis carnibus, de relinqvendis possessionibus. Athanasius orat. 1. cont. Arian. Basilius Epist. 74. Socrates lib. 2. cap. 47. Nicephorus lib. 9. cap. 16. Sozomenus lib. 3. cap. 13.*

Cùm ergò pleriqve conjuges divortium facerent, & servi, relictis dominis, ad novum illum ac religiosum vestitum, uti vocabant, confugerent, (*Hujus concilii canones Decretis Gratiani ferè omnes inserti sunt, Dist. 30. 31. & 42.*) idem qvoq; facerent mulieres, desertis maritis: cùm ii, qvi carnibus vescebantur, item, Ecclesiæ ministri, qvi

duxe-

duxerant uxores, vulgò despicerentur, tanquam impuri & ingrati DEO, GANGRÆ, oppido Paphlagoniæ, fuit habita SYNODUS, (concilium fuit habitum anno post CHRISTUM natum 333.) in eaqve damnati, qvi sic docerent, atqve sentirent. *Canones Concilii Gangrensis extant 20, tomo 1. conciliorum, p. 609. subscripserunt Episcopi 16.*

Salutatus amplissimè à Senatu populoqve Romano Constantinus, propter restitutam Reipublicę pacem, ad externa bella totum sese convertit, multisqve præliis Gothos atq; Sarmatas vicit, Thraciam diripientes. (*Festus Rufus. Eusebius de vita Constantini, lib. 4. cap. 56.*) Deinde, jam ætate gravis, bellum indixit Persis, Mesopotamiam vastantibus, & in Asiam ubi venisset cum exercitu, sumpto pharmaco, valetudinis curandæ causa, vitam finiit, non absqve veneni suspicione. [*Anno Æræ Vulgaris 337.*] *Eutropius lib. 10. Sextus Aurelius. Orosius lib. 7. cap. 28. Socrates lib. 1. cap. 26. Sozomenus lib. 2. cap. 25. Nicephorus lib. 8. cap. 54. & 55. Augustinus lib. 5. cap. 22. de civitate Dei. Pomponius Laetus.*

Hic

Hic ille est, qvi cognomento dicitur MAGNUS, & qvi BYZANTIUM, urbem Thraciæ, suo de nomine vocavit, eò translata sede regiâ. *Eutropius lib.10. Orosius lib.3. cap.13. lib.7. cap.28. Socrates lib.1. cap.12. Sozomenus lib.2. cap.2. Augustinus lib.5. cap.25. de Civitate Dei, Zosimus lib.2.*

Cœpit autem regnare ad annum à Natali die CHRISTI circiter trecentesimum duodecimum. Cometes inusitatæ magnitudinis mortem ejus antecessisse dicitur. *Eutropius lib.10.*

Tres reliqvit filios, CONSTANTINUM, CONSTANTIUM, CONSTANTEM: Hos inter divisum fuit imperii corpus; CONSTANTINO pars obtigit Alpium, Gallia, Hispania, *Britannia*, Orcades, Hibernia, Thyle. CONSTANTI, Italia, Aphrica cum Insulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponnesus, Græcia. CONSTANTIO; Asia & Thracia. *Aurelius Victor. Eusebius lib.4. cap.51. de vita Const. M. Niceph. lib. 8. cap.54. Zosimus lib.2. Pomponius Letus. Non satis autem convenit, diviseritne Constantinus ipse hæredibus imperium, an ipsi post ejus*

mor-

mortem fortè id fecerint. Vives ad cap. 25. lib. 5. Augustin. de Civitate Dei.

CONSTANTINUS ea divisione non contentus, bellum intulit fratri CONSTANTI: jamq; pervenerat Aqvilejam: ibi congressus cum copiis Constantis, amissô exercitu, confoditur. [*Anno Æra Vulgaris 340.*] *Eutropius lib. 10. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 3. Zosimus lib. 2. Pomponius Letus.*

CONSTANS, qvi interea cum Getis & Sarmatis in Dacia belligerabat, (*Pomponius Letus*) post eam victoriam, de qva diximus, in Italiam venit, & superatis Alpibus, in Galliam penetravit, & biennio ditionem omnem mortui fratris obtinuit: sed paulò pòst insidiis & fraude MAGNENTII fuit interfectus. [*Anno Æra Vulgaris 350.*] *Aurelius Victor. Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 20. Sozomenus lib. 4. cap. 1. Nicephorus lib. 9. cap. 29. Zosimus lib. 2.*

Hunc Magnentium milites, anteà deliniti ac præmiis allecti, salutarunt Imperatorem. *Aurelius Victor. Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 20.*

Zosimus per jocum Imperatorem factum scribit, lib. 2.

Eâ re cognitâ, Constantius, ex tribus fratribus adhuc superstes, relictô per Asiam legatô, Patruele & sororio suo GALLO, magnis cum copiis in Italiam, ac inde in Galliam accedit, & hostem ingenti prælio vincit. Elapsus autem Magnentius, de pace legatos mittit, sed rejectus à Victore, denuò præliatur, & infeliciter qvidem: Itaq; Lugdunum fugiens, cùm suos etiam comites insidiari sibi videret, nec, qvò se reciperet, haberet, mortem sibi conscivit ipse. [*Anno Æræ Vulg. 353.*] *Sextus Aurelius. Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 27. Sozomenus lib. 4. cap. 6. Nicephorus lib. 9. cap. 32. Zosimus lib. 2. Pomponius Lætus. Athanasius, in Apologia ad Constantinum Cæsarem, scribit: Magnentium Judam imitatum, eodem mortis genere sibi ipsi carnificem factum. Aurelius gladio incubuisse refert.*

Constantius deinde, Gallum patruelem, Legatum suum per Asiam, ut dictum est, abutentem imperio ac potestate, cùm aliâ ratione sanare non posset, interfici mandat, [*Anno Æræ Vulg. 354.*] (*Sextus Aure-*

Aurelius, Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. c. 29. Ammianus Marcellinus l. 14.) pòst in Asiam redit, perfecturus bellum Persicum, qvod propter factionem Magnentii, ut supra diximus, intermiserat. *Socrates lib. 2. cap. 27. Sozomenus lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 2. Nicephorus lib. 9. cap. 82. Zosimus lib. 1. Pomponius Latus.*

Et qvoniam sub hoc ipsum tempus GERMANI, factâ impressione, Galliam vastabant, alterum suum patruelem, JULIANUM, Galli fratrem, adoptavit, & Galliæ tutelam illi commisit. *Marcell. lib. 15. Sozomenus lib. 5. cap. 2. Zosimus lib. 3.*

Julianus, feliciter administrata re, multisqve præliis victor, hostem trans Rhenum expulit, complures cepit, ac Romanos milites captivos liberavit, & ad Argentoratum hostilem exercitum ferè totum concidit, ideoqve salutatus est ab exercitu non modò CÆSAR, verùm etiam AUGUSTUS, ac diademate ornatus, licet invitus, ut præ se ferebat; *Socrates lib. 3. cap. 1. Sextus Aurelius, Eutropius lib. 10. Zosimus lib. 3. Marcell. lib. 16. & 20.)* Nam, literis ad Constantium datis, invidiam

facti conabatur à se derivare:sed Constantius ea re plurimùm offensus, omisso Persico bello, vicinisqve populis liberaliter & amicè compellatis, ut in fide persisterent, iter ingressus est, (*Marcellus lib. 21.*) ut Julianum ad officium reduceret, sed in itinere, cùm adhuc esset in Asia, febri correptus vitam finiit, Juliano prius constituto Successore. [*Anno Æræ Vulgaris 361.*] *Aurelius Victor. Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 37. Nicephorus lib. 9. cap. ultimo. Theodoretus lib. 3. cap. 1. Sozomenus lib. 5. cap. 1.*

Regnante Juliano, populi Romani hostes intra suos fines se continebant, nec ullus erat uspiam motus. *Ammianus lib. 25. Eutropius lib. 10. Festus Rufus. Aurelius Victor. Socrates lib. 3. cap. 28. Theodoretus lib. 3. cap. 20. Sozomenus lib. 6. cap. 1. Augustinus de civitate Dei, lib. 4. cap. 26.*

Ipse contra Persas profectus, & Assyriam populatus, exercitu, hostili profligato, Ctesiphontem usqve pervenit, tandem reducturus copias, â tergo invaditur ab hoste: cùmqve medius versaretur inter suos milites, accepto vulnere, paulò pòst excessit è

sit è vita, Christiani nominis hostis. [*Anno Æra Vulgaris 363.*] *Qvod Christiani nominis hostis fuerit & persecutor Julianus, attestantur Socrates lib. 3. cap 11. Theodoretus lib. 3. cap. 7. Sozomenus lib 3. cap. 1. 2. Nicephorus lib. 10. cap. 21. 22. 23. &c. Augustinus lib. 8. cap. 52. Pomponius Latus.*

Milites, amisso duce, cùm in magnis versarentur angustiis, Cæsarem faciunt JOVINIANUM: *Aurelius Victor, Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 31. Ammilanus lib. 25. Socrates lib. 3. cap. 19. Theodoretus lib. 4. cap. 1. Sozomenus lib. 6. cap. 1. Nicephorus lib. 10. cap. 38. Zosimus lib. 3. Pomponius Latus.*

Erat tum Episcopus Romanus JULIUS, ejus nominis PRIMUS, Epistolæ ejus qvædam extant ad Episcopos Orientales, (*Tom. 1. concil. pag. 610. & seqq.*) in qvibus non semel inculcat, sibi soli, qvi sit primæ sedis, ut ait, (*Epist. 1. qva tamen censetur esse fictitia*) præsul, singulari qvodam privilegio, & ex præscripto divino, jus competere, convocandi Synodos Generales. *Repetitur 3. q. 6. c. Dudum à sanctis.*

Mirum autem videri possit, qva fronte istud scribat, aut alii jactitent, qvum

& ante ipsum, CONSTANTINUS NICENUM, & post ipsum, annis omninò centum, MARTIANUS Imperator CHALCEDONENSE coëgerit concilium. Ad se qvoqve solum, ejus urbis antistitem, pertinere dicit, ut de causis Episcoporum, & id genus aliis gravioribus negotiis, cognoscat. *Epistola hæc Julii supposititia est, ut liquet ex Socrate, lib. 2. cap. 15. & Sozomeno, lib. 3. cap. 8. ubi literarum summa indicatur, quæ cum argumento fictitiæ hujus Epistolæ non congruit.*

Hanc ejus arrogantiam Episcopi illi ferre non poterant, & ANTIOCHIÆ congregati masculè respondent, sententiam ab se latam retractari ab ipso non oportere, qvòd eundem dignitatis gradum obtineant, qvem ipse: Nam inde à suis finibus CHRISTI doctrinam, Apostolorum operâ & ministeriô, Romam pervenisse tandem: qvòd si pergat, & nova decreta faciat, non se parituros, & nihil sibi fore commune cum ipso, consiliumq; capturos esse, qvemadmodum res ipsa postularit. *Extat Epistola hæc inter decreta Julii Pontificis, 1. tomo*

con-

conciliorum, pag. 621. editionis Venetæ, responsum Julii subnexum est, pag. 625.

In alia qvoqve Synodo ejus urbis, multò freqventiori, qvàm qvæ priùs habita fuit, inter alia statuunt, qvod sit Episcopi, qvod officium Metropolitani, si qvando graviores causæ disceptentur. (*Tom. 1. concil. sub tit. Concilium Antiochenum, pag. 640. Can. 14. & 15. pag. 646. & 647.*) Nam si dissentiant Episcopi, jubent, ut Metropolitanus è finitima provincia qvosdam adhibeat judices, litemqve definiat: sin autem Episcopus aliqvis, de communi sententia reliqvorum Episcoporum sit condemnatus ob crimen, firmum esse mandant judicium, neqve retractandum ab alio. Decernunt etiam, *Can. 25. pag. 650.* ut bona sacra dispenset fideliter, & elargiatur Episcopus in usus pauperum, & ipse qvoqve, si sit opus, desumat ex illis, qvod erit necessarium ad tolerandam vitam, qvum Paulus dicat, (*1. Timoth. 6.*) victu & amictu nos oportere esse contentos: qvòd si forsan in sua suorumqve privata commoda facultates illas avertat Episcopus, & suis propinqvis eorum administra-

 nistra-

nistrationem committat, Synodo coërcendum esse dicunt. *12. quæst. 1. Episcopus Ecclesiasticarum rerum.*

JOVINIANUS, imminente hoste, pacem demum facit ignominiosam Reipublicæ: (*Festus Rufus, Zosimus lib. 3. Agathias lib. 4.*) Nam provincias illas qvinqve trans Tigrim, occupatas à Gallerio, sicut antea diximus, ac simul Mesopotamiæ partẽ reddidit: deinde pactus fuit, populum Romanum non esse laturum opem Armeniæ Regi, socio & amico. (*Marcellus 25.*) Progressus cum exercitu, ut domum rediret, in finibus Bithyniæ mortuus est. [*Anno Æræ Vulgaris 364.*] *Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 31. Socrates lib. 3. cap. 22. Theodoretus lib. 4. cap. 4. Sozomenus lib. 6. cap. 6. Augustinus de civitate Dei, lib. 5. cap. 25. Diaconus lib. 11. Pomponius Letus.*

Illicò Cæsarem fecit exercitus VALENTINIANUM, (*Sextus Aurelius, Ammianus lib. 26. Diaconus lib. 11. Orosius lib. 7. cap. 32.*) qvi deinde, postqvam Constantinopolim venit, Imperii collegam sibi sumpsit fratrem suum VALENTEM, eiqve regiones

nes

nes illas commendans,& profectus inGermaniam, Saxones Oceano vicinos domuit. *Marcellus lib. 28. Diaconus lib. 12.*

In Galliam deinde postqvam venit, irâ concitatus periisse fertur. [*Anno Æra Vulgaris 375.*] *Aurelius Victor. Paulus Diaconus lib. 12. Ammianus lib. 30. Socrates lib. 4. cap. 26. Sozomenus lib. 7. cap. 37. Zosimus lib. 4. Pomponius Laetus.*

Erat per id tempus in Asia Frater ipsius VALENS, alter Cæsar, ut Parthos, Armeniam vastantes, & Persarum regem, rupto fœdere belligerantem, coerceret: (*Diaconus lib. 12.*) sed cùm Hunni sive Tartari & Scythæ Pannoniam, Epirum & Thessaliam vastarent, in Europam rediit, & commisso prælio victus, ac in fuga vulneratus, inqve tugurium qvoddam delatus, immisso ab hostibus igne, conflagravit. [*Anno Æra Vulgaris 378.*] *Orosius lib. 7. cap. 33. Qva ratione Valens interierit, incertum. Socrates lib. 5. cap. 1. Alii igne adustum scribant, Diaconus lib. 12. Sozomenus lib. 9. cap. ultimo. Theodoretus lib. 4. cap. 36. Alii Imperatorio habitu mutato se in medio suorum peditum injecisse, ibiqve cecidis-*

cidisse & jacuisse incognitum, Socrates lib. 4. cap. 31. Marcellinus lib. 31.

Valentiniani Cæsaris atq; Valentis edictum extat, (*l. 26. C. de Decurion.*) qvo mandatur, ut, qvi monasticam vitam sectantur, atqve solitudinem, eaqve ratione militiam & onera publica defugiunt, extrahantur è suis latibulis, & aut patriæ serviant, aut omnibus aliis commoditatibus careant, qvæ pòst conferantur in eos, qvi laborem & periculum pro Republica sustinent. *Extat hæc lex in Codice Theodosiano, l. 12. tit. 1. lib. 26. Vide Augustinum de civitate Dei, lib. 18. c. 52. & ibi Vivem. Meminit etiam Paulus Diaconus lib. 12. & Jornandes Gothus lib. 1. Pertinet autem ad Monachos Ægypti, qvibus fuit Valens pertinaciter infensus, ut Jacobus Cujacius annotavit. Consule annotationes Alciati in 10. librum Codicis Justiniani, §. In lege qvidam ignaviæ: ubi Bartholi erroneam interpretationem refellit: Vide eundem Alciatum lib. 3. Disputationum, cap. 11.*

Hostes deinde, circumsessâ Constantinopoli, (*Pomponius Lætus,*) qvum donis atqve pecuniis essent ab Imperatore pla-

placati, discesserunt. *Ammianus lib. 31. & Socrates lib. 5. cap. 1. Barbaros à Saracenis, precio conductis, repulsos scribunt. Sozomenus lib. 7. cap. 1. Paulus Diaconus lib. 12.*

VALENTINIANUS Cæsar, pacatâ Saxoniâ, filium suum GRATIANUM cooptarat collegam. *Aurelius Victor, Diaconus lib. 12. Marcell. lib. 27. Socrates lib. 4. c. 10. Orosius lib. 7. cap. 34.*

Cum ergo tàm Pater, qvàm Patruus Valens, mortem obiissent, Gratianus utriqve succedit; qvumqve variis turbarum fluctibus agitaretur Respublica, THEODOSIUM, belli ducem insignem allegit, & ad Solem orientem misit. Is ad Constantinopolim Hunnos fudit, atqve Gothos è Thraciæ finibus ejecit. *Socrates lib. 5. cap. 2. & Sozomenus lib. 7. cap. 2. Diaconus lib. 12. Orosius lib. 7. cap. 34. Theodoretus lib. 5. cap. 5. Zosimus lib. 4.*

GRATIANUS deinde à qvodam suo belli duce, MAXIMO, affectante Imperium, per insidias fuit in Galliis interfectus. [*Anno Æræ Vulgaris 382.*] *Aurelius Victor,*

Socrates lib.5.cap.11. Sozomenus lib.7.cap.13. Nicephorus lib.12.cap.19. & 20. Orosius lib.7. cap.34. Zosimus lib. 4. Diaconus lib.12.

Præceptorem habuit in literis Ausonium Burdegalensem, cujus extant poëmata qvædam, eumq; tandem ad consularem dignitatem Romæ deduxit. *Exstat gratiarum actio Ausonii ad Gratianum Imperatorem, pro consulatu.*

Eodem propè fato filius ejus Valentinianus occubuit etiam, fraude sui familiaris Arbogasti. [*Anno Æræ Vulgaris 392.*] *De hoc legitur oratio funebris Ambrosii, Episcopi Mediolanensis. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 35. Diaconus lib. 3. Socrates lib. 5. cap. 24. Sozomenus lib. 7. cap. 22. Nicephorus lib. 12. cap. 38. 39. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani suffocatum & laqveo suspensum scribit. Fuit autem, Zosimo teste, Arbogastus ex Francis Germanis oriundus.*

Sed non tulerunt impunè percussores: Nam cæsi posteà fuerunt uterqve à Theodosio Cæsare, & Maximus qvidem captus Aqvilejæ fuit interfectus, [*Anno Æræ Vulgaris 388.*] alter verò mortem sibi conscivit ipse.

ipſe. [*Anno Æræ Vulgaris 394.*] *Auguſtinus lib. 26. de Civitate DEI. De cæde Maximi legatur Aurelius Victor. Oroſius lib. 7. cap. 35. Diaconus lib. 13. Socrates lib. 5. cap. 14. Sozomenus lib. 7. cap. 14. Theodoretus lib. 5. cap. 15. Nicephorus lib. 12. cap. 21.*

Arbogaſti, quem Zoſimus & Suidas Francum, Diaconus è minoribus Gallis oriundum ſcribant, interitum refert Aurelius. Diaconus lib. 13. Socrates lib. 5. cap. 24. Theodoretus lib. 5. cap. 24 Sozomenus lib. 7. cap. 24. Nicephorus lib. 12. cap. 38. & 39. Claudianus in Paneg.

Deletis ergò tyrannis, THEODOSIUS rerum potitus, Imperii ſocios conſtituit filios, HONORIUM & ARCADIUM, &, qvoniam ætate minores erant, duces ac velut moderatores illis attribuit, Arcadio RUFFINUM, Honorio STILICONEM, neqve multò pòſt vitam finiit. [*Anno Æræ Vulgaris 395.*] *Pomponius Lætus. Aurelius Victor. Diaconus lib. 13. Socrates lib. 5. cap. ult. Theodoretus lib. 5. cap. 25. Sozomenus lib. 8. cap. 28. Nicephorus lib. 12. cap. 18. Zoſimus lib. 4.*

Ipſo jubente [*Anno Æræ Vulgaris 381.*] CONSTANTINOPOLI fuit habita SYNODUS, (1. *Tom. concil. pag. 727.*) damnatumq; in ea

MACEDONII dogma, Divinitatem Spiritui sancto derogantis. *Socrates lib. 1. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 7. & 8. Augustinus de hæresibus, cap. 52. Nicephorus lib. 12. cap. 18. Dist. 16. can. Prima autem Synodus, Basilius, in expositione fidei Nicænæ, Macedonium Pnevmatomachum propterea nominatum scribit.*

Qvi fuerunt ibi Patres, ad centum qvinqvaginta, sicut traditur, instituerunt Episcopos, tum ibi, tum *Antiochiæ*, qvam vocant *seniorem & verè Catholicam Ecclesiam*, tum *Hierosolymæ*, qvam *Ecclesiarum omnium matrem* esse dicunt, (*Theod. lib. 5. cap. 9.*) & hæc qvidem acta sua perscribunt (*Tom. 1. conc. pag. 780. & seq.*) ad DAMASUM, Episcopum Romanum, qvi conatus fuerat eos evocare Romam. *Theodoretus lib. 5. c. 8.*

Damaso fuit familiaris HIERONYMUS, qvum esset juvenis. Ejus est dictum illud memorabile: (*In Epist. ad Evagrium, tom. 3. operum Hieronymi,*) *Ubicunqve Episcopus fuerit, sive Romæ, si-*

ve

vt Eugubij, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, ejusdem meriti est atque sacerdotii. *Damasus Hieronymi opera usus est in scriptionibus Epistolarum Synodalium, ut Hieronymus ipse scribit, Epistola ad Eustachium, item ad Gerrontiam.*

Theodosius magnâ fuisse pietate fertur, & ab Episcopo Mediolanensi AMBROSIO reprehensus, adituque templi prohibitus, patienter tulit. *Theodoretus lib.5.cap.17. Nicepherus lib.12.c. 40.41. Sozomenus lib. 7. cap.24. Augustinus lib. 5.c.26. de civitate Dei. Paulus Diaconus lib. 13. Zonaras tomo 3. Michael Glycas Annal.part. 4. De hoc Ambrosii facto gravissimum exstat judicium Thomæ Erasti, medici excellentissimi, qui illud iniquum esse, nec unquam veris & justis rationibus excusari posse, palàm affirmat. Vide Rudolphum Hospinianum, lib. 2. cap. 1. de origine, & abusu templorum.*

ARCADIUS ad Orientem Solem Constantinopoli præerat: HONORIUS autem Romæ, sed RUFFINUS, ut imperium ad se

se transferret, Gothorum regem clàm hortabatur, ut Arcadio bellum faceret; intellectâ perfidiâ, Ruffinus à militibus trucidatur. [*Anno Æra Vulgaris 395.*] *Socrates lib.6. cap.1. Sozomenus lib.8. cap.1. Nicephorus lib.13. cap.1. Zosimus lib.5. Diaconus lib. 13. cap.1. Ruffinus fuit Gallus, teste Suida, in voce Theodosius.*

ARCADIUM Cæsarem INNOCENTIUS, ejus nominis primus, Episcopus Romanus, excommunicavit, *Nicephorus lib.13. cap.34.* qvod consenserat, ut JOHANNES CHRYSOSTOMUS ab Ecclesia sua pelleretur, sicut in jure Pontificio refertur, *Dist. 96. c. Duo sunt quippe. Videatur Glycas Annal. parte 4.*

Floruit tunc etiam AUGUSTINUS, Hipponensis Episcopus, qvi concilio Carthaginensi tertio interfuit & qvarto, [*Mortuus demum est Anno Æra Vulgaris* 430.] (*1. Tom. concil.*) ubi decretum inter alia fuit: *Ut Episcopus non longè ab Ecclesia suum hospitiolum habeat: Decret. Synodi Carthaginens. IV. can. 14. tomo 1. concil. pag. 759.*

Item,

Item, *ut vilem supellectilem & mensam, & victum pauperem habeat,* (*Dist. 41. c. Episcopus vilem,*) *& fidei vitaque integritate sibi paret authoritatem: Decretorum Synodi Carthag. Can. 15.*

Ut rebus Ecclesiæ, tanquam commodatis, non tanquam propriis, utatur. Can. 13. pag. 760.

Augustino qvoq; scripsit Innocentius I. & Aurelio, Carthaginensi Episcopo, & cohortatus ad mutuas precationes, *germanos* vocat & *consacerdotes. Epist. 10. Innocentii I. Tomo conciliorum 1. pag. 780.*

Ab Innocentio fuit Zosimus, qvi Patrum & Antiqvitatis decreta laudans, ne Romanæ qvidem Sedi, sicut vocant, licere dicit, (*25. q. 1. contra statuta*) ut in iis aliqvid mutet, aut contra statuat.

Morem qvoqve sui temporis insectatur & corrigit, (*Distinct. 39. can. qui Ecclesiastic. & distinct. 59. can. qui Ecclesiast.*) qvòd

qvòd pleriqve, nullis imbuti literis, ad sacerdotalem ordinem adspirabant. *Epist. 1. ad Hesychium, Salonitanum Episcopum, pag. 810.*

Zosimum excepit BONIFACIUS PRIMUS; erat tunc CARTHAGINE CONCILIUM sextum valdè freqvens, cui & Augustinus interfuit. Eò missis legatis, Bonifacius ostendit, Synodum Nicenam sedi Romanæ tribuisse jus illud, ut ad ipsam ex omnibus provinciis undiq; provocaretur; (*Tomo 1. concil. in Actis concil. Carthag. sexti, pag. 818. Epist. hæc extat in actis Concilii Aphricani, capitulo 101. pag. 841.*) Petit igitur à Patribus, ut hoc ipsi qvoqve sanciant & confirment. Illi respondent, nihil ejusmodi fuisse Nicææ decretum, qvod qvidem ipsi sciant: veruntamen, ut certò res investigari posset atq; sciri, placuit ab Alexandrina & Constantinopolitana Ecclesia petendum esse verum ejus Synodi exemplar. Eo tandem allato, deprehensum est, planè contrarium fuisse statutum, hoc videlicet, ut de suis causis qvæqve provincia cognosceret, & ab Episcopis ad Synodum provinciæ,

ciæ, vel etiam ad OEcumenicum, ut vocant, concilium provocaretur.

Erat tum Alexandrinus Episcopus CYRILLUS. Anteqvam exemplar veniret, mortuus erat Bonifacius, cùmqve successor ejus CÆLESTINUS idem urgeret, responsum tulit juxta formulam decreti. *C. 105.*

Mortuo Arcadio [*Anno Æra Vulgaris 408.*] successit filius THEODOSIUS II. qvo regnante & jubente, EPHESINA fuit habita SYNODUS, [*Anno Æra Vulgaris 431.*] in eaqve damnatus NESTORIUS, qvi CHRISTUM natum esse DEUM ex Maria virgine negabat, AUGUSTINUS tunc è vita discessit. *Socrates lib. 7. cap. 32. & 33. Evagrius lib. 1. cap. 2. & seq. Nicephorus lib. 14. cap. 31. Augustinus obiit Hipponæ, non anno* CHRISTI *440. ut ait Sigebertus in Chronico, vel 446. ut Beda: sed 432.* Diacon. *lib. 14. sive 433. Prosper in Chronico. Liberatus, Archidiaconus Carthaginensis, scribit cap. 5. sui Breviarii, Augustinum ad hanc Synodum accersitum, sed morte præventum esse.*

Ab

Ab altera parte STILICO, tutor Honorii, perfidiosè rem etiam egit, uti Ruffinus, (*Diaconus lib. 13.*) & cùm in Gallia domicilium sedemq; Gothis tribuisset, commovit illos, ut in Italiam ingressi, duce ALARICO, Romam caperent, qvod fuit anno conditæ Urbis MCLXII. post CHRISTUM verò natum CCCCXII. *Augustinus lib. 1. cap. 1. de civitate Dei. Jornandes lib. 2. Sozomenus lib. 9. cap. 9. Orosius lib. 7. cap. 38. Paulus Æmilius lib. 1. Michael Ritius de Regibus Hispaniæ, lib. 1. Egnatius lib. 1. Principum Roman.*

Romæ paucis diebus GOTHI commorati, cùm Rhegium venissent populabundi, ac in Siciliam trajicerent, naufragium fecerunt, extincto etiam Rege.

Cùm deinde multa Stilico neqviter faceret & insidiosè, qvò suum ad Filium EUCHERIUM Imperii summam transferret, intellectâ fraude captus, & HONORII jussu fuit interfectus. [*Anno Æræ Vulgaris 408.*] *Diaconus lib. 13. Orosius lib. 7. cap. 37. Sozomenus lib. 9. cap. 4. Zosimus lib. 5.*

Alarico rege mortuo, [*Anno Æræ Vul-*

Vulgaris 411.] Gothi regem sibi sumserunt ADOLPHUM, ejus propinqvum, eoqve duce, Romam redeunt, & qvod reliqvum erat, absumunt. *Adolphus hic Alarico affinis fuit, conjugis nempe frater, ut Zosimus innuit, Diaconus Athaulphum, Orosius* Autal*phum vocat. Vid. Procop. lib. 1. de bello Vand. Diaconus lib. 13. Orosius lib. 7. cap. 43. Jornandes.*

Eo interfecto, regnavit GENSERICUS, & hoc sublato, WALLIS, cumqvo CONSTANTINUS, Honorii per Gallias legatus & sororius, ac deinde imperii socius, amicitiam & fœdus iniit, concessâ illi Aqvitaniâ, Galliæ parte, qvam inhabitaret. *Orosius lib. 7. cap. ult. Diaconus lib. 14. Jornandes lib. 2. Prosper in Chronicis. Blond. lib. 2. Dec. 1.*

Vexabant tum BRITANNIAM Scoti & Picti, verum auxiliis, ab Honorio Cæsare missis, profligati fuerunt. [*Anno Æra Vulgaris 429.*] Per Hispaniam qvoqve VANDALI & ALANI, GENSERICO duce, grassabantur, *Procopius de bello Vandalico, lib. 1. Paulus Diaconus lib. 14. Sozomenus lib. 9. cap. 2.*

Hono-

Honorio tandem Romæ mortuo [*Anno Æræ Vulgaris* 423.] succeſſit ad Occidentem Solem atqve Romæ VALENTINIANUS, ſororis filius, (*Procopius lib. belli Vandal.*) cùm interim THEODOSIUS, Arcadii filius, ut ſupra diximus, alteram mundi plagam Conſtantinopoli gubernaret.

Ad hoc tempus Vandali & Alani, disſidiis & factionibus Romanorum ducum, qvi per Aphricam erant, invitati, penetrarunt ex Hiſpaniis in APHRICAM, [*Anno Æræ Vulgaris* 427.] ferroqve regionem atqve flamma vaſtabant, (*Procopius lib.1.belli Vandal. Diaconus lib.14. Jornandes lib.2.*) Ab ea clade pars qvædam Aphricæ fuit illis ad habitandum attributa. *Sigebertus Diaconus lib. 14.*

GOTHI, qvi Galliam Aqvitaniam incolebant, Honorii Cæſaris voluntate atq; permiſſu, ut paulò antè diximus, non contenti ſuis finibus, vim & injuriam inferebant vicinis, & NARBONEM obſidione fatigabant, (*Jornandes lib.2.*) ſed miſſus eo cùm copiis LITORIUS oppidum obſidione libera-

beravit, annonam intulit, & commissô prælio feliciter primò pugnabat: pòst autem, toto ferè exercitu deleto, captus est, [*Anno Æræ Vulgaris 439.*] tantaqve fuit ea clades, ut populus Romanus pacem orare cogeretur. *Diaconus lib. 14. Prosper in Chron.*

Wandalorum etiam rex GENSERICUS, pace violatâ, qvam cum Romanis in Aphrica fecerat, ut anteà diximus, (*Diaconus lib. 14. Prosper in Chronico,*) CARTHAGINEM ex improviso capit, [*Anno eodem*] ac multa crudeliter ibi facit: qvæ qvidem civitas per annos qvingentos octoginta qvinqve Populi Romani tùm fuerat. *Urspergensis.*

Occupatâ Carthagine, in Siciliam trajicit, magnisqve cladibus eam afficit. (*Diaconus lib. 14.*) Tum demum instructâ classe Theodosius Imperator bellum in Wandalos movebat: sed cùm eodem tempore [*Circa annum Æræ Vulgaris 442.*] HUNNI Thraciam & Illyricum vastarent, exercitus è Sicilia fuit ad ea loca propugnanda revocatus.

Faciebant tunc denuò impressionem in Britanniam Picti atqve Scoti: cùmqꝫ de

Roma-

Romanorum auxiliis Britanni desperarent, ab ANGLIS, populo SAXONIÆ, opem petunt, [*Anno Æræ Vulgaris 449.*] (*Paulus Diaconus lib. 14. Polydorus hist. Anglicæ lib. 3. Beda lib. 1. Anglicæ hist. Buchananus rerum Scotic. lib. 2.*) Sed hi, pulchritudine regionis allecti, cùm paulatim majoribus copiis eò adnavigassent, maximam Insulæ partem suæ ditionis fecerunt, Britannis oppressis. *Crantzius Saxon. lib. 1. cap. 18. Gregorius Lilius in Chronico Angliæ Regum.*

Non multò pòst [*Anno Æræ Vulgaris 450.*] Constantinopoli mortuus est Theodosius II. Eo regnante Solis deliqvium fuisse traditur, & apparuisse Cometa, inde ab Idibus ferè Juliis ad mensem usqve Septembrem. *Diaconus lib. 14. Evagrius lib. 2. cap. 1. Nicephorus lib. 15. cap. 1.*

Theodosio ad Orientem Solem successit MARTIANUS. De Genserico, Vandalorum rege, suprà diximus; cum eo pacem fecit VALENTINIANUS, divisâ inter ipsos Aphricâ. *Diaconus lib. 15. Procopius lib. 1. belli Vand.*

Circiter hoc tempus ATTILA, rex Hunnorum, qvi, Daciâ & Pannoniâ occupatâ, vici-

vicinas regiones, Mecedoniam, Mysiam, Thraciam, crudelissimè vastabat, ad occupandam Imperii Romani partem, qvæ est ad Occidentem Solem, animum adjecit: (*Procop. l. 1. belli Vand. Diac. lib. 15. Bohfinius lib. 3. dec. 1. Blondus 1. decad. l. 2. Callimachus in Attila.*) Et qvoniam ejus belli summam fore difficultatem videbat, siqvidem GOTHI, qvi tum pacem cum Romanis colebant, & Galliæ partem inhabitabant, ut suprà dictum est, (*Jornandes l. 2. Diac. l. 15.*) auxilia Romanis ferrent: idcirco missis legatis amicitiam eorum atqve fœdus expetebat: verùm AETIUS, Valentiniani Cæsaris legatus, huic rei prævertit, & cum THEODORICO, Gothorum rege, firmato fœdere, totum se comparabat ad bellum.

Attila nihilo secius progreditur: (*Diacon. lib. 15. Jornandes lib. 2.*) fit prælium [*Anno Æræ Vulgaris 451.*] longè maximum in campis Catalaunicis, qvæ qvidem Galliæ pars, propter ingentem planiciem, hodie vocatur Campania. (*Jornandes campos Maurios, Freculphus Mauriacos vocat.*)

I Ceci-

Cecidisse in eo prælio feruntur CLXXX. hominum millia: in his etiam Gothorum rex Theodoricus occubuit. (Gregor. Turonensis lib. 2. cap. 7.) Victus autem Attila, seipsum interficere cogitabat, ne vivus in potestatem hostis veniret; sed cum Theodorici regis filius, Aetii ducis consilium secutus, cum suis copiis domum rediret, ut mortuo parenti succederet, Attila colligendi sui spacium adeptus, in Pannoniam redit, & novis collectis copiis, iræ plenus, Italiam ingreditur, (Pomponius Lætus. Procop. libr. 1. belli Vand.) Aqvilejam urbem, obsidione diuturna fatigatam, demum expugnat, diripit, incendit: Inde Concordiam, Patavium, Vicentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, & Papiam capit: postea grassatus per Flaminiam, castra tandem facit ad Mincii confluentem atqve Padi. (Diacon lib. 15. Bonfinius dec. 1. lib. 7. Olahus in Attil c. 5.) Qvo qvidem in loco, qvum deliberaret, an Romam iturus esset cum exercitu, LEO I. venit ad ipsum, urbis Romæ Episcopus, ejus nominis primus, idqv

per

perfecit, ut, mutatâ voluntate, non solùm non Romam peteret, verùm etiam, Italiâ omni relictâ, rediret in Pannoniam, [*Anno Æra Vulg. 453.*] ubi non multò post vitam finiit: *De Attila interitu refert ex prisco Historico Jornandes lib. 2. Joannes lib. 1. Elogiorum.*

Hic est Leo ille, cujus exstant Epistolæ (*2. Tomo conc. p. 40.*) complures ad Theodosium II. & Martianum Impp. in qvibus partim excusat, qvamobrem ad concilia venire non possit, ab illis indicta, & deprecatur, ne molestè ferant, qvod legatos eo mittat; partim etiam orat, (*Ep. 9. ad Theodosium p. 32.*) ut in Italiâ potius, qvàm in Asiâ, concilii locum designent: Sed nihil impetravit. *Vide Epist. 23. 24. 31. &c. p. 44. & seqq. 2. tomo concil.*

Dum per Italiam ita sæviret Attila, VENETORUM URBS condita fuit, qvando ex vicinis locis pleriq; potentiores in illa maris æstuaria, & insulas, tumulosq; veluti in portum aliqvem, sese receperunt. *Volater. l. 4. Geograph. Blondus Decad. 1. l. 3. Sabellicus de rebus Venetis Decad. 1. l. 1. Anton. Bonfin. Decad. 1. libi 6.*

Humile fuit igitur ac prope desperatum & calamitosum hujus urbis initium; & nunc in tantam, uti videmus, amplitudinem excrevit. Octoginta qvinqve numerantur illorum Duces, ad hoc usqve tempus, ex iis primus fuit PAULUS ANAZATUS, anno salutis septingentesimo sexto, qvum ante ducentos qvinqvaginta duos annos urbs ædificari cœpta fuisset. *In historia ducum Venetorum à Petro Marcello Veneto, Sylvestro Gyrello & Hieronymo Kelnero edita, hic dux vocatur Paulutius Anafestus, & initium Imperii illius collocatur in annum 697. à CHRISTO nato, quem faciunt urbis conditæ annum 282. De numero etiam variant, 84. enim usqve ad illud tempus, qvo hæc à Sleidano scripta sunt, Duces recensent.*

Interfectô posteà Valentinianô [*Anno Æræ Vulgaris 455.*] (*Diac. lib. 12.*) Wandalorum Rex GENSERICUS classe devectus in Italiam ex Aphrica cum exercitu longè maximo, & adjutu à Mauris, Romam contendit, & urbem propè desertam ab omnibus capit: (*Procop. de bello Vand. lib. 5.*) Sed exoratus

Leo

Leone Episcopo, qvi & Attiliam placaverat, ut diximus, ab incendiis abstinuit atqve cæde. *Jornandes, Evagrius lib. 5. cap. 7. Urspergensis.*

Direptâ urbe, captivi maximo numero Carthaginem deportati sunt. Hostes deinde Campaniam magnis calamitatibus afficiunt, Capuam, Nolam, Neapolim aliasqve civitates evertunt: superstites à cæde conjiciunt in catenas, & opibus Italiæ facti divites, in Aphricam revertuntur. *Diaconus lib. 15. Procop. de bello Vand. l. 1. Ursperg.*

MARTIANUS ad Orientem Solem Imperator, pacem coluit, naturâ qvietus: ac dicere solebat, qvandiu pacatè vivere liceret, non esse principi decorum, ut arma sumat. *Pompon. Lætus. Egnatius lib. 2. de Rom. Principibus.*

Ipsô regnante & jubente [*Anno Æræ Vulg. 451.*] Chalcedone fuit coactum concilium amplissimum, & damnatus Eutyches, duas naturas in CHRISTO confundens. *Evagrius lib. 2. cap. 2. Nicephorus lib. 15. cap. 2. 3. 4. &c. Diaconus lib. 15. Tomo 2. Concil. p. 119.*

Ibi decretum inter alia fuit, ne qvis clericus, uti vocant, in duarum civitatum Ecclesiis recipiatur. *10. Canone Decretorum concilii Chalcedonensis. 2. Tomo. concil. pag. 327. Extat. 21. qvæst. 1. Clericum in duarum.*

Non erat nota tunc temporis illa, qvæ dicitur, pluralitas beneficiorum, qvæ nunc sic inolevit, ut nihil sit eâ freqventius. Et nostrâ qvidem ferè memoriâ consvetudo illa, inter alias Ecclesiæ maculas, obrepsit, ut uni duos attribueret Pontifex Episcopatus. Qvòd si jam eum, qvi superiori proxima ætate fuit, hac in parte, morem restitueret, officium suum faceret. Sed qvoniam id ferre non potest, an putamus, unqvam esse permissurum, uti juxta sacras literas & Apostolorum, atqve primi temporis decreta, res emendentur? Nimirum frustra Laborant, qvi facta Paparum ad antiqvæ Religionis rationem exqvirunt.

Imperii anno septimo [*Æræ Vulg. Anno 457.*] Martianus mortuus est, eiqve LEO successit. Romæ autem & ad Solem Occidentem, ubi Româ captâ, Gensericus

ricus in Aphricam revertisset, Valentiniano successit AVITUS, [*An. Ær. Vulg.* 455.] deinde MAJORANUS, [*An. Ær. Vulg.* 457.] posteà SEVERUS, [*Anno Æræ Vulg.* 461.] ab hoc ANTHEMIUS, [*An. Ær. Vulg.* 467.] post alii parùm celebres. *De his Diaconus lib.* 15. *Evagrius l.* 2. *c.* 7. *Jornand. lib.* 1. *Procop. l.* 1. *belli Van.* qvi mutuis lanienis & insidiis interierunt, neqve diu regnarunt, adeò qvidem, ut jam altera pars Imperii Romani versus Occidentem Solem valdè esset afflicta. *Evagrius l.* 2. *c.* 16.

De Leone I. Cæsare nihil memorabile proditum est: (*Jornandes l.* 2.) nisi qvod cùm Gothis, Illyricum vastantibus, amicitiam atqve foedus iniit.

Extant ad ipsum qvoqve Leonis Episcopi Romani una & altera Epistola. *Tom.* 2. *conc. Epist.* 71. 72. 73. 76. *&c. p.* 10. *& seqq.* Successorem habuit, [*Anno Ær. Vulg.* 474.] ZENONEM ISAURICUM.

Inter eos, qvi Romæ præfuerunt, à morte Valentiniani, fuit etiam AUGUSTULUS qvidam. *De Romulo, Orestis filio, cui Augustuli cognomen fuit, scribit Pro-*

copius de bello Vandal. lib. 1. & de bello Gothico l. 1. Evagrius lib. 2. c. 16. Jornandes. l. 1. Pompon. Letus.

Ad hoc tempus, [*Anno Æra Vulg. 476.*] ODOACER, cum ingenti manu HERULORUM, & SCIRORUM, ex Pannoniâ Italiam invadit: (*Jornandes lib. 2. Sigebertus,*) ORESTEM, patricium Romanum, qvi Papiam cum suis copiis sese receperat, capit & occidit, oppidum diripit & incendit: progressus, omnem regionem usqve Romam occupat AUGUSTULUS [*An. eodem 476.*] animo fractus, Imperium sponte deponit: Odoacer urbem ingreditur, & Italiæ regnum adeptus, per annos XIV. nullo resistente, præfuit. *Procopius de bello Goth. l. 1. Leonb. Aretinus de bello Goth. l. 1. Blond. decad. 1. lib. 2. Bonfin. decad. l. 7.*

Tunc demum THEODORICUS Ostrogothorum rex, missus à Zenone Imp. & Constantinopoli profectus Gepidos & Bulgaros resistentes vincit. (*Procop. belli Gothici l. 1. Jornandes l. 1. & 2.* Deinde per Mysiam & Pannoniam iter faciens, in Italiam accedit, & non procul ab Aqvileja

lejâ castra ponit: qvò postqvam & ODOACER venisset, summis copiis dimicatur; [*Anno Æræ Vulgaris 490.*] victus Odoacer in fugam conjicitur: sed recollectis copiis, denuò præliatur non procul à Verona, iterumqve victus & qvamplurimis desideratis, qvi partim in conflictu, partim in Athesi flumine perierant, Romam fugiens contendit. Illinc exclusus, vastato circum agro, Ravennam venit, ibi per triennium ferè circumsessus, ac deditione tandem captus, interficitur. [*Anno Æræ Vulg. 49.*] *Aretinus l. 1.*

Theodoricus, Odoacro sublato, factus Italiæ Dominus, Romam venit, ibiqve Concilium (*Diac. l. 15. Tomo 2. conc. p. 472. & seqq.*) habuit unum & alterum Episcoporum, qvos ex diversis Italiæ provinciis eò convocaverat, ut de SYMMACHI causâ cognoscerent Episcopi Romani, qvem pleriqve repudiabant, ut indignum & vitiò creatum. *Centuria 6. Historia Magdeburg. c. 19. de Synodis.*

Theodoricus hic fuit Arrianus, ut qvidem Pontificiorum libri dicunt. *Joan.*

I. Papa in Epistola ad Episcop. Italiæ, tom. concil. 2. p. 534.

Est autem ille, qvi cognomine dicitur VERONENSIS, Theodorici illius, qvi in prælio contra Hunnorum regem Attilam occubuit, ut suprà dictum est, propinqvus.

Odoacer erat Rugus, (*Irenicus l. 3. c. 2.*) qvi est ad mare Balthicum, Germaniæ populus. *Tacitus in Germania, & in eum Althamerus. Godofridus Viterbiensis perperam Odoacrum Ruthenorum ducem nominat.*

Theodoricus, muniendi sui causâ, Wandalorum, Visigothorum, & Burgundionum reges per affinitatem sibi conciliavit. *Procop. lib. 1. belli Gothici, Jornandes l. 2. Frisingensis lib. 5. c. 1.*

Dum hæc in Italiâ geruntur, magni fuerunt motus per Thraciam, Aphricam, BRITANNIAM, in qvâ superiores tandem extiterunt SAXONES.

Zenoni, mortuo Constantinopoli, succedit ANASTASIUS. [*Anno Ær. Vulg. 491.*] Is nonnullos fovebat, qvi dogma probabant Eutychianum: ideòqve dissidium ei fuit.

fuit cum Episcopo Romano GELASIO, qvi literis prolixis (*2. Tomo concil. Epistola initium: Famuli vestræ pietatis. pag. 445.*) eum dehortatur, ut qvidem ipsorum habent libri, ne tutelam eorum suscipiat; duo enim esse præcipuè, qvibus hic mundus gubernetur, Sacram Pontificum authoritatem, & potestatem Regalem, (*Dist. 60. cap. duo qvippe.*) & Sacerdotibus qvidem eò plus oneris incumbere, qvod aliorum etiam nomine, DEO sint aliqvando reddituri rationem: ipsum qvidem civili præesse politiæ, sed tamen subjici sacrorum ministris, & ab eorum pendere judicio; cumqve sacerdotes legibus politicis obtemperent, æqvum esse, ut ipse vicissim non recuset ea, qvæ rerum divinarum antistites decernunt: & qvum hic honos omnibus Ecclesiæ ministris debeat impendi, rem ipsam postulare, ut ei cumprimis deferatur, qvem & suâ voce DEUS, & Ecclesiæ deinde consensus toti sacerdotum ordini voluit præesse: Desistat igitur, & in hac vitâ deprecatorem se potius audiat, qvàm in altera sentiat accusatorem.

Subjungitur posteà decretum ejus de sacris Bibliis, in eoq; Sedi ROMANÆ, qvam vocant, tribuit principatum, pòst ALEXANDRIÆ, tertium locum dat ANTIOCHIÆ. *Secundo tomo conc. In Decretis Gelasii. tit. Ordo librorum veteris testamenti. §. Post propheticas. p. 460.*

Regnante Anastasiô, turbæ fuerunt & bellici motus per Ciliciam, sed sedati, oppressô autore. *Autor hujus seditionis fuit Vitalianus Thrax, qvi jussu populi, Imperatori, propter hæresin Eutychianam, rebellavit, Zon. tomo 3.* Paulus *Diacon. libr. 15. Pompon. Letus.*

HUNNI tum etiam vastabant Armeniam & Cappadociam, GETÆ verò Macedoniam, Thessaliam, Epirum: utrosq; Cæsar coactus est præmiis & maximis jacturis placare: *Evagrius l. 3. c. 43. Niceph. l. 16. c. 38.*

Hôc ferè tempore, qvod erat anno salutis qvingentesimo (*Sigebert. Diac. l. 15.*) Rex Francorum CLODOVEUS, Christi religionem primus fuit amplexus, qvum sæpè multumqve fuisset ab uxore, qvæ familiæ Burgundicæ erat, solicitatus, ut

id.

id faceret, relictis idolis atqve superstitione. *Gregor. Turonensis l. 2. cap. 29. 30. & 31. Adon. Viennens. aetate 6. Robertus Gaguinus lib. 2. cap. 3. Hist. Franc. Æmilius Hist. Franc. l. 1. Michael Ritius de Regib Francorum l. 1.*

CONCILIUM exstat AURELIANENSE, triginta trium Episcoporum Gallorum, habitum ipso regnante: (*Vincentius lib. 21. cap. 23. tom. 2. Concilior. Canone 4. pag. 511.*) qvo statuitur inter alia, *si raptor virginis confugerit ad templum, etiamsi vim puellæ fecerit, ne mortis adeat discrimen, sed vel servili sit conditione, vel ab eâ sese redimat. 36. quæst. 1. De raptoribus autem.*

Anastasium, fulmine extinctum, [*Anno Ær. Vulg. 518.*] vel ut Jus Pontificium ait, emissis intestinis exanimatum, (*Paulus Diaconus lib. 15. Pompon. Laetus.*) JUSTINUS excepit, obscuro genere natus, & è subulco factus miles, ut scribitur.

Lapsus hic est memoriâ Sleidanus: Nam capitulum Anastasius, Dist. 19. quo hic locus respicit, loquitur de Anastasio Papa, qui Photinum & Acacium hereticos fovit, & ob id divino judicio percussus creditur. Nam ut glossa dicti capituli refert, dum assellaret, emisit intestina.

Dissidium huic erat cum THEODORICO, Gothorum rege, Italiæ domino, propter diversam religionem: Sed ab armis tamen temperatum fuit.

Mortuo deinde Theodorico [*Anno Ær. Vulg. 526.*] successit ALARICUS, è filio nepos, magnâ Gothorum alacritate atque studio. *Proc. de bello Goth. lib. 1. Jornandes l. 2. Leon. Aretinus l. 1.*

Erat tunc Episcopus Romæ, JOHANNES, ejus nominis I. hic à Theodorico rege, quem diximus, Constantinopolim fuit missus Legatus, cum aliis (*Niceph. lib. 17. cap. 9. Paulus Diaconus lib. 15.*) & exceptus honorificentissime, sicut ipsorum habent libri, non à populo tantùm, sed ab ipso quoque Cæsare. Nam summâ lætitiâ fuisse dicunt affectos, quod beati Petri vicariū, uti loquuntur, (*2. Tomo concil.*

concil. in vita Johannis. pag. 532.) nunc demum Græciæ contingeret videre & suscipere, qvod inde à Constantini Magni tempore, & à Sylvestro datum ipsis non fuisset. Illud autem de Sylvestro mirum est, cur dicant, qvum Græciam non adierit, ut constat: (*Sozomen. lib. 1. cap. 16. & alii.*) Nam tunc, cum imprimis oportuit & opus erat, nimirum in Synodo Nicena, non se commovit, sed legatos eò misit Victorem atqve Vincentium: & alteram ipse post habuit Romæ, sicuti tradunt, qva concilii Niceni decreta confirmat. *Sozomenus Vitum & Vincentium legatos nominat.*

Extat etiam Johannis primi ad Episcopos Italiæ consolatoria qvædam epistola, qvæ monet eos, qvamqvam rex Theodoricus, hæresi pollutus Arrianâ, vastitatem ipsis & toti minitetur Italiæ, ne tamen ab instituto desistant, sed fortiter agant. *Epistol. 2. Johannis I. Papæ ad Episcopos Italiæ, de Theodorico Rege; 2. Tomo concil. pag. 534.*

Post Justinum factus est Imperator JUSTINIANUS, sororis Justini filius. (*Anna*

[*Anno Ær. Vulg.* 527.] *Diaconus lib. 16. Evagrius lib. 4. cap. 8. Niceph. lib. 17. cap. 7. Pomponius Lætus & alii.*

Is ad restaurandam Rempublicam animum adjecit & initio qvidem toti administrationi BELISARIUM præfecit. (*Diacon. l. 10.*) Is Persas, egressos extra fines ac Romanorum ditioni vim adferentes, magnis præliis vicit, Illyricum à Gepidis & Bulgaris vastatum, liberat: (*Procop. de Bello Pers. l. 1. & 2. & de bello Vand.*) Parthos belligerantes ad amicitiam adducit: Wandalorum maximas copias in Aphrica fundit: [*Anno Ær. Vulg.* 534.] Regem capit: Carthaginem recuperat: inde transgressus in Siciliam, accepto nuntio de rebellione per Aphricam, eò reversus feliciter rem gerit, *Zonaras tomo 3.*

Tunc demum in Italiam profectus, Neapolim occupat, diripit, Gothosq; fundit, (*Procop. de bello Gothico l. 1.*) qvorum rex tum erat THEODATUS, *Fuit hic Theodorici Veronensis ex sorore Amelfreda nepos, propter ingratitudinem autem erga Amalosuntham à Gothis interemptus est, anno regni tertio.* (*Æra Vulg.* 536.)

Apud

Apud Cassiodorum l. 10. Epist. 3. Theodabadus nominatur; ibidem reperies ejus encomium.

Posteà Romam venit, amanter ab omnibus exceptus & honorificè: illinc digressus, oppida passim & munitiones occupat, & in his Perusiam: post obsidet Ravennam: (*Procop. l. 2.*) ibi congressus cum eo VITIGES Gothorum rex, amisso exercitu capitur, Constantinopolim ductus à Belisario (*Anno Ær. V. 540.*) *Diaconus lib. 6. Jornandes lib. 1. Sigebertus Blondus dec. 1. l. 5.*

Gothi redintegratis viribus, in regione Transpadanâ regem sibi sumunt HILDEBRANDUM, *Pomponius Lætus Hildebrandum, Procop. Theudibaldum vocat. Sequitur eum* Diaconus: *Sigeberto Eldebades indigitatur.*

Huic successit unus & alter, ac deinde TOTILAS, (*Anno Ær. Vulg. 642.*) Is absente Belisario, per totam Italiam grassatus, Romam obsessam capit, diripit, incendit. *Procop. l. 3. belli Gothici. Evagrius lib. 4. cap. 20. Sabellicus En. 8. l. 3. Blond. dec. 1. l. 6.*

Itaqve

Itaqve revocatus BELISARIUS, confecto bello Parthorum, qvi Syriam denuò vastabant, revertitur in Italiam, & urbem propè desertam recreat. Inde cum hoste congressus, feliciter præliatur, & annonæ causâ, navigans in Siciliam à Justiniano revocatur, qvæ qvidem res occasionem Totilæ præbuit, ut restauratis viribus, Romam rediret. *Totilas Jornandi Baduila seu potius Dadiula nominatur l. 1.*

Cæsar deinde NARSETEM Eunuchum Italico bello præficit, qvi Gothos omni expulit Italiâ (*Procop. de bello Gothico lib. 3. Agathias in sua histor. Gothica.*) qvod eò facilius fuit, cum Totilam Regem [*Anno Ær. Vulg.* 553.] ex vulnere mortuum illi amisissent, *Pomp. Læt.*

Bellum illud Gothicum, in annos octodecim fuit productum *Procop. l. 3. belli Gothici. Sabell. Ennead. 8. l. 4. Blondus Decad. 1. l. 7.*

Justinianus ergò, recuperatâ Italiâ & Aphricâ, qvum ex filiâ nepotem JUSTINUM Imperii socium assumsisset, mortem obiit. [*Anno Æ. V.* 565.]

Sunt qvi socordis ingenii principem & uxoris

uxoris imperio THEODORÆ subjectum fuisse tradunt. *Suidas literarum rudem fuisse scribit. Zonar. tom. 3. scribit enim adeò immodica ædificandi studio flagrasse, ut & stipendia artium liberalium magistris jam olim constituta sustulerit, ut haberet sumptus, quos in ædificationes profunderet.*

Erat apud eum in summa gratia TRIBONIANUS Jureconsultus, qvi, veterum scriptis ac disputationibus abolitis, legum centones ex illis collegit, & fragmenta nobis tantùm reliqvit, qvæ nunc Pandectarum nomine censentur. Ejus autem operis qvosdam habuit adjutores, qvi passim nominantur. *Constitutione Deo auctore §. & ad tua 3. §. jubemus 4. §. sed & 7. constit. omnem. §. nos vero 2. vers. & primò §. discipuli 6. const. Tanta circa in pr. & §. qvæ omnia 9. §. sed cum 11. vers. & ideò vers. admonuimus. const. Dedit nobis §. qvæ omnia 9. §. sed cum 11.*

Idem posteà fecit in Principum rescriptis atqve legibus, qvas tribus libris comprehensas GREGORIANO, HERMOGENIANO, THEODOSIANO contraxit in unum volu-

volumen, & Justinianeum codicem vocat, usus aliorum operâ, qvos in ejus libri præfatione Cæsar enumerat. *Const. hæc qvæ §. ideoqve 1. de novo cod. conf.*

Sunt authores, qvi Tribonianum fuisse hominem avarum, & precio fixisse leges, ut ille ait, (*Virgil. 6. Æn.*) ac refixisse tradunt. *Procop. l. 1. de bello Persico. Suidas in dictione Tribonianus. Alciatus dispunction. l. 4. cap. 7. Ægidius Perinuus Aromarensis in vita Justiniani Imp.*

In eo, qvem diximus, Codice, qvam plurimæ sunt Justiniani leges, qvæ superioribus derogant. (*ut sunt 50. decis. qvæ cognoscuntur vel ex inscriptione, vel ex subscriptione. Vide & Const. cordi nobis §. 1. de emendatione eod.*) accessit etiam opus peculiare, NOVELLARUM constitutionum, qvod per omnia Justiniani nomen atqve titulum habet. *Const. cordi nobis §. his igitur 4. in fin. de emend. C. domini Justin.*

Eum qvem dixi, BELISARIUM, qvo duce tot tamq; gloriosas consecurus erat victorias, ignominiosissimè tractavit Cæsar, & valdè senem excæcavit etiam.

Tzetzes

Tzezes Chiliad. 4. Variar. hist. Habet idem Petrus Crinitus l. 9. c. 6. de honestâ disciplinâ, & Johannes Jovianus Pontanus lib. 2. de fortitudine domesticâ cap. 8. Alciatus verò lib. 4. parergon. cap. 44. totum hoc falsum esse demonstrare conatur. Virtutes Belisarii commemorat Snidas, in voce Belisarius. Origine Germanum fuisse docet proœmium Joan. Leonclavii in Zosimum.

Ipso regnante, Constantinopoli fuerunt aliqvot habitæ Synodi (*Evagrius l. 4. cap. 34. Niceph. lib. 17. cap. 27. & 28.*) qvibus MENNA præerat, ejus urbis Patriarcha, qvi Sanctissimus & Beatissimus vocatur & Oecumenicus; ut ipsorum habent libri; *Tomo 2 Concilior. Synodi Quintæ Constantinopol. Actione 2. factæ à Menna Patriarcha Constantinop. & alii.*

Initio Codicis Epistola (*l. inter claras §. & reddentes honorem l. de summa trinit.*) ponitur Cæsaris ad Johannem Archiepiscopum urbis Romæ, qva caput ipsum vocat omnium Ecclesiarum, eiqve subjicit omnia. Porro, qvanqvam homines docti commentitiam esse judicant, tamen, etiamsi vera esset, certum est, con-

troversiam illam durasse multis post annis, donec tandem Episcopi Romani facultatibus amplificati, pervincerent, & in Ecclesiæ possessione sibi constituerent arcem, qvæ manibus hominum exædificata, seu favore principum; nunc titulum habet, qvasi divinitus eò sit collocata. *De Epistolis mutuis Justiniani Imperatoris & Johannis Papæ Romani dubitatum fuit omnibus temporibus. Legatur Alciatus l. 5. parerg. cap. 23. Cujacius observ. 12. c. 28. Franciscus Hotomannus lib. observ. 7. c. 2.*

Diximus anteà, qvemadmodum Augustini tempore SEXTUM fuerit habitum CARTHAGINE CONCILIUM, in eoqve fraus deprehensa Paparum, Bonifacii primi & Celestini, qvando Niceæ constitutum fuisse dicebant, ut ad ipsos ex omnibus ubiq; locis provocaretur, Justiniani verò tempore Romæ erat Episcopus, BONIFACIUS II. Hujus extat Epistola (*2. Tom. concil. ad Eulalium Alexand. Episcop. p. 544.*) qvâ graviter taxat AURELIUM, qvi superiori Concilio, Carthaginis fuerat Episcopus, eumqve

cum

cum suis collegis impugnasse Romanam Ecclesiam ait, instigante Diabolo, simul Deo gratias agit, qvod hujus temporis Episcopus Eulalius, Aurelii successor, cum Ecclesiâ Romanâ rediret in gratiam. Deinde scriptum Eulalii recitat, qvo profitetur ille, se damnare suos Majores & Successores, qvicunqve sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ privilegia labefactare conantur.

Altera à Bonifacio, AGAPETUS, ANTHEMIUM Patriarcham Constantinopolitanum loco removit, [*Anno Ær. V. 536.*] negantem duas naturas in Christo (*Niceph. lib. 17. cap. 9.*) tulit hoc imprimis ægrè THEODORA, Cæsaris uxor, & SYLVERIUM Agapeti successorem monuit per Belisarium, ut illum restitueret: (*Diacon. l. 16.*) cùm etiam aliæ qvædam criminationes accederent, Belisarius eum loco dejicit, & in exilium mittit, subrogato VIGILIO, [*An. seqv.*] sed cum & iste, Constantinopolim evocatus, Anthemium nollet revocare, consimili pœnâ fuit mulctatus. (*Niceph. lib. 17. cap. 10. variat.*) Unde satis apparet, qvomodo in Cæsarum

rum tunc potestate fuerint urbis Romæ Episcopi. *Procopius Sylverium relegatum scribit propter suspicionem defectionis ad Gothos. l. 1. belli Gothici. Blondus l. 9. Decad. 1. Vigilium carceris molestiis, socios partim relegatos, partim ad metalla damnatos, tandem tamen liberatos esse, commemorat.*

Justino II. Cæsare, renovatum est bellum Persicum, qvod cum primum feliciter gereretur, Cæsaris legatus ARCHELAUS, pacem denuò fecit, *Diaconus l. 17. Evagrius l. 1. c. 7.*

NARSES, Cæsaris per Italiam legatus, expulsis Gothis & mortuo Totilâ, per annos XVI. obtinuit Italiam: pòst revocatus à Cæsare, qvum parum lætas accepisset literas, & ingratitudinem in iis reprehenderet, non solùm non revertit, verum etiam ulciscendi sui causa, missis legatis LONGOBARDOS, qvi tunc in Pannonia consederant, maximis propositis emolumentis excitavit, [*Anno Ær. Vulg. 567. seq.*] ut, Pannoniâ relictâ, in Italiam venirent, omnium regionum & pulcherrimam & fructuosissimam. *Paulus Diacon.*

con. de gestis Longob. lib. 2. cap. 5. Regino lib. 1. Pomponius Laetus. Frisingensis lib. 5. cap. 5. Itaqve partem illam Italiæ, qvæ nomen ab ipsis ad hoc usqve tempus retinet, occuparunt. *Sigebertus. Jovius lib. 1. Elogiorum.*

Justinus hic per Italiam instituisse scribitur Magistratum, (*Blondus lib. 8. Decad. 1.*) EXARCHUM: Is erat tanqvam Cæsaris vicarius atqve legatus: RAVENNÆ potissimum habitabat, neglectâ Romanâ, singulisqve civitatibus & oppidis unum aliqvem præficiebat. *Primus Exarchus nominatur* LONGINUS *Graecus: sed Palmerius Patritium Romanum primum talem magistratum suscepisse scribit. Duravit illa dignitas annis* 164. *sive, ut alii volunt,* 124. *Blondus lib. 10. Decad. 1.*

Itali Scriptores novum hoc institutum Romæ ac Italiæ fuisse tradunt exitiale. Narses deinde Romæ mortuus est.

Narsetem in exilio defunctum commemorant omnes; Mortui verò corpus in loculo plumbeo, cum omnibus ejus opibus, Constantinopolim portatum, scribit Paulus Diaconus lib. 2. de gestis Longobardorum, cap. 11. Idem eodem libro, cap. 3. pietatem ejus

prædicat, ſicut Evagrius etiam, lib. 4. cap. 24. Suidas ingenium & corporis habitum deſcribit.

Juſtini ſucceſſor fuit TIBERIUS II. [*Anno Æræ Vulgaris 578.*] jam antè cooptatus, & Imperii factus collega. (*Diaconus lib. 17. Evagrius lib. 5. cap. 14.*) Is contra Perſas bis feliciter pugnavit: (*Niceph. lib. 18. c. 1. & 2.*) Pacem cum Longobardis fecit, qvi tum inde à Samnitibus ad Alpes usqꝫ regnabant, exceptâ tantum urbe Româ, qvâ ubi graviter obſediſſent aliqvandiu, vi tempeſtatis & imbrium coacti, tandem caſtra moverunt. *Pomponius Lætus.*

Tiberii gener, MAURITIUS, factus Cæſar, [*Anno Æræ Vulgaris 582.*] per legatos præliis aliqvot fudit Perſas, ac demum pacem cum iis fecit. Revocatô exercitu Scythas expulit è Myſia, (*Diaconus lib. 17. Nicephorus lib. 18. cap. 6. 7. & 8.*) Longobardos per Italiam repreſſit: Hunnos è Pannoniis ejecit: propter avaritiã exoſus militi, coactus eſt, ortâ ſeditione, profugere Chalcedonem. (*Pomponius Lætus.*) Ibi tandem, cum uxore & liberis, omniqꝫ ſtirpe, fuit in-

ter-

terfectus [*Anno Æra Vulgaris 602.*] à PHOCA centurione, (*Nicephorus lib. 6. cap. 40.*) qvi per seditionem deinde salutatus est Imperator.

Mauritiô regnante, [*Anno Æra Vulgaris 599.*] Cometa, senis mensibus apparuit. (*Nicephorus lib. 18. c. 35. Diaconus lib. 7.*) tunc etiam natus esse traditur MAHOMETUS, de qvo paulò pòst dicetur. *Palmerius in Chronico. Blondus lib. 6. Decad. 1.*

Eô tempore Constantinopolitanus Episcopus, JOHANNES, *universalem se vocabat Patriarcham:* Pelagius verò II. Episcopus Romanus, vehementer obstitit, ejusqve decreta pronunciavit irrita.

Johannes hic, à vitæ sobrietate, Jejunator nominatur l. 17. c. 36. & l. 18. cap. 34. historiæ Ecclesiasticæ Nicephori. Primatum sibi arrogavit in Concilio Constantinopolitano, teste Gregoriô Magnô lib. 4. indict. 13. epist. 36. sed Pelagius, Episcopus Romanus, missô Constantinopolin Archidiaconô, Synodi decreta cassavit, ibidem epist. 37. Vide 2. tomum Conciliorum, epistolam primam

[..]ain *Pelagii Secundi, Papæ, pagina* 842.

Qvi succeſſit huic, Gregorius I. gra[..]iter hoc ipſum in illo reprehendit, & in Concilio Calcedonenſi, titulum hunc atqve honorem ſuis majoribus attributum qvidem fuiſſe, verùm ex ipſis neminem uſurpaſſe dicit. *Gregorius lib. 4. indict. 13. epiſt. 36. & 38. item lib. 7. indict. 1. epiſt. 30.*

Datis etiam literis ad Mauritium Imperatorem hortatur, ut illum coërceat: Nam ad ipſius authoritatem hoc qvoqve pertinere, qvam ille, dum talem ſibi poteſtatem ſumit, multum imminuat. *Gregorius lib. 4. indict. 13. Epiſt. 32.*

Alter autem poſt Gregorium, Bonifacius III. à Phocà ſcribitur (*Blondus Decad. 1. lib. 9.*) obtinuiſſe Primatum, divulgatis in eam rem edictis atqve diplomatis. *Adon. Viennenſis ætate 6. Beda de ratione temporum. Regino Prumienſis lib. 1. Friſingenſis lib. 5. cap. 8. Urſpergenſis. Platina in vita Bonifacii III.*

Phocâ rerum potiente, Perſæ magnis incommodis Rempublicam affecerunt, occupatâ Meſopotamiâ & Aſſyriâ, & in minorem

rem Asiam usqve progressi. Tanta erat principis ignavia. (*Diaconus lib. 17. Zonaras tomo 3. Beda de ratione temporum:*) Sed & Germania, Gallia, Hispania, bonaqve pars Italiæ, defecerunt. Ægyptum vastabant Saraceni: (*Nicephorus lib. 18. cap. 56.*) Sic ille, propter crudelitatem & neglectam Rempublicam, occisus, HERACLIUM habuit successorem. [*Anno Æræ Vulgaris 610.*] *Pomponius Lætus.*

Tunc iterum Persæ longissimè progressi ex Ægypto, Aphricam invadunt, & suæ ditionis efficiunt. Europam variè lacerabant Scythæ: profectus tandem in Asiam Heraclius, cum pacem impetrare non posset, parum etiam honestis nomini Romano propositis conditionibus, penè coactus decertavit cum Persis, qvi jam Judæam vastabant, eosqve uno aut altero prælio fudit; inde Tigrim flumen transgressus, & Persiam longè lateqve populatus, amicitiâ demum initiâ cum Persarum regis filio SIROCHO, qvi, necato parente, [*Anno Æræ Vulgaris 628.*] regnum invaserat, Aphricam, Ægyptum, & qvicqvid omnino Persæ occupaverant, recepit,

pit, pactumqve fuit, ut Persicam ditionem à Romana separaret Tigris. *Sigebertus, Pomponius Latus.*

Ad hoc tempus SARACENI, Heraclio militantes, cùm stipendiis fraudarentur, maximâ multitudine deficiunt, (*Diaconus lib. 18. Sigebertus*) &, MAHOMETO duce, per Syriam grassati, Damascum occupant, Ægyptum vastant, Arabiam subruunt, & in Persas qvoqve feliciter præliantur. [*Anno Æra Vulgaris 632.*] *De Saracenorum origine, incrementis & imperio, videatur Cælius Augustinus Curio libro de historia Saracenorum, item Wolffgangus Drechslerus in compendio historia Saracenica.*

Fuit Mahometus obscurô genere natus, (*Liber de generatione Mahometi, & Chronicon Saracen. Zonaras tomo 3. Chalcocondiles lib. 3.*) verùm astutus & audax, pòst etiam locupletatus matrimonio, cùmqve propter animi promptitudinem authoritate valeret, novum doctrinæ genus, rationi valdè jucundum, sed magnâ sui parte ridiculum & ineptum, proposuit, qvo sic animos hominum magis atqve magis de-

vin-

vinciret, & regnum sibi firmius constitueret, & qvanqvam initio facilè potuisset hoc incendium restingvi: tamen, qvia neglectum fuit, brevi tempore crevit in immensum: ab eoqve tempore magis atqve magis populi Romani majestas & Imperium, ad Orientem Solem, interiit, deficientibus aliis atq; aliis populis.

Heracliô regnante [*Anno Æra Vulgaris 633.*) QVARTÚM fuit CONCILIUM TOLETANUM. *Tomo 2. concil. pag. 63. Johannes Magnus historia Gothica lib. 16. cap. 17.*

Et qvia per Hispaniam pleriqve sacerdotes precationem, qvam CHRISTUS ipse nos docuit, (*Matth. 6. Luc. 11.*) non qvotidiè, sed eo die solum orabant, qvem Dominicum vocamus, decretum inter alia fuit, (*Can. 9. pag. 70.*) ut id corrigeretur: item, ut Apocalypsis Johannis Evangelistæ, sicut ajunt, à Paschate doceretur in templis, ad usq; Pentecosten. *Can. 16.*

Regnabant tunc in Hispaniis GOTHI: cumqve dominationis externæ, sicut fieri solet, Hispani pertæsi, res novas captarent,

rent, gravi pœnâ Synodus edicit, (*Can. 74. pag. 70.*) ne qva conjuratio fiat in regem, Gothicamve gentem, utqve mortuô regê primores totius gentis, atqve sacerdotes, communi consilio, successorem constituant. Idem pòst in aliqvot aliis ipsorum conventibus repetitum fuit. *Concil. 5. Can. 3. & 4. Concil. 6. Can. 17. & 18.*

Prohibetur etiam, ne per qvadragesimæ tempus, uti vocant, Hebræum illud Alleluja cantetur in templis; Nam esse mœstitiæ tempus illud, non lætitiæ. *Concilii IV. Can. 10. p. 70.*

Heraclio successit [*Anno Æræ Vulgaris 642.*] Constans, è filio Constantino nepos; (*Diaconus lib. 18.*) hic infelicissimè mari pugnavit cum Sacracenis, qvi, victoriâ potiti, Rhodum occupaverunt, [*Anno Æræ Vulgaris 653.*] (*Zonaras tom. 3.*) longius haud dubiè progressuri, nisi factiones inter ipsos ortæ, biennii inducias à Romanis impetrassent; eô datô respirãdi spaciô, Cæsar cum exercitu transmisit in Italiam, qvo ab hostibus eam liberaret, ut qvidē jactitabat; (*Regino lib. 1.*) Cumq; Tarentum esset.

esset delatus, Luceriam, & alia qvædam Aduliæ loca ditionis Longobardorum, expugnat & evertit. In itinere, cùm Neapolim iret, postremum ejus agmen cæsum fuit à Longobardis. *Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. 1. cap. 10.*

Romam placidè ingressus, omnibus tandem oramentis eam spoliat, (*Regino lib. 1. Sigebertus*) & paucis diebus ibi commoratus, in Siciliam trajicit. *Sabellicus Ennead. 8. lib. 9.* [*Anno Æra Vulgaris 668.*)

Ibi demum in balneo fuit interfectus; *Diaconus, Zonaras tomo 3.*) cùmqve post ejus mortem de successione essent nata dissidia, SARACENI, eam nacti occasionem, magnâ cum classe ingrediuntur Siciliam, vastam edunt hominum stragem, Syracusas capiunt, & prædam omnem Constantis, ablatam ex urbe Roma, secum asportant. *Regino lib. 1. Blondus Decad. 1. lib. 9. Nauclerus generat. 23. Diaconus lib. 5. cap. 13. de gestis Longobardorum.*

Constanti successit CONSTANTINUS IV. vulgò dictus BARBATUS. (*Diaconus lib. 19. Zonaras Tomo 3. Sigebertus.*) Hic per annos aliqvot cum Saracenis congressus, tan-

dem eos fudit, ita qvidem, ut pacem illi peterent, & inducias annorum XXX. simulq; vectigal annuum pacifcerentur: Eâ re commoti, qvi erant ad Occidentem Solem, populi Romani hostes, pacem qvoq; petebant. *De tributo consentiunt Zonaras & Diaconus: de eqvis & servis variant. Hic enim qvinqvaginta, ille actones tantum nominat.*

Bulgari autem suis finibus egressi Thraciæm vastabant, (*Diaconus lib. 19.*) cū his tandem pacificatum est, & concesſâ illis utrâq; Mysiâ, tametsi postea, cùm ignaviam Romanorum deprehenderent, violatâ pace, rursus evolarint, & Imperii vires attenuarint. *Zonaras tomo 3. Sigebertus, Aventinus lib. 3. annal. Bojorum.*

Hic Cæsar omnium primus constituisse traditur, (*Sabellicus Ennead. 8. l. 6. Blondus Decad. 1. l. 6. Platina in vita Benedicti II.*) ut, qvem clerus populusqve Romanus, cum exercitu, creasset Civitatis Episcorum, is plenam obtineret potestatem. Nam ad hoc usqve tempus Episcopi Romani dignitas vel à Cæsaris vel ab ejus per Italiam Vicarii confirmatione pendebat. *Polydorus*

tus Virgilius lib. 4. cap. 10. hanc legem scribit haud diu servatam esse.

Exstat ad Constantinum Papæ LEONIS II. Epistola prolixa, *Tomo 3. concil. initium Epist. 1. Regi regum, pag. 171.* qvâ damnat omnis generis hæreticos, & ipsum, propter studium ac patrocinium Religionis, & liberalitatem atqve munificentiam, summis laudibus extollit, & Ecclesiam, qvæ talem sit nacta propugnatorem, planè triumphare dicit.

Eo regnante, [*Anno Æra Vulgaris 680.*] SYNODUS fuit SEXTA CONSTANTINOPOLI centum qvinqvaginta Episcoporum. *Diaconus l. 19. Zonaras tom. 3. De numero Patrum, qui ad hanc Synodum convenerunt, variant auctores. Regino lib. 1. Beda de ratione temporum, numerant 150. Diaconus libro 19. Ivo in Chronicis, Simoneta lib. 1. cap. 46. nominant 280. in Catalogo subscriptorum exstant 162. Chronicon Martini trecentos minus uno habet.*

In ea sub finem ipsum fit mentio CANONUM, qvi dicuntur APOSTOLORUM, sed obscuris verbis. *Tomo 3. concil. in Decretis Synodi 16. Const. titulo Canone Apost. pag. 393.*

Gratianus autem contrarias opiniones recenset. (*Dist. 16. cap. Canones.*) Nam dicit esse, qvi conscriptos, ab hæreticis, & ab Ecclesia veteri repudiatos, affirment, & inter *Apocrypha* numerent. Zepherinus autem, Episcopus Romanus, ordine decimus sextus, approbasse illos dicitur, (*1. tomo conciliorum, Epistola ad Episcopos Sicilienses, p. 341.*) & post eum ista, qvam dixi, Synodus, qvã Justiniani II. tempore, qvi filius erat Constantini IV. tradunt absolutam fuisse. Breviter: Incertis rationibus omnia fluctuant. Sed & de numero Canonum non convenit; Alii namq; L. alii LX. ponunt, alii LXXXIV. & eô qvidẽ numerô exstant: unde facilè conjici potest, paulatim additos fuisse plures, & uno postea nomine comprehensos, quum à diversis emanassent. *Fr. Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta, lib. 2. de Canonib. Apostolorum sic scribit: Isidorus tantum 50. recenset. Sexta Synodus, can. 2. probat 85. tametsi non sint nisi 84. Sed duodecimus Latinus est in Codice Græco in duos divisus. Zepherinus, qvingentis annis qvinta Synodo prior, sexaginta tantum canones*

nes admittit. Leo IX. trecentis & qvinquaginta annis posterior; sextâ Synodo, ad Michaelem Patriarcham, totidem enumerat. Hæc Fr. Sixtus. Pro horum Canonum defensione luculentum librum edidit Franciscus Turianus, Jesuita.

Tunc etiam ARCHIEPISCOPUS RAVENNAS Episcopo Romano se subjecisse fertur, (*Sigebertus*) qvum anteà, maximè verò post eò translatum Exarchatum, nihil Romano concederet. *Ecclesia Ravennas à Romana multis ab annis segregata, Autocephlais dicta est, ut Platina in vita Dom. I. Papæ Romani, observat. Theodorus autem Episcopus Ravennas, sedem suam Romano Episcopo subjecit. Occasionem explicat Blondus Decad. 1. lib. 9. Sabellicus Ennead. 8. lib. 7.*

Constantino [*Anno Æra Vulg. 685.*] successit Justinianus filius. (*Zonaras tomo 3. Sigebertus.*) Is per ætatem & imperitiam malè Rempublicam gerebat, & violatâ pace, qvam ejus pater cum Saracenis fecerat & Bulgaris, eò demum redactus est, (*Diaconus lib. 9.*) ut pacem ab utris-

qve cogeretur ipse petere. Tandem ob crudelitatem ejectus, & præcisis naribus relegatus, [*Anno Æra Vulgaris 694.*] LEONTIUM habuit successorem, qvi propter affectati Imperii suspicionem per biennium fuerat captivus.

In his motibus Aphricam invadunt Saraceni, sed biennio pòst illinc ejecti fuerunt, commisso prælio. *Diaconus lib. 20. Zonaras tomo. 3.*

Milites Romani, præsidio in Aphrica relicti, qvũ lentè & ignavè omnia administrarentur à Cæsare, (*Zonaras tom. 3.*) veriti, ne à Saracenis, qvorum tunc erat ingens potentia, rursus ejicerentur, TIBERIUM III. qvendam faciunt Imperatorem. Is cum copiis profectus Constantinopolim, & urbe potitus, [*Anno Æra Vulgaris 697.*] Leontium capit, naribus truncat, in catenas conjicit, & per Italiam novum constituit Exarchum. *Tiberio huic Absimaro nomen fuit, qvod repudiavit, ut Diaconus lib. 20. & post eum Egnatius scribit.*

Et cùm ad hunc modum tumultuosè omnia fierent, SARACENI, tempus idoneum

amnacti, maximisqve cum copiis ex Ægypto profecti, Aphricam rursus occupant, & Libyam & Hispaniam propè totam. *Blondus Decad. 1. lib. 20.*

Is qvem suprà dixi, (*Diaconus lib. 20. Sigebertus*) JUSTINIANUS, à Leontio Imperatore ejectus & relegatus, *Trebellii*, Bulgariæ regis, auxilio, Constantinopolim tandem occupat, & LEONTIUM TIBERIUMqve captos interfecit. [*Anno Æræ Vulgaris 703.*] Per annos deinde sex crudeliter imperavit, ingratus etiam in Trebellium Regem. (*Suidas, in voce Bulgari, Trebellin vocat.*) Tandem, commisso prælio cum PHILIPPICO BARDANE, ad qvem exercitus defecerat, occubuit tum ipse, tum filius TIBERIUS. [*Anno Æræ Vulgaris 711.*] *Zonaras tomo 3.*

PHILIPPICUM *Constantinus* Pontifex ob diversam religionem pronunciat Schismaticū. (*Regino lib. 1. Sigebertus.*) Tantum à suis exoculatus [*Ann. Æræ Vulg. 713.*] Cæsar ANASTASIUM II. habuit successorem. *Anastasius hic alio nomine*

Arte-

Artemius appellatus fuit. Diaconus lib. 20. Zonaras tomo 3.

Is classem insignem misit RHODUM, belligerandi causâ cum Saracenis, (*Diac. lib. 20. Zonar. tom. 3*) eiq; bello qvendam ordinis Ecclesiastici virum præfecit: Sed cùm ei parere milites recusarent, ortâ seditione, [*Anno Æræ Vulg. 714.*] factus est Imperator qvidam obscuri generis THEODOSIUS, (*Regino l. 1.*) qvi, mutatâ navigatione, Constantinopolim venit, urbem occupavit, & Anastasium, prælio victum, sacris addixit: sed non multò pòst ejectus à LEONE, copiarum præfecto, vitamq; monasticam fuit amplexus. *Frisingensis lib. 5. cap. 17.*

Ad hoc tempus, [*Anno Æræ Vulg. 711.*] qvod erat anno salutis septingentesimo decimo septimo, MAURITANI totis viribus irruunt in HISPANIAM, & suæ ditionis illam faciunt, Roderico, Hispaniarum Rege, qvem etiam Gothi elegerant. *Blondus Decad. 1. lib. 10. Johannes Gothus lib. 16. cap. 27. ad annum 714. refert.*

LEONE II. regnante, Saraceni, vastatâ Thraciâ, Constantinopolim per triennium obsi-

obſident terrâ mariqve, (*Diaconus lib. 21. Zonaras tomo 3.*) tandem, peſtilentiâ propè conſumpti, domum redire coacti ſunt. *Friſingenſis lib. 5. cap. 18. Sabellicus Ennead. 8. lib. 7. Blondus Decad. 1. lib. 10.*

Erat Leo valdè infeſtus Epiſcopo Romano; GREGORIO II. (*Paulus Diaconus lib. 21. Sigebertus*) ſuoq; per Italiam vicario, ſive Exarcho, mandaverat, ut illum qvocunq; modo tolleret è medio: Papam verò defendebant Longobardi, non qvidém illius charitate qvadam, ſed ut in eo diſſidio ſuos ipſi fines amplificarent: Nam Exarchatûs oppida multa, per hanc occaſionem, occuparunt. *Blondus Dec. 1. lib. 10.*

HujusGregorii qvædam extant Epiſtolæ (*Tom. 3. concil. pag. 413. edit. Veneta*) ad Clerum & plebem THURINGIÆ, monientes, ut in cognitione DEI magis atqve magis proficiant: Item ad SAXONES, (*ibid. pag. 414.*) graviter eos deterrentes ab Idolorum cultu. BONIFACIO qvodam fuit uſus in his rebus adminiſtro, qvem in Germaniam emiſerat. *Bonifacius, hic Wunefridus anteà vocatus, natione fuit*

Anglus,

ordine Sacerdotali removeat adulteros, & eos, qvi plures habent uxores: Cùm enim, post susceptũ ministerium sacrum, ne unã qvidẽ uxorem habere vel attrectare liceat, multò minꝰ, ut eodẽ tempore plures qvis habeat, licere. Nã qvod Paulꝰ ait, (*1. Tim. 3.*) *ut Episcopus sit unius vir uxoris*, intelligendum esse non de præsenti, sed de præterito tempore, ne videlicet plures habuerit, qvàm unam uxorem, is, qvi cupit in sacerdotum ordinem cooptari.

Huic Epistolæ subjungitur CARLOMANNI, qvi se Francorum ducem vocat, edictum, (*tomo 3. conc. pag. 437.*) qvo statuit, ut ipso præsente, qvotannis habeatur Synodus, adulteros autem Sacerdotes & scortatores loco submoveri jubet: venationibꝰ etiã & aucupio illis interdicit, nevè mulierem ullã domi foveant, mandat: sed de uxoribus verbum nullum. *Habet hoc edictum Aventinus lib. 3. Annalium Bojorum.*

Ab hoc tempore [*Anno Æræ Vulgaris 752. seq.*] (*Diaconus lib. 22.*) AISTULPHUS, Longobardorum Rex, tributum annuũ à Romanis petebat, gravia minatus, nisi depen-

penderent. *Sigebertus, Viterbiensis parte Chronici 17. Blondus Decad. 1, lib. 10.*

Qvi tum erat Episcopus urbis Romæ, STEPHANUS, ejus nominis II. cùm blanditiis atqve donis hominem placare non posset, Constantinum Cæsarem de auxiliis interpellat: cùmq; nihil ab eo præsidii veniret, PIPINUM, nuper factum Francorum Regem, ut infrà dicemus, orat, ut opem ferat. *Frisingensis lib. 5. cap. 25. Urspergensis, Diaconus lib. 22.*

Is cum copiis in Italiam profectus, Papiam obsidet, & illum ad pacis conditiones adegit, (*Regino lib. 1.*) Cùm autem domum revertisset, hostis ferocior factus, iterum arma movet. Qvare denuò sollicitatus, in Italiam Pipinus venit: tunc demum [*Anno Æræ Vulgaris* 755.] AISTULPHUS EXARCHATUM PIPINO tradit, qvâ qvidem in regione hæ sunt urbes primi nominis, *Ravenna, Faventia, Cesena, Forum Livii, Forum populi, Bononia, Rhegium, Parma, Placentia. Urspergensis, Sabel-*

bellicus Ennead. 8. lib. 1. Balæus cent. 2. cap. 5. Adon. ætate 6.

Regionem hanc omnem Pontificis fidei PIPINUS permisisse fertur, (*Regino lib. 2.*) qvum Cæsar anteà rogasset, ut eam sibi restitueret, qvod esset Imperii, non Ecclesiæ Romanæ. *Blondus decad. 1. lib. 1. Antoninus tit. 14. cap. 1. §. 3. Æmil. lib. 2.*

Constantino [*Anno Æræ Vulgaris 775.*] successit filius LEO IV. Is unicam suscepit profectionem in Syriam; Repulsus domum rediit, neqve multò pòst mortuus est, [*Anno Æræ Vulgaris 780.*] ejusdem cum Patre religionis, filio relicto CONSTANTINO VI. (*Diaconus lib. 3.*) Sed cùm is per ætatem regere non posset, *mater* ejus IRENE Rempublicam gerebat: Ille autem, grandior factus, dejectâ matre, cœpit insolenter admodũ & acerbè regnare: cùmq; idcircò conjurationes in ipsum fierent, inter alios mulctavit etiam NICEPHORUM patruum, & exoculavit. Tandem [*Anno Æræ Vulgaris 797.*] & ipse fuit exoculatus consilio matris, & aliqvanto pòst luctu mortuus est. (*Frisingensis lib. 5.*

cap.

.19.) Itaq; rerum summa rediit ad Ire-
m matrem, qvæ qvarto demum anno sui
perii dejecta, inq; exilium relegata, suc-
sorem habuit eum, qvem diximus, Ni-
horum. [*Anno Æra Vulgaris 802.*] *Dia-*
nus lib. 21. Zonaras tomo 3.

Intereà, dum ita Constantinopoli tu-
ltuosè res aguntur, celebris erat Adro-
Regis Francorum, fama. Nam is, Aqvi-
co bello confecto, rogatus ab Adria-
Episcopo Romano, cum exercitu venit
taliam, (*Regino lib. 3.*) & sicut ipsius pa-
Pipinus Aistulphum, regem Longo-
lorum, oppresserat, ut suprà dictum est;
nbardus) ita hic Aistulphi successo-
esiderium, gravem Italiæ & Adriano
st longam obsidionem cepit, [*Anno*
Vulgaris 774.] ejusq; filium Adalgi-
regno dejecit, & omni expulit Italiâ.
ertus Gagvinus lib. 4. cap. 1. Æmilius
ensis Rerum Franc. lib. 2.

Jam Cæsares Romani, qvoniam &
ùs aberant, Constantinopoli videli-
inde à tempore Constantini Magni,
a non solùm externis bellis, verùm
etiam

etiam domesticis & civilibus erant impediti dissidiis; Italiam ferè negligebant, aut certè non poterant idoneè tueri, præsertim Longobardis ibi grassantibus. Deinde, ex iis pleriq; dissidebant etiam graviter à Romanis Episcopis, ut antè diximus, & ipsorum odio non admodum movebantur illis Longobardorum successibus. Hac de causa Pontifices externam defensionem circumspiciebant: & qvia tum temporis nulla erat illustrior aut potentior familia, qvàm FRANCIÆ regum, propter magnitudinem rerum gestarum, idcircò ad eam, velut ad portum aliqvem, rebus turbulentis, confugiebant.

Hunc etiam admodum Adriano mortuo, cui successit LEO III. qvum graves haberet Romæ adversarios, Carolum, Pipini filium, implorabat: qvi, cùm ad urbem qvartò venisset, à Pontifice simul & omni populo salutatus est IMPERATOR. (*Diaconus lib. 14. Sigebert. Sabell. Ennead. 8. lib. 9.*) Qvod qvidem accidit, qvò tempore Constantinopoli fervebant omnia factionibus, ita qvidem, ut etiam tempus ipsum & Reipublicæ status huic muta-

tio-

tioni videretur causam & occasionem præbere. *Blondus Decad. 2, l. 1.*

Sic igitur Occidentis Imperium ad GERMANOS devenit, nam Germanos fuisse Pipinum atqve Carolum; dubitari non potest. Fuit hoc post natum CHRISTUM, anno octingentesimo primo.

Cæterum inde à NICEPHORO, Imperatores Orientis, continuis ferè bellis agitati fuerunt. Nam initio BULGARI sæpe cum illis conflixerunt: deinde SARACENI, ex Aphrica profecti, Cretam insulam, post qvoqve Siciliam occuparunt, & Asiam longè lateqve vastarunt: postremò etiam TURCÆ, Scythiæ populus.

A Nicephoro autem usq; ad CONSTANTINUM PALAEOLOGUM postremum, circiter qvinqvaginta numerantur Imperatores Græci, & in his aliqvot fœminæ. Ex ipsis pleriqve fuerunt ignavi. *De his legantur Zonaras tomo 3. Nicetas Choniates. Niceph. Gregorius, Chalcocondiles & alii.*

Et CONSTANTINO MONOMACHO regnante, qvi vigesimus est à Nicephoro, TURCÆ, ab humili origine paulatim progressi longiùs, Asiam vastare cœperunt,

& auctis qvotidiè viribus, MONARCHIAM demum constituerunt, non qvidem novam aut qvintam aliqvam, sed ex eâ natam Imperii Romani parte, qvæ fuit ad Solem Orientem. *Zonar. tom. 3. Baptista Egnatius lib. 1. princip. Roma.*

Ejus autem Monarchiæ princeps fuit OTTOMANNUS ad annum Christi circiter M. CCC. *Chalcocond. libr. 2. de reb. Turcicis. Matthias Mechovius in Sarmatia Asiatica c. 15.*

MAHOMETUS deinde, ejus nominis II. proavus SOLYMANI, qvi nunc rerum potitur, captâ Constantinopoli, [*Anno Ær. Vulg. 1453.*] & Constantino Palæologo Cæsare, qvem diximus, interfecto, cum omni familiâ, nomen & successionem Imperatorum nostræ religionis, iis in locis funditus delevit. *Chalcocond. lib. 8. Sabell. Ennead. 10. l. 6.*

Tenent autem Turcæ ad hoc usqve tempus, ASIAM, SYRIAM, ÆGYPTUM, MESOPOTAMIAM, JUDÆAM, RHODUM, GRÆCIAM OMNEM, THRACIAM, BULGARIAM, MACEDONIAM, ILLYRICUM, UTRAMQVE MYSIAM, & nuper ALTERAM

ferè

ferè PANNONIAM & APHRICÆ PARTEM aliqvam.

De PRIMATU dimicarunt olim inter se vehementer ECCLESIÆ, HIEROSOLYMITANA, ANTIOCHENA, CONSTANTINOPOLITANA, ROMANA, & hæc qvidem duæ potissimum, uti suprà docuimus: TURCA verò litem diremit, & sic omnia tribus illis locis conturbavit, nullum ut existat Ecclesiæ, vel Christiani coetûs vestigium. Ejus autem, qvæ superest, Ecclesiæ, qvæqve sublatis æmulis nunc sola triumphat, cujusmodi sit facies, qvi status, res ipsa declarat.

Postqvã ergò demonstravimus, qvemadmodum Imperii Romani pars altera corporis, Orientem Solem spectans, omninò conciderit, & in alienam potestatem devenerit, reliqvum est, ut, qvemadmodum & ea pars, qvæ pertinet ad Occidentem Solem, prorsus interierit, & novos adepta sit Dominos, breviter explicemus.

Hic enim obiter considerandum est, qvomodo mirabili qvodam fortunæ ludibrio, à Romanis illis atqve priscis familiis, augustum illud Imperii decus

& fastigium, ad exteros delatum sit, & qvidem aliqvot pudendæ conditionis homines. Nam ex iis qvidam fuerunt Hispani: nonnullis Pannonia, Dacia, Dardania, Dalmatia, Gallia, Thracia, Cappadocia dedit originem.

Imprimis autem observari debet, qvàm fuerit anceps & misera Imperatorum conditio; Nam ipsorum dignitas omnis atqve salus erat, non in Senatus aut Populi, sed in Legionum atqve militum potestate: sic, ut permirum videri possit, ullos fuisse, qvi munus hoc tam periculosum & injuriis oportunum, susciperent. Etenim inde à C. CÆSARE, qvi spectante Senatu concidit, ad CAROLUM usqve MAGNUM, circiter triginta ex iis fuerunt interfecti, qvatuor verò sibi mortem ipsi consciverunt. Semper aliqvid erat, qvod in ipsis desiderarent milites: neqve bonos magis, qvàm improbos ferre poterant, & ad minimã occasionem, concitatâ turbâ, jugulabant eos, qvos etiam invitos ad culmen illud honoris pertraxerant, sicut ÆLIO PERTINACI constat (*Angelius Victor Herod. libr. 2.*)

acci-

accidisse. Cæsarem metuebat Senatus: ipse verò Cæsar, ab impuri militis voluntate propemodum, atqve nutu pendebat. *De hac Romani Imperii infelicitate sic scribit Erasmus Roterod. præfat. in Suet. Tranqvill. O miserum ac deplorandum illorum temporum statum! Oppressâ Senatus auctoritate, oppressis legibus, oppressâ populi Romani libertate, sic creato principi serviebat orbis; Princeps ipse serviebat iis, qualem nemo vir probus domi vellet habere servum. Imperatorem timebat Senatus; Imperator scelestam illam militum multitudinem formidabat. Imperator Leges dabat Regibus: At huic leges dabant conductitii milites. Summa rerum orbis, ab armatâ paucorum temeritate pendebat.*

Hos autem spiritus, inde post C. Cæsaris mortem sibi sumserunt, præsertim, legiones veteranæ, qvibus per Galliam, Hispaniam, Aphricam ille fuerat usus: & Cicero (*Phil. 12.*) hoc ipsum deplorans, *fortes illæ qvidem sunt*, inqvit


ſed propter memoriam rerum, quas geſſerunt pro populi Romani libertate & dignitate, Reipublicæ nimis feroces, & ad ſuam vim omnia noſtra conſilia revocantes.

FINIS

LIBRI SECUNDI.



JO-



JOHANNIS SLEIDANI,

De

Qvatuor Summis

Imperiis,

LIBER III.

ANteqvam de Carolo Magno loqvamur, ad qvem diximus Imperium Occidentis esse delatum, explicanda sunt qvædam de GERMANIS, à qvibus originem ille deducit. *Origo Caroli Magni ad Francos, antiqvissimos Germaniæ populos, refertur à Gotfrido Viterbiensi: Ludolpho de Babenberg libro de jure regni, cap. 3. Jacobo Wimphelingio rerum German. cap. 22. Hieron. Gebuilero de libertate Germanica cap. 6. 8.*

 Ægi-

Ægidio Tschudo in descriptione Rhetiæ Alpinæ cap. 36. Francisco Irenico exegeseos lib. 3. cap. 18. Verum Joan. Bodinus, Germanici nominis hostis, Carolum natione Gallum, in Gallia natum, linguâ quoque, moribus & institutis Gallorum, unà cum suis majoribus educatum, scribit in methodo histaric. cap. 7.

Et primo qvidem certò constat, Germanos persæpè transiisse Rhenum, & in Gallias penetrasse, ut ibi propter agri bonitatem considerent.

Nam Thevtoni in provinciam Galliam invaserunt, & à C. Mario Consule fuerunt profligati. *Florus lib. 3. cap. 3. Vellejus libr. 2. Orosius lib. 5. cap. 6. Eutropius lib. 5. Cæsar de bello Gallico l. 1.*

Deinde, cum ARUERNI & HEDUI, Galliæ populi, de principatu contenderent, Germani, mercede conducti ab Arvernis & Seqvanis, primò qvidem non ita magnis copiis eò venerunt: paulatim verò sic augescebant, in ARIOVISTO rege, ut bonam ejus agri partem occuparent, [*circa annum ante Ær. Vulg. 73.*] Eos autem C. Cæsar prælio superavit & ali-

qvot

qvot post annis, cùm bellum gereret, in EBURONES, Galliæ Belgicæ populum, Germani denuò Rhenum trajecerunt, ut exercitum Romanum oppugnarent: sed ad Mosæ confluentem atq; Rheni, fuerunt ab illo concisi. *Cæsar libr. 4. Hubertus Thomas Leodius de Tungris & Eburonibus.*

Multis deinde pòst annis intra suos fines se continebant, eò qvod Romani Cæsares bellum ipsis inferrent: sed tamen qvoties tempus aliqvod idoneum essent adepti, non deerant suis ipsi commodis, & Galliam perpetuò vastabant. *Trebellius Pollio & Sext. Aurelius.* Hunc ad modum, Gallieno Cæsare, homine ignavo & voluptuario, impressionem fecerunt, [*circa Annum Æræ Vulgaris 261.*] & paulatim eò potentiæ creverunt, ut PROBUS Cæsar, qvartus à Gallieno, vix magnâ difficultate illos rejiceret. [*circa Annum Æræ Vulgaris 277.*] *Flavius Vopiscus in Probo. Eutropius lib. 9. Zosimus l. 9.*

JULIANUS etiam, Constantii Cæsaris legatus, bella cum illis gessit.

[circa Annum Æræ Vulgaris 365.) Zos. l. 3.) Post hæc, HONORIO Cæsare, Gothi in Galliam irrupetunt, iisq; Cæsar, diversis bellis occupatus, Aqvitaniam concessit inhabitandam.

Ab alterâ parte FRANCONES Germani (Paulus Diacon. l. 14.) per Belgicam irruptione factâ, [Circa annum 413.] Treviris, Menapiis, Eburonibus, Morinis, Nerviis, Ambianis, Bellovacis, Suessionibus oppressis, in eâ parte Galliæ consederunt, qvæ nomen ad hoc usqve tempus retinet, & Francia dicitur, cujus qvidem regionis caput LUTETIA, nec procul illinc oppidum SANDENISIUM, Franciæ regum sepulturæ posteà consecratum est, in hodiernum usqve diem. *Qvos Sleidanus Francones nominat, antiqvi Romanæ historiæ scriptores, ut & recentes, Francos indigitant, Fl. Vopiscus in Aureliano & Proculo. Zosimus l. 1. Ammianus Marcellinus lib. 15. 27. & 30. Aurelius Victor. Eutropius lib. 2. & alii.*

Ad eum modum amplificati qvum antea bonam Germaniæ partem possiderent, omnem videlicet regionem illam, qvæ

qvæ est ad Mœnum flumen, atqve Rhenum, facilè non solùm defendebant illatum bellum, sed etiam aliis inferebant, & labante indies magis atq; magis imperio Romano, per Asiam & Aphricam, Longobardis etiam Italiam vastantibus, admodum suos fines per Galliam extenderunt, & qvum ordine multi ipsorum reges ibi dominarentur, tandem ad PIPINUM etiam, ejusqve filium CAROLUM regni summa devenit. *Sigebert. Frisingensis libr. 5. cap. 16.*

Pipini pater, CAROLUS MARTELLUS, non qvidem ipse rex, verùm ex proceribus unus, & Palatii præfectus, [*Ab An. Æræ V. 714.*] vel, ut vulgò loqvuntur, MAJOR DOMUS, Bavaros & Suevos devicit. *De Majore Domus videatur Francogallia Fr. Hotomani c. 12. Nominatur ibi palatii magister, & dignitas ei tribuitur eadem, qvæ fuit præfecti prætorii apud Romanos, qui alio nomine aulæ præfectus vocabatur. Sunt & alia nomina, qvæ Majoribus Domus tribuuntur, ut præ-*

præfecti aulæ, comites Palatini, qvin etiam aliqvot post seculis Seneschalli Franciæ appellati sunt. Exstat de Majoribus Domus fragmentum editum à P. Pithæo in annalib. Francicis. De bellis autem Pipini, in Germaniâ gestis, videantur Viterbiensis parte Chronici 17. Gagvinus lib. 3. cap. 4. Aventin. Annal. Bojor. lib. 3.

Nam sicut Annalium Scriptores Galliæ tradunt, (*Eginhard. in vita Caroli M. Sigebert.*) aliqvot nunc annis, præter titulum atqve nomen, nihil Reges habebant, sed omnis authoritas erat & sum̃a rerum, penes PRÆFECTUM REGIÆ DOMUS. Etenim à superiorum Regum virtute prorsus isti degeneraverant, & voluptatibus dediti nullam Reipublicæ curam suscipiebant. Itaqve *præfectus palatii* Magistratum gerebat: & qvo major erat ignavia Regis, eo plus potentiam iste suam augebat. *Annales Francici ad annum CHRISTI 751.*

Hac demum occasione, Pipinus, qvi CHILDERICO regnante præfectus erat, qvum

qvum apud Pontificem Zachariam res in disceptationem venisset, ut ajunt, (*Eginhard. Regino l. 2. Sigebert. Viterbiens. parte 17. Chronici*) regnum obtinuit. [*Anno Ær. V. 742.*)

Hujus rei mentio fit in decreto, qvod vocant Gratiani, (*Can. alius item 3. cap. 15. q. 6.*) qvòd nimirum Papæ liceat Regibus abrogare Principatum: Sed ejus loci titulus & inscriptio falsa est. Qvum enim duo sint ANASTASII Cæsares, neutri potest attribui. Nam prior ducentis & ampliùs, alter verò triginta septem annis anteà regnavit, qvàm istud accideret: Deinde, posterioris ætate, nullus fuit Papa GELASIUS. *In recenti juris Canonici editione, auspicio Gregorii XIII. adornatâ, capitulum hoc non Papæ Gelasio, ut est in vulgatis codicibus, sed Gregorio Papæ adscribitur. Is est hujus nominis septimus, qui in Epistolâ ad Herman. Metensem Episcopum ista scripsisse memoratur.*

Admonendi causâ Lectores hoc addendum putavi, qvò Pontificiorum scripta prudenter evolvant atqve cautè. Nec enim uno loco deprehenditur, id

eos agere potissimùm, ut suis legibus opinionem vetustatis addant, qvò plus habeant ponderis & authoritatis.

PIPINUS, præterqvàm qvòd Longobardos per Italiam compressit, (*Regin. lib. 2.*) rogatu Pontificis, ut suprà dictum est, bellum qvoqve gessit in SAXONES, & deinde cum AQVITANIS, (*Gaguinus lib. 3. c. 4.*) eorumqve ducem captum interfecit: cumqve non multò pòst è vita migrasset, [*Anno Æra Vulg. 768.*] ac illi subinde rebellarent, CAROLUS filius, Rex, utrumqve bellum vix tandem ingenti labore perfecit.

Cum SAXONIBUS enim totos annos XXXIII. [*Ab Anno Æræ Vulg. 772.*], belligeravit, (*Eginhard.*) eoqve durante bello, confecit & alia, [*Regino lib. 2. Sigebertus.*) Nam & BAVARIAM, Tassilone duce rebellantem, suæ ditionis fecit, [*Anno Æra Vulg. 788.*] & bis contra LONGOBARDOS profectus, & in CAMPANIAM usq; progressus, omnem Italiam domuit & legibus constituit, *Gaguinus l. 4. c. 1. Urspergensis.*

Illas

Illas etiam Galliæ civitates, qvæ sunt ad Oceanum, & à C. Cæsare vocantur ARMORICÆ, nunc autem MINORIS BRITANNIÆ nomine censentur, ad officium redegit, (*Eginhard. Cæsar belli Gal. libr. 5. Gag. lib. 4. c. 2.*) qvum stipendium annuum, Franciæ regibus debitum, nollent amplius dependere. *Johannes Lelandus Armoricæ idem significare dicit, quod supra mare, in ipsa Britannica lingua. Repetit hoc Guil. Camdenus in Britannia.*

In HISPANIAM qvoqȝ profectus cum exercitu, feliciter qvidem rem gessit adversum Saracenos. (*Johannes Turpinus*) Rediens autem, in saltibus Pirenæis, per insidias, gravissimè cæsus fuit à VASCONIBUS, (*Eginhard.*) Aqvitaniæ populo, sed & HUNNOS, qvi Pannoniam tunc obtinebant, octavo demum anno vicit, [*bellum incepit anno Ær. Vulg. 791.*] & per Legatos BOHEMIAM qvoqve pacavit. *Antonius tit. 14. c. 2. §. 5. Gaguinus l. 4. c. 1.*

Postremùm verò bellum fuit adversus DANOS sive NORDMANNOS, (*circa Ann. Ær. Vulg. 810.*) qvi maritimam oram Germaniæ, Galliæqȝ magnâ classe vastabant. *Eginhardi.* His.

His tantis rebus gestis, effectum est, ut MAGNUS diceretur. *Nithardus histor. lib. 1, Gagvinus lib. 4. cap. 1.*

Cum enim Francorum Reges antea solum tenerent eam Germaniæ partem, qvæ est inter Saxoniam & Danubium, interqve Rhenum & Salam, ad hæc, Sveviam atqve Bavariam: (*Eginhard. Aventin. lib. 4.*) Ipse totam SAXONIAM adjecit; deinde utramqve PANNONIAM, DACIAM, ISTRIAM, HIBERNIAM & MEDITERRANEAM DALMATIÆ PARTEM. Cumqve item Francorum reges per Galliam tenerent eam partem, qvæ est inter Rhenum & Ligerim; inter Oceanum & mare Balearicum, ipse omnem AQVITANIAM totumqve jugum Pyrenæi montis, ad Iberum usq; flumen, & qvod primo loco dictum oportuit, ITALIAM totam inde ab Alpibus ad extremam usq; Calabriam adjecit: & postea qvartò Romam profectus, [*An. Æræ V. 800.*] à LEONE TERTIO & ab omni populo Romano salutatus est IMPERATOR AUGUSTUS, cum jam annos regnasset XXXIII. *Eginhard. Regino l. 2. Sigebert. Gagvin. l. 4. cap. 1.*

c. 1. Platina in Leone 3. Sabell, Ennead. 8. lib. 9. Blondus Decad. 2. lib. 1.

Romanum igitur Imperium, qvod est ad Occidentem Solem, variè dilaceratum, præsertim ab eo tempore, postqvam Cæsares domicilium atqve sedem Constantinopoli sibi delegerunt, ut ex iis, qvæ suprà commemoravimus, apparet, à Carolo Cæsare redintegratum est, ac veluti novum corpus, colorem atqve speciem resumsit, tot, tantisqve provinciis, ad unius principatum redactis. *Sigebert.*

NICEPHORUS, ad Orientem Solem Cæsar, factum istud indignè qvidem tulit, sed humanitate, modestiaqve sua Carolus eum delinivit, & missis donis, amicitiam uterqve coluerunt & utriusqve Imperii constituti fuerunt certi limites. (*Aventinus lib. 4.*)

Præter alios conventus, Concilium (*3. tomo concil. pag. 700.*) habuit etiam *RHEMENSE*, in qvo decretum fuit, inter alia multa ut Episcopi sacram Scripturam diligenter evolvant & Dei verbum annuncient. *Cap. 14. decretorum hujus Synodi pag. 701.*

MO-

MOGUNTIÆ qvoq; Synodus (3. *tomo concil. p. 693.*) fuit Anno priùs, qvàm è vita decederet, & superioribus annis alia, TURONI, CABILONI, ARELATÆ, de emendatione Ecclesiarum, uti tradunt, qvi per id tempus vixerunt. *De Turonensi Synodo videatur tomus tertius Concilior. pag. 682. De Cabilonensi ibidem pag. 686. De Arelatensi videatur pag. 670. Legatur etiam vita Caroli Magni, edita à Petro Pithao, & Auctor annalium Francicorum. Meminit Sigebertus & Gaguinus l. 4. cap. 1.*

LUDOVICO deinde filio, regni & Imperii hærede designato, (*Eginhard.*) mortuus est Aqvisgrani, (*A. Æ. V. 814.*) qvod est Galliæ Belgicæ oppidum, septuaginta natus annos, post CHRISTI natalem, anno octingentesimo decimo qvarto, qvum per annos ferè XIV. Cæsar fuisset, Germanorum omnium primus ad eam evectus dignitatem. *Carolo ætatis annos assignant 72. Eginhard. Gaguinus & alii. Auctor annalium Francicorum 71. adscribit. Frising. l. 5. c. 31.*

Ipso regnante, (*Eginhard. in vita Carol. M. Sigeb.*) per Italiam, Germaniam, Gal-

Galliam XXI, tantum erant CIVITATES, uti vocant METROPOLITANÆ, *Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntia, Salisburgum, Treveris, Rotomagus, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarentesia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges.*

Metropolis ex μήτρα & πόλις, id est, matrix & urbs, juncto nomine, dicitur ea civitas, unde colonia deducta est. Ulpianus lib. 48. D. de officio Proconsulis Ephesum Metropolim appellat: Isidorus ἐκ τοῦ μέτρου, id est; mensura fictum vocabulum tradit, quod & distinct. 21. asseritur, sed falsò. Denique Metropoles ad extremum dicta sunt matres urbium; sive capita provinciæ, lib. 1 C. de Metrop. Berytho, & apud Solinum & Marcell.

Ejus parens Pipinus, Exarchatum, Longobardis ereptum, Episcopi Romani fidei

fidei comiserat, ut suprà diximus, (*Regin.lib.2.*) qvemadmodum qvidem memoriæ proditum est: Ipse verò planè illis dedisse eum fertur: qvod tamen in dubium à multis vocatur.

Qvi fuit ei familiaris, & scriba juratus EGINHARDUS, (*in vita Caroli Magni*) divi Petri, qvam vocant, Ecclesiam Romæ, præ cæteris ei valdè charam fuisse, magnamqve vim auri, argenti, gemmarum illuc deportatam & plurima Pontificibus ab eo munera esse missa, scribit: nam hoc illum imprimis egisse diligenter, ut ipsius operâ studioqve, urbs Roma veteri polleret authoritate, & sancti Petri Ecclesia, non solùm ipsius esset incolumis tutaqve patrocinio, sed etiam opibus inter alias maximè floreret. Hæc ille duntaxat: qvod verò tot tamq; potentes urbes dederit, qvæ ditionis erant imperii, ne verbum qvidem: imò, qvum à qvartâ in Italiam profectione, factus esset CÆSAR, urbis Romæ, & Pontificis, & totius Italiæ, non publicas tantùm, sed Ecclesiasticas etiam res & privatas, ordinasse scribitur. *Eginhardus vel Einardus*

scriptor

scriptor vitæ Caroli Magni, ejusdem Imperatoris non cancellarius tantùm, ut Tritheimius, verum etiam gener fuisse scribitur. Videatur Jacobus Curio lib. 2. rerum Chronol. item Justus Reuberus initio Tomi sui historic. Germaniæ.

Etenim, cum nondum esset Cæsar, sed Franciæ tantùm Rex, (*Sigebert.*) debellato Longobardorum Rege, Desiderio, sicut diximus, Romam venit, & Concilium habuit; (*Dist. 63. c. Hadrianus Papa. 2.*) In eoq; sicut ipsorum libri dicunt, Adrianus I. totaqve Synodus eligendi Pontifices & ordinandi sedem, uti vocant, Apostolicam, & Episcopos confirmandi, jus atqve potestatem ei concessit. *Blondus Decad. 2. l. 1. Gaguinus l. 4. c. 1. Aventinus Annal. Bojorum l. 4.*

Multas Carolo tribuit & principe viro dignas virtutes Eginhardus, temperantiam, modestiam, frugalitatem, studium religionis, doctrinam, eloqventiam, & non Latinæ tantùm, sed & Græcæ lingvæ cognitionem: Ad hæc summam curam ac diligentiam in educandis & ad easdem res instituendis liberis.

PARI-

PARISINAN qvoqve traditur ACADEMIAM instituisse, [*An. Æra Vulg.* 792.] tùm suâ sponte, tùm ALBINI præceptoris impulsu, qvem habuit in discendis artibus magistrum, sicut Eginhardus dicit. *Vincentius speculo historiali l.* 24. *Sabellicus Ennead* 8. *l.* 9. *Gaguinus l.* 4. *c.*1. *Jac. Middendorp. l.* 2. *Academ. orbis Christiani. Curio l.* 2. *Chronol.*

MENSIBUS etiam Nomina Germanica dedit & VENTIS duodecim, qvibus etiamnum utimur: qvum ante id tempus, ut idem Scriptor ait, Francones partim Latinis, partim uterentur barbaris. *Eginhard. Sigebert. Ursperg. Albertus Stadensis.*

Huc usqve veluti præfatus de Germanis, deqve Carolo, paucis percurram deinceps & ostendam, qvemadmodum hæc Imperii Romani pars, qvæ est ad Occidentem Solem, à Carolo vix demum restituta & recollecta, rursus interierit, & in varias divisa provincias, facta sit multorum ditionis, qvi veluti peculium suum illas possident, nec fontem ipsum, unde manarunt, agnoscunt, ita qvidem, ut illud augustum, & tantoperè celebratum Impe-

Imperii Romani fastigium, nihil aliud sit hodierno die, qvàm tenuis qvædam magni corporis umbra, postqvam ex tam immensa mole redactum est ad unicam Europæ particulam, Germaniam. Postremo. qvemadmodum hanc Imperiorum vicissitudinem & occasum Romanæ Monarchiæ Daniel pronunciaverit, breviter exponam.

LUDOVICUS ergò, Caroli filius, alter Imperator Germanus, cum Cæsare Græco LEONE ARMENIO renovavit amicitiam: eumqve ipsius regni anno tertio mortuus esset LEO PAPA: [*Anno Ær. 168*] successor STEPHANUS IV. in Galliam profectus, Rhemis eum consecravit. [*An. eod.*] *Frisingens. l.5. c.32. Vuterbiens. part. 17. Chron.*

Hunc excepit PASCHALIS, [*Anno Ær. Vulg. 817.*] (*Annales Galliæ. Antonius l.4. cap.203.*) & qvia Cæsaris Authoritas non intervenerat, ille per legatos diligenter atqve sólicitè factum purgans, Pontificatum sibi prorsus invito dicebat esse obtrusum. *Gaguinus l. 4. c. 2. Æmilius lib. 3. Vita Ludovici edita à Petro Pithæo.*

Libri

Libri Pontificii habent, (*Dist. 63. c. ego Ludovicus*) Ludovicum Cæsarem Paschali, cæterisq; post eum, & confirmasse possessionem bonorum & electionem permisisse liberam, ut qvem omnes Romani judicassent eo munere dignum, is pro Pontifice haberetur. Qvantum fidei sit ejusmodi scriptis tribuendum, non video: Sic enim inter se dissident, sic nullo sunt ordine perscripta, ut, qvid seqvendum sit, intelligi non possit. *Carolus Molinæus JCtus Bibliothecarium Pontificum Romanorum fautorem & domesticum, hujus capituli auctorem esse, & ob id tanqvam homini suspecto minimè credendum scribit.*

Filios Ludovicus habuit tres: LOTHARIUM, imperii & regni consortem allegit: CAROLUM, qvi Pipino Fratri mortuo successit, Aqvitaniæ: LUDOVICUM Bavariæ præfecit. *Annales Gallici. Viterbiensis. Æmilius lib. 3. Blond. libr. 3. Decad. 2.*

Conjuratione factâ, captus à filiis, [*Anno Æræ Vulg. 833.*] & regno privatus, Compenii, oppido Svessionum, (*Regino lib. 2.*) ad monasticum vitæ genus fuit detru-

trusus. *Historia hujus exauctorationis peculiari scriptô exposita est, qvod Petrus Pithœus edidit. Videatur etiam Theganus, Chorepiscopus Trevirensis, libro de gestis Ludovici Imperatoris. Item vita Ludovici, incerto auctore edita ab eodem Pithœo. Meminit Gaguinus lib. 4. cap. 2. & seqq.*

Galliæ Scriptores Annalium (*Annal. Gallici, Sigebert.*) tradunt, proceres Ecclesiasticos, qvorum ille fastum atq; luxum coërcere volebat, habitis Aqvisgrani comitiis, hanc ei concitasse turbam, & filios, ut facinus tàm impium auderent, impulisse. *Fastûs sacerdotum coerciti meminit Gaguinus lib. 4. cap. 2. Videatur 3. tomo conciliorum Synodus Aqvisgranensis, pag. 810. Dejectionis verò longè aliam causam, uxoris videlicet incontinentiam atque efferatam libidinem, Regino lib. 2. adfert. Idem habet Viterbiensis; de qvibus tamen criminibus sese publicè purgavit, teste Nuhardo. lib. 1.*

Liberatus autem sexto pòst mense, maximo populi desiderio, regnum & omnia recuperavit. *Annales Gallici lib. 4. cap. 2.*

Qvia locus ita fert, notandum hîc est obiter, multa fuisse per Galliam habita concilia nationis. Nam proximum ab illo, qvod diximus, Aqvensi, Trojæ fuit, oppido Campaniæ: Deinde Rhemis, Gergoviæ, Turoni, Digeone, Lutetiæ, Lugduni, Viennæ, Avenione, Avarici, Aureliæ, & qvidem iisdem in locis plura. *Vide Joannis Marii Belgæ librum de schismat. & conciliis, parte 2. cap. 5. & seqq.*

Cùm enim status rerum ita posceret: ipsi reges ordinem Ecclesiasticum cæterosq; proceres convocabant, ut publicis incommodis mederentur. *Contrarium fieri oportere, docet Gratianus* Dist. *17. can. Synodum, c. reg. vestra, c. Nec licuit, c. Multis denuò, c. Concilia sacerdotum.* Legatur Bellarminus *tom. 1. part. 2. lib. 1. cap. 12. de* Conciliis.

Ad hunc modum Ludovicus XII. qvi cum Julio II. graves exercuit inimicitias, Turoni concilium habuit suorum, atqve Lugduni, salutis anno M.D.X. & XI. *Hubertus. Vellejus, appendice ad Gagvinum, cap. 4. Joannes Marius de schismat, & concil. parte 2. cap. 25.*

Nunc

Nunc ad institutum. Ludovico mortuo, [*Anno Æra Vulgaris 840.*] Metiqve sepulto, successit LOTHARIUS, (*Gagvinus lib. 5. cap. 1.*) cui bellum fuit cum fratribus, quo demum sedato, & novâ factâ divisione, LUDOVICO Germania cessit, Galliaeqve pars inde à Mosa usq; ad Rhenum: (*Regino lib. 2.*) CAROLO autem obvenit Gallia, inde ab Oceano Britannico & Pyrenæo saltu usqve ad Mosam. Lotharius, præterqvam, qvòd Cæsar esset, Italiam & Narbonensem qvoqve provinciam obtinuit. *Sigebertus. De dissensionibus filiorum Ludovici Pii extant lib. 3. Nithardi Angilberti F. Caroli M. ex Bertha filia, nepotis. Videatur etiam Frisingensis lib. 3. c. 35. Helmoldus lib. 1. cap. 4.*

Ei successit [*Anno Æra Vulgaris 855.*] filius LUDOVICUS II. qvi Saracenos in Italiam irruentes repressit. *Regino lib. 2. Sigebertus.*

Eô regnante, Papa fuit inter alios ADRIANUS II. & qvidem non assentiente Cæsare, sicut ipsorum habent libri, creatus à nobilitate Romana, civibus atqve clero, qvem vocant. Nam licet essent

in urbe Cæsaris Legati, tamen ad electionem vocati non fuerunt, (*Dist. 63. can. cum Hadrianus.*) Cùmq; graviter id & molestè ferrent, responsum eis fuit, nullo factum hoc esse Cæsaris contemptu, sed cautione qvadam in posterum, ne videlicet, qvum est creandus Papa, mos, ille, Cæsaris expectandi legatos, tanqvam necessarius inolescat. Eo responso non solùm illos fuisse placatos, verùm etiam officii causâ demissè Pontificem salutasse tradunt. *Hoc moliti sunt Romani Pontifices, ut principe omni jure, in eligendis Episcopis, privarent, qvemadmodum Synodus octava Constantinopolitana, sub hoc Adriano habita, id testatur, canone 22, tomo 4. concil. pag. 9.*

Hîc autem videre licet mirabilem qvandam in ipsorum scriptis varietatem & inconstantiam. (*Dist. 63. cap. ego Ludovicus.*) Etenim, si Ludovicus I. liberam eis electionem concessit, uti ferunt, & paulò suprà dictum est, cur ejus nepos, Ludovicus II. injuriam sibi factam esse putabat? Sed qvoqvo modo res habeat, titulus qvidem ejus decreti, qvod est in centonibus Gratiani,

ni, manifestè falsus est. Nam Gregorio IV. tribuitur, cùm is viginti duobus annis è vita decesserit antè, qvàm Adrianus II. fieret Pontifex. An historiam scripsit mortuus eorum, qvæ pòst acciderent?

Ante Adrianum proximus fuit NICOLAUS I. cujus extat ad MICHAELEM, Imperatorem Græcum, Epistola, (3. *Tom. concil. pag. 906. Zonaras Tomo 3.*) valdè prolixa, de sua in omnes Ecclesias potestate. Nam Constantinopoli fuit ab Episcopatu remotus IGNATIUS, & institutus PHOTIUS, inconsulto Episcopo Romano: sed & ejectæ statuæ. Clamat ergò contrà, qvàm vehementissimè potest. [*Anno Æræ Vulgaris 860. seq.*] Extant etiam ejus decreta plurima, plena Majestatis Papalis *Decreta hujus Nicolai Pontificis ex Gratiano collecta sunt, & in 20. titulos dispertita à Johanne Cochlaeo.*

CAROLUS, Galliæ rex, ut suprà diximus, [*Anno Æræ Vulgaris 875.*] magnâ celeritate proficiscitur in Italiam, resistente licet altero fratre, natu majore, LUDOVICO, Germaniæ rege, & à Johanne VIII.

Romano Pontifice, consecratur. *Gaguinus lib. 5. cap. 1. Frisingensis lib. 6. cap. 6.*

Secundò profectus in Italiam, rogatu Pontificis, (*Regino lib. 2.*) ut Saracenis, qvi Campaniam rursus invaserant, resisteret, Mantuæ mortuus est. [*Anno Æræ Vulgaris 877.*] *Carolus veneno à Sedechia Judæo propinato interemptus est. Regino, Sigebertus, Gaguinus, lib. 5. cap. 1.*

LUDOVICUM filium habuit successorem, (*Sigebertus*) cognomine BALBUM, sedis per biennium modò præfuit. *Gaguinus lib. 5. cap. 2.*

Ab eo Imperii Romani summa venit ad CAROLUM CRASSUM, [*Anno Æræ Vulgaris 879.*] Ludovici, Germaniæ regis, filium, (*Regino lib. 2.*) qvi duobus, qvos habebat, fratribus mortuis, Germaniam omnem & Italiam & Galliam obtinuit, & Saracenos, Italiam vexantes, profligavit, (*Frisingensis lib. 5. cap. 8.*) & belligeratus aliqvandiu cum Nordmannis, inferioris Germaniæ populo, Galliam Belgicam vexantibus, eam Galliæ partem illis demum concessit, qvæ nomen illorum ad hoc usq; tem-

tempus retinet. *Prodoardus in Chronico. Sigebertus. Gaguinus lib. 5. cap. 4. Sunt autem Nordmanni iidem cum Danis, ut ex Adamo Bremensi Albertus Stadensis refert. Helmoldus lib. 1. cap. 7. ex* Danis, *Svenonibus & Norveis collectam fuisse multitudinem scribit.*

Post hunc fuit ARNULPHUS Cæsar, [*Ab Anno Æræ Vulg, 887.*] (*Regino lib. 2.*) fratris filius, egregius princeps, in Italiam profectus, ut Formosum, Pontificem Romanum, ab adversariis liberaret, [*Anno Æræ Vulg. 894,*] Romam capit, [*Anno Æræ Vulg. 896.*] & in seditionis authores vindicat. *Luitprandus Ticinensis lib. 1. cap. 8. Frisingensis lib. 6. cap. 13. Viterbiensis.*

Ipso rerum potiunte, (*Luitprandus lib. 1. cap. 5. Regino lib. 2. Sigebertus*) Hungari, ex Scythia pulsi, in Pannoniam ruunt, & LUDOVICO III. Arnolphi filio, Cæsare, [*Ab Anno Æræ Vulgaris 900.*] in Germaniam progressi, & non procul à Lecho flumine, insigni victoriâ potiti, Bavariam, Sveviam, Franciam, Saxoniam, cædibus, rapinis & incendiis vastant. *Luitprandus lib. 2. cap. 1, & 2. Regino lib. 2. Urspergensis.*

Arnolpho Cæsare, Triburiæ, qvod

fuit ad Mœni ripam oppidum aliqvando, concilium est habitum, (*4. tomo concil. 1. pag. 26. Regino lib. 2.*) XXII. Episcporum Germaniæ, & inter alia multa decretum, (*13. q. 2. c. in Ecclesiast. 14.*) ut sepulturam mortuorum nemo vendat, & ne qvis laicus, uti vocant, in templo sepeliatur. *Cap. 13. q. 2 Can. qvibus 16. & Can. cùm gravia 17.*

Ad hoc tempus magnum exarsit incendium per Italiam: (*Luitprandus lib. 1. cap. 6. Regino lib. 2. Sigebertus*) Berengarius enim & alii qvidam Longobardiæ proceres multis ornati beneficiis à Carolo Calvo, conjurarunt adversus Galliam, qvo tempore Carolus Crassus imperabat, sed cùm frustra molirentur, ad Italiam animum adjiciunt, & inter se diu multumq; conflictati, sicut fieri solet, magnis cladibus illam afficiunt. *Blondus Decad. 2. lib. 2.*

Tandem Berengarius victor, Italiæ regnum obtinuit, (*Frisingensis lib. 6. cap. 14.*) & Ludovicum Cæsarem, eò cum exercitu profectū, ubi cepisset, exoculasse scribitur. *Ludovicus hic, excæcatus à Berengario, non Arnolphi Imperatoris filius & suc-*

ces-

cessor fuit, sed Bosonis, Burgundiæ regis, ex Hermingarda filia, Ludovici II. Imperatoris nepos, qui invitatus in Italiam, & contra juramentum agens, hosti tandem proditur, & Verona crudelibus suppliciis excarnificatur, [*Anno Æræ Vulgaris 903.*] *Regino lib. 2. Sigebertus.*

Hoc etiam tempore, ne qvid omninò calamitatis deesset, SARACENI, APHRI & HUNGARI immanissimè vastant Italiam. *Luitprandus lib. 2. cap. 12. Sigebertus, Antoninus 2. parte Historiarum, tit. 15. cap. 16.*

Cùmqve sub BERENGARIIS, HUGONE, RUDOLPHO, LOTHARIO, ALBERTO, & qvibusdam aliis, tam esset funestus & miserabilis pulcherrimæ regionis status, atqve in his turbis mortem obiisset Ludovicus Cæsar; [*Anno Æræ Vulgaris 912.*] (*Widechin. lib. 1. Dith. 1.*) Germani, SAXONES præsertim, atqve Francones, Cæsarem salutabant OTTHONEM, Saxonum & Thuringorum principem: sed is, ætate gravis, author ipsis fuit, ut CONRADUM, Franconiæ Ducem, sumerent, qvi, Cæsar factus, pleraqve omnia

de consilio faciebat Othonis: ac deinde, Othone mortuô, cùm & ipse graviter ægrotaret, convocatis ex nobilitate primis, orabat, ut Othonis filium, HENRICUM, tunc absentem, pro Cæsare agnoscerent. (*Luitprandus lib. 2. cap. 7. Widechindus lib. 1. Sigebertus.*) Is est Henricus, vulgò dictus AUCEPS. *Aucupis nomen unde factum, indicat Viterbiensis.*

Itaq; videmus, qvemadmodum [*Anno Æra Vulgaris 919.*] à Francis & Caroli familia splendor & dignitas Imperatoria pervenerit ad domum Saxonicam. *Rosuitha in Panegyrico.*

Hi duo Cæsares, CONRADUS & HENRICUS, ab Episcopo Romano non fuerunt consecrati, (*Cranzius lib. 3. cap. 4. Sax.*) sicut vocant, ideoqve prætermittuntur à nonnullis. Henricus qvidem oblatam à Papa consecrandi ceremoniam neglexisse fertur, qvòd bonorum virorum judiciis atqve suffragiis contentum sese diceret. *Wideohindus lib. 1.*

Aliqvantò pòst ARNOLPHUS, MALUS, Bavariæ dux, rei summam ad se traducere

cere cogitabat, (*Widechindus lib. 1.*) &, collectis utrinqve copiis, cùm ad Ratisbonam essent ambo exercitus expediti, Cæsar illum ad privatum colloqvium evocat, & commemorans, qvemadmodum à plerisqve Germaniæ populis esset creatus Cæsar, dehortatus etiam, ne tot hominum millia, in qvibus plerique essent innocentes & ignari causæ belli, velit periclitari, flexit ejus animum, atq; ita discessum est ab armis. [*Ann. Ær. Vulg. 921.*] *Luitprandus lib. 2. cap. 7. Frisingensis lib. 6. cap. 16. Urspergensis.*

BURCHARDUS etiam, Sveviæ dux, rebellarat, [*Anno Æræ Vulgaris 920.*] sed territus potentiâ Cæsaris in deditionem venit. *Widechindus lib. 1.*

Hungari Saxoniam denuò vastabant; capto autem ipsorum duce, novem annorum pacti sunt inducias. *Sigebertus.*

Cæsar deinde, ad militiam instituto suo populo, DALMATAS debellat, PRAGAM urbem & WENCESLAUM, Bohemorum ducem, capit, & vectigalem sibi facit BOHEMIAM. (*Widechindus lib. 1. Regino lib. 2. Sigebertus.*) Hungaros, finitis induciis denuò in Saxoniam irruentes, maximo

prælio vincit, (*Anno Æra Vulgaris 933.*] & tributum, qvod illis pendebant Saxones, in egenos distribuit. *Luitprandus lib. 2. cap. 9. Sigebertus.*

Erat ejus consilii, proficisci Romam, (*Luitprandus lib. 4. cap. 7.*) sed valetudine impeditus, filium suum natu majorem, OTHONEM, [*Anno Æra Vulgaris 936.*] imperii designat hæredem. (*Widech. lib. 2. Dithmarus lib. 2.*) Is cum Bohemis, qvi tū rebellabant, multis annis belligeravit: Hungaros etiam, cùm apud Vangiones, trajecto Rheno, Franconiam essent ingressi, Saxoniam inde populaturi, cædit atqve fugat. (*Sigebertus.*) BURGUNDIAM sibi subjugat: in ITALIAM deinde profectus magno cùm exercitu, & debellatis BERENGARIIS alteram uxorem ibi ducit, Adelheidam. [*Anno Æra Vulgaris 951.*]. *Luitprandus lib. 6. cap. 6. Widechindus lib. 3. Dithmarus Merseburgensis lib. 2. Rosuitha in Panegyrico. Regino lib. 2. Frisingensis lib. 6. cap. 19.*

Id ægrè ferens LUIDHOLDUS, filius, insidias illi struit, (*Widechindus lib. 3. Regino lib. 2.*) & passim multos habuit consilii sui adju-

adjutores, ac in his CONRADUM, Sveviæ ducem, sororium suum: verùm obsessus à patre Ratisbonæ, & in angustias redactus, veniam supplex petit, & impetrat. [*Anno Æræ Vulgaris 954.*]

Post hæc Hungari, vastatâ Galliâ, majore, qvàm unqvam anteà, multitudine, in Germaniam irrumpunt, (*Widechindus l. 3. Dithmarus lib. 2.*) & propè Vindelicorum Augustam, in ea planicie, qvæ nomen habet à Lecho flumine, castra faciunt. Eò Cæsar profectus, cum Saxonibus, Francis, Svevis, Bavaris, Bohemis, post ancipitem multamqve pugnam, ad internecionem propè cecidit hostem, [*Anno Ær. Vulg. 955.*] aliqvot ipsorum regulis in crucem actis. *Bonfinius Decad. 1. lib. 10.*

In Saxoniam reversus, ac rebus ibi constitutis, in Italiam denuò suscipit iter, sed ante profectionem Othonem, filium suum, imperii collegam designavit. *Dithmarus lib. 2.*

Ubi tandem Romam venit, Concilium habet, (*Luitprandus lib. 6. cap. 6. & seqq. Roswatha in Panegyrico, Dithmarus lib. 2.*) eiqve præfuit, & JOHANNEM XII. propter

crimina, loco removit, & LEONEM, ejus nominis IIX. instituit. [*Anno Æra Vulgaris 963.*] *Regino lib. 2. Sigebertus, Frisingensis lib. 6. cap. 13.*

Ejus extat insertum juri Pontificio decretum, (*Dist. 63. c. in Synodo congregata 23.*) ubi, Adriani I. exemplo, conferre se dicit Othoni Cæsari, ejusqve successoribus, in perpetuum, eligendi Papam, ordinandi sedem Apostolicã, & Episcopos confirmandi facultatem: Simul gravissimam pœnam iis constituit, qvi, non exspectatâ Cæsaris approbatione, consecrant Episcopos. En alterum decretum, superioribus aliqvot contrarium. *Mendacem oportet esse memorem.*

Subjungitur pòst Formula jurisjurandi, qvo Johanni Papæ ferunt Othonem Imperatorem sese devinxisse, (*Dist. 63. cap. Tibi Domino Johanni 33.*) verùm, qvis ille fuerit Johannes, & qvotus ejus nominis, qvotus etiam Otho, non additur. Sed profectò mirum est, res tàm arduas, tantiq; momenti, tàm esse negligenter conscriptas. Qvod si primus Otho sic juravit, est qvòd ei statim possit objici. Qvum enim in ea,

qvam

qvâ diximus, formulâ juret inter alia, fore, ut nullum Papæ creet vitæ periculum, nec honorem etiam atq; dignitatem abroget, qvomodo confistet, qvando Johannem, sicut diximus, loco dejecit, & alterum instituit? Conciliet ista, qvi potest.

Otho, propter motus, iterum in Italiam contendit, &, rebus compositis, domum revertens, ad initium Maji mortuus est, Magdeburgi sepultus, anno salutis nongentesimo septuagesimo qvarto. (*Widechindus lib. 3. Dithmarus lib. 2.*) Propter rerum gestarum amplitudinem & præstantem virtutem vocatur MAGNUS. *Helmoldus Buzoviensis lib. 1. cap. 6.*

Othoni II. rebellat HENRICUS, Bavariæ dux, verùm armis fuit ad officium adductus. *Sigebertus.*

Erat tum Galliæ rex LOTHARIUS; fratrem hujus CAROLUM, Lotharingiæ ducem, Cæsar constituit, (*Anno Æræ Vulgaris 963.*] eâ lege, ut esset Imperii beneficiarius. (*Sigebertus, Reginonis continuator.*) Nam provinciâ hanc à CAROLO SIMPLICI, Galliæ Rege, Cæsar HENRICUS obtinuerat,

erat, ut tradunt annales, & ad posteros ordine transmisit. *Sigebertus.*

Hoc ipsum autem ægrè ferens Lotharius, collecto repentè exercitu, Aqvisgrani celeriter accurrit, & inopinantem Cæsarem ferè oppresserat. (*Dithmarus lib. 2. Sigebertus.*) Cæsar eam contumeliam ulturus, cogit manus, & Lutetiam usqve progressus, magnâ & illatâ & acceptâ clade, pacem demum fecit. *Willhelmus Nangiusin Chronico suo ad annum 977. Gaguinus lib. 5. cap. 6.*

Domum reversus, & inde Romam profectus, Græcis, qvi Calabriam & Apuliam tenebant, bellum fecit, (*Dithmarus lib. 3. Sigebertus*) sed, amissô exercitu, per mare fugiens, & interceptus à piratis, cùm non agnosceretur, depensâ pecuniâ dimissus est, ac Romam ubi revertit, cum reliqviis copiarum Beneventũ obsidet, capit, incendit: neq; multò pòst, in prælio cũ Græcis & Saracenis, telo sauciatus, decessit è vita, [*An. Ær. V. 983.*] Romæ sepultus. *Dithmarus lib. 3. Viterbiensis parte Chron. 17. hunc Othonem* Sangvinarium *appellatum*

scri-

scribit, sicut & aliis pallida mors Saracenorum *dictus est*.

Ei surrogatur voluntate procerum OTHO filius, inauguratus Aqvisgrani. (*Dithmarus lib. 4.*) Papam iste constituit BRUNONEM, hominem Germanum, GREGORIUM V. [*Anno Æra Vulgaris 995.*] Crescentius autem, Consul Romanus, JOHANNEM XVII. Episcopum Placentinū, obduxit illi adversarium: Ubi Romam ergò Cæsar venit, CRESCENTIUM sociosqve gravi & ignominioso supplicio afficit, Johannem autem, ejus nominis XVII. oculis privat. [*Anno Æra Vulgaris 998.*] *Lampertus Schafn. Sigebertus.*

Et, qvia propter successionem Imperii perpetuæ erant turbæ, constituit adjutore Pontifice, ut certi Germaniæ principes viri jus & potestatem deinceps haberent, eligendi Cæsares: ne qvis videlicet dignitatem illam, velut hæreditariā, posthac invaderet: decretum hoc incidit in annum post CHRISTI natalem circiter millesimum. *Martinus Polonus in Chronicis, Leopoldus de Badenberg de juribus regni & impe-*

imperii, c. 2. Rudolph. de Columna de translatione Imperii, Marsil. Patav. de translatione Imperii. cap. 11. Nic. Cusan. de Concordantia Catholica, lib. 3. cap. 4. Anton. hist. parte 2. tit. 16. c. 4 Platin. in vita Gregorii, aliiq; infiniti. Verùm ab istis dissentiunt, Aventinus lib. 5. Annalium Bojorum, Jacobus Curio lib. 2. rerum Chronolog. Onuphrius lib. de comitiis Imperatoris, Casp. Peucerus lib. 4. Chron.

Regnabat tum in Galliis ROBERTUS, vir pacis amans & literarũ. (*Gaguin. lib. 5. c. 9.*) Annales eũ celebrant, qvòd templa multa construxerit, & magnificè dotarit, qvodq; Romam adierit religionis causâ. *Roberti, Galliarũ regis, insignis pietas fuit: quippe qui aliqvot sacra Cantica, quorum adhuc in Ecclesia usus est, conscripsit, ut: Spiritus sancti adsit nobis gratia. It. de Nativitate Christi, Judæa & Jerusalem. Item collecta de martyribus: Concede nobis, Domine. Legatur Helgundus Floracensis in vita Roberti regis.*

POLONIÆ duci, BOLESLAO, regiam dignitatem Otho III. Cæsar & immunitatem tribuit,

buit, [*An. Æra Vulg.* 1000.] ut ipsorum habent Annales. Est igitur hoc illius regni principium. *Mechov in Chron. Polon. Mart. Cromer. lib.3. hist. Polon. Curæus Annal. Siles. part.1. Crantz. Sax. lib.4. c.33. His fide dignis scriptoribus contradicens Bodinus lib.1. cap.9. Resp. impudenter scribit: Polonos sceptra regia sibi ab Imperatoribus Germanicis oblata recusâsse.*

Ex Italia demum rediens Otho, in itinere mortuus est. [*Anno Ær. Vulg.* 1002.] *Dithmarus lib.4. Hermannus Contractus. Propter singularem prudentiam, & ingenium excellens, Mirabilia mundi nominatus est, teste Viterbiensi.*

Post eum fuit Cæsar HENRICUS, ejus nominis II. Bavariæ dux, Othonis Magni, Saxonum Ducis atqve Cæsaris, propinqvus. *Viterbiensis, Dithmarus lib.5.*

Is, pacatis in Germania rebus, & adversariis partim humanitate summâ deductis ad amicitiam, partim debellatis, Italiam accessit, & Saracenis ereptam APULIAM imperio restituit. *Hermannus Contractus, Dithmarus lib.6.*

Con-

Consecratus deinde [*Anno Æra Vulgaris 1014.*] à BENEDICTO VIII. missô exercitu in Germaniam, ipse per Seqvanos profectus, in colloqvium venit cum ROBERTO, Gallorum Rege, firmatâ utrinqve amicitiâ. *Sigebertus Medio parte 3. Historiæ Ecclesiast. lib. 9. cap. 3. eos de Ecclesiæ statu corrigendo, qvibus cum Romano Præsule acturi essent, cum Patavii convenissent, consilia contulisse scribit.*

Fuit hic Ecclesiasticis admodum gratus Cæsar, qvòd plurima in ipsos beneficia conferret. *Urspergensis. Heno ab Helmoldo lib. 1. cap. 16. Pii cognomento ornatur. Hartmannus Schedel. in Chronico Humilem vocat.*

Henrico mortuo, [*Anno Æra Vulgaris 1024.*] cùm inter principes Electores non conveniret, interregnum fuit aliqvandiu. (*Urspergensis.*) Demum successit Franconiæ Dux, CONRADUS. Is Hungariæ Regem STEPHANUM ad pacis conditiones adegit, &, compositis Germaniæ rebus, in Italiam, ubi ad defectionem pleraqve spectabant, contendit.

Et

Et primò qvidem Mediolanum obsidet, posteà Romam profectus, & à JOHANNE XXIII. consecratus, [*Anno Æra Vulgaris 1027.*] acclamante populo, salutatur AUGUSTUS. Mulctatis demum iis, qvi res novas moliebantur, Italiam pacavit, & in Germaniam reversus, cùm denuò per Italiam novi motus orirentur, profectus illuc, in conjurationis authores animadvertit. (*Viterbiensis.*) In his erat Archiepiscopus Mediolani, nec prius conqvievit, qvàm omnia suæ ditionis fecisset. *Sigebertus*, *Urspergensis.*

His rebus perfectis, domum reversus, Trajecti, qvod est ad Batavorū fines oppidum, mortuus est. [*Anno Æra Vulgaris 1039.*] *Frisingensis lib. 6. cap. 31.*

Successorem habuit de principum voluntate filium HENRICUM, ejus nominis III. qvi Bohemos rebellantes domuit, & vectigales fecit. *Frisingensis lib. 6. cap. 32. Viterbiensis 17. parte Chronici.*

Hungariæ Regem PETRUM, à suis ejectum, aliqvoties restituit, totamqve regionem pacavit, etsi non sine magna suorum cæde. *Sigebertus. Schaffnaburgensis.*

sis. Urspergensis. Contractus. Michael Ritius de Regibus Hungariæ, lib. 2. Bonfin. decad. 2. lib. 2.

Romæ tum erant permagni tumultus, qvia de PONTIFICATU tres contendebant, & malis artibus omnia tentabant, (*Frisingensis lib. 6. cap. 32. Viterbiensis,*) BENEDICTUS IX. SYLVESTER III. GREGORIUS VI. Ejus rei causâ Cæsar eò profectus, &, per obsidionem urbe captâ, conventus agit, & Bambergensem Episcopum, SVITGERUM constituit Papam; qvi mutato nomine dictus est CLEMENS II. [*Anno Ær. Vulg. 1046.*] à qvo deinde fuit ipse consecratus. *Frisingensis lib. 6. cap. 33. Sigebertus, Schafnaburgensis, Urspergensis, Contractus. Sabellicus lib. 2. Ennea de 9. hos Pontifices tria rerum monstra appellat.*

Tum cives denuò jurarunt, in creando PAPA, nihil, nisi de Cæsaris arbitrio, sese facturos. (*Sigebertus, Platina in vita Clementis II.*) Pacatâ iterum Italiâ, cùm in Germaniam venisset Cæsar, mortuus est Clemens Pontifex, & Bambergæ sepultus. Qvo cognito, Cæsar Bopponem,

Fri-

Frisingensem Episcopum, illis constituit Papam. Is est DAMASUS II. Cùmqve & hic non ampliùs viginti tres dies præfuisset, mortuo suffectus est, mandato Cæsaris, Tullensis Episcopus, LEO IX. [*Anno Æræ Vulgaris 1049.*] *Boppo hic Ottoni Frisingensi est Patriarcha Aqvileiensis, lib. 6. cap. 33. Hermannus Contractus Brixiensem Episcopum vocat.*

Hujus extat pars qvædam Epistolæ, (*Contra Epistolam Nicetæ Abbatis, dist. 41. c. Omnino*) qvâ dicit, Episcopo, Presbytero & Diacono non licere causa religionis uxorem deserere, sed æqvum esse, u,t qvæ necessaria sunt ad tolerandam vitam, ei subministret: veruntamen, ut cum ea det operam liberis, minimè licere, qvum Paulus dicat, (*1. Corinth. 9.*) sibi qvoqve liberum esse non minùs, qvàm reliqvis Apostolis, uxorem circumducere. Qvod qvidem ille sic interpretatur, Apostolis ideò fuisse præstò semper uxores, ut ab iis, qvos CHRISTI religionem atqve fidem mariti docebant, unà cum ipsis alerentur, non autem, ut conjugii munus exercerent, & in complexum venirent:

Nam

Nam idcircò Paulum *circumducendi* verbo, non *amplectendi*, voluisse uti. *De Niceta, ejusqve contra Romanos scriptis, videatur Sigebertus Gemlacensis, ad annum* CHRISTI *1054. Martinus Chemnitius, parte 3. Concilii Tridentini, eum non Græcæ, sed Latinæ Ecclesiæ membrum fuisse autumat, licet Græcus natione fuerit.*

Anno supra millesimum qvinqvagesimo, Româ LEO profectus, concilium habuit Episcoporum XLII. Moguntiæ, Præside Cæsare. *Schafnaburgensis, Hermannus Contractus, Urspergensis, Cranzius Saxon. lib. 4. cap. 34. Frisingensis lib. 6. cap. 33.*

Triennio pòst mortuus, Eistetensem Episcopum, Gebehardum, ita volente Cæsare, successorem habuit. (*Anno Æra Vulgaris 1055.*] Is fuit VICTOR II. *Urspergensis, Lambertus Schaffnaburgensis, Continuator Contracti.*

Cæsar in Italiam profectus, ac rebus ibi compositis, in Germaniam reversus, cumqve Galliarum rege HENRICO, ejus nominis PRIMO, collocutus, in Saxonia mortem obiit, [*Anno Æra Vulgaris 1057.*] sepul-

ſepultus autem Spiræ. *Lambertus Schafn.* Morienti aderat Papa, multiqve alii proceres.

Erat ei filius HENRICUS, adoleſcentulus admodum, ſed jam anteà deſignatus Cæſar. (*Friſing. lib. 6. cap. 24.*) Adminiſtratio autem penes matrem erat, & Epiſcopum Auguſtanum. *Schafnaburgenſis, Sigebertus.*

Non multò pòſt moritur etiam Victor II. Papa, qvum paulò ampliùs bienniô præfuiſſet. *Schafnaburg. Continuator Contracti.*) Ei ſucceſſit Fridericus, è familiâ Lotharingicâ, dictus STEPHANUS IX. Eô, paucis pòſt menſibus extinctô Florentiæ, BENEDICTUS qvidam, auxiliô ſuorum, inconſultô Cæſare, Papatum invaſit, ejus nominis X. Romani factum hoc minimè probant, ſuiqve purgandi causâ, miſſis ad Cæſarem Legatis, qvam ipſius parenti fidem præſtitiſſent, eandem ei qvoqve deferunt; & ut legitimum aliqvem Pontificem conſtituat, orant. Itaqve dejectô Benedictô, Florentinum Epiſcopum Gerhardum Cæſar illis tribuit, qvi fuit NICOLAUS II. [*A. Æ. V. 1059.*]

Rempublicam geri per fœminam, Cæsaris matrem, ut suprà dictum est, Germaniæ principes molestè ferebant; (*Autor vitæ Henrici IV.*) qvâpropter inventa ratio fuit, ut ab illâ distraheretur filius: qvô factô, rei summa penes Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopum imprimis erat. Ab his nonnunqvam adhibitus Bremensis Archiepiscopus ADELBERTUS, mirè gratiosus Regi adolescenti fuit. (*Schafn. Ursperg.*) Cumqve solus illum possideret, bona sacra sibi suisqve distribuit, abbatias imprimis; & ut minori flagraret invidiâ, Cæsari persvasit, ut aliis etiam principibus illas conferret.

Interea Nicolaus II. moritur, cui Parmensem Episcopum Cæsar substituit: Et qvia Senatui Romano nihil comunicaverat: ideoqꝫ ad turbam res spectabat., Lucensis Episcopus fuit electus, ALEXAND. II. Dimicatum qvidem fuit inter eos acerrimè, sed Alexander tamen, superior armis, rem obtinuit. [*Anno Æræ Vulgaris 1062.*] *Frisingensis libr. 6. cap. 34. Sigebert.*

Bre-

Bremensis Archiepiscopus, qvum solus administraret apud Cæsarem omnia, collegas in se concitavit Episcopos, ab iisqve demum fuit ejectus; (*Schafn. Adamus Bremens. lib. 4. cap. 7.*) & qvanqvam loco deinde restitutus fuit, tamen non diu supervixit, & Cæsar necessitate coactus, qvum de Reipublicæ statu pleriq; omnes qvererentur, Coloniensem Archiepiscopum, ANNONEM, ut procurationem susciperet, orabat. Is autem qvum insolenter & iniqve multa fieri videret, excusans ætatem & valetudinem, munus ei posteà resignat. *Bremensis hic Archiepisc. Albertus fuit, non ut qvidam volunt, ex Bavaris oriundus, sed Friderici Saxoniæ Palatini F. Dedonis primi, Wetinensis familiæ nepos: princeps magnificus, & ad summa natus, ad quæ contendenti mirabilis fortunæ vicissitudo objecta est. Vide Adamum Bremensem Canonicum Ecclesiasticæ Historiæ lib. 4. Albertum Stadensem, & Albert. Crantzium in Metropoli,*

Tunc verò Cæsar XXII. annorum adolescens, natura proclivis in vitia

magis etiam lascivire cœpit: (*Urspergensis*) & qvum uxorem BERTHAM alioqvi non amaret, multas fovebat concubinas: deinde, passim in Saxoniâ castellis excitatis, in servitutem eos redigere cogitabat, neqve suos administros, qvi libidinosè multa facerent & insolenter, coercebat. *Bertha uxor Henrici 4. nominatur à Viterbiensi, Othonis Italiæ Marchionis filia.*

Saxones igitur tam Proceres qvàm Episcopi, sancito fœdere, de vindicandâ libertate, arma capiunt, (*Schafnaburgensis*) qvæ vix tandem, post multam intercessionem, deposuerunt, cùm postulatis eorum ille satisfecisset; fugâ nocturnâ vix elapsus. *Autor vitæ Henrici. Helmoldus lib. 1. cap. 27. & seqq.*

Alexandro II. mortuô, [*A. Æ. V. 1073.*] Romani proceres, inconsultô Cæsare, substituerunt HILDEBRANDUM, (*Frising. lib. 6. c. 34. Platina.*) qvi GREGORIUS dicitur, ejus nominis VII. Eô cognitô Cæsar per Legatos cum illis expostulat: simul Papam, ut sibi de eo satisfaciat, monet. Ille, se invitum, nihilqve tale cogi-

cogitantem, ad hoc munus esse pertractum, nec inaugurari voluisse, respondet, antè, qvàm ipse, cæteriq; Germaniæ principes electionem approbassent. Ita Cæsarem placavit, & ipsius voluntate posteà fuit confirmatus. *Schafnaburgensis.*

Missis deinde Legatis in Germaniam, Episcopis aliqvot, Synodum per illos habere volebat, (*Schafn.*) Episcopi verò nostrates illud recusabant, qvod contra morem, & nationis privilegium esse dicerent. Cùm hoc non succederet, conciliis aliqvot habitis, per Italiam, (*Sigeb.*) decernit, ne Sacrifici habeant uxores, verùm ut eas ab se dimittant, aut loco decedant. Hoc suum decretum in Germaniam emissum ad Episcopos, urgebat omninò sanciri, constitutâ pœnâ. Clerus autem, uti vocant, & Sacrificorum turba strenuè reclamabat, hæreticum vocans, qvi tam impium dogma proponeret. CHRISTI dictum (*Matth.19.*) videlicet esse, qvòd non omnes verbum illud capiant. Pauli dictum (*1.Cor. 7.*) esse, ut, qvi non continent, uxorem ducant: Istum autem, post-

habitô Christi verbô, & contemptâ Pauli authoritate, velle homines cogere, ut legitimum & à Deo sancitum usum matrimonii projiciant, & turpissimis flammis urantur, & in manifesta flagitia ruant: se potiùs ab Ecclesiæ ministerio discessuros, qvàm à matrimonio.

Cum ille nihilo seciùs identidem missis internunciis, rem urgeret, & acriter instaret, MOGUNTINUS Episcopus ei morem gerere cogitabat. (*Schafn.*) Et primò qvidem leniter suos monebat: pòst autem Erphurdiæ habitô concilio. [*An. Ær. Vulg. 1074.*] planè rem conficere volebat: sed parùm abfuit, qvin impetu factô trucidaretur. *Nauclerus volum. 2. gener. 36. Carolus Sigon. lib. 9. de regno Italiæ.*

Intereà Cæsar, ut anni superioris ignominiam ulcisceretur, qvando circumsessus à Saxonibus, fugâ sibi salutem nocturno tempore qvæsierat, arma parat, & ruptâ pace, qvam annô superiori fecerat, qvantas omninò potest, copias colligit, & mense Julio [*Anno Ær. V. 1075.*]

Saxo-

Saxones, qvi crebris legatis pacem fruſtrà ſolicitarant, aggreſſus, ingenti prælio vincit, non absqve magnâ clade ſuorum, deſideratis ex prima Nobilitate non paucis.

A victoriâ progreſſus, longè lateqve fines eorum populatur, (*Schafn.*) & per internuncios, ut ſeſe dedant, hortatus, à ſuâ benignitate ſperare omnia jubet: ſed id fruſtrà fuit, tametſi pauci qvidam obtemperarunt. Saxonicum bellum gubernabant imprimis Halberſtadienſis Epiſcopus, Bucco, & Bavariæ dux OTHO, profligatus â Cæſare.

MOGUNTINUS iterum ſolicitatus à Gregorio VII. Concilium alterum habet, (*Schafn. Nauclerus*) deqve cleri cœlibatù denuò proponit, ſed eodem modo fuit exceptus, ut nuper; inqvè magno verſabatur vitæ diſcrimine. Qvare cogitationem hanc omnem ſibi deponendam eſſe judicabat.

Saxonibus profligatis, exercitum Cæſar dimiſerat, & principe auxiliares: verùm eâ lege tamen, ut ad XI. Calendas Novembris iterum ſibi præſto eſſent ar-

mati. Cùm is dies venisset, aderant pleriq; & in his Episcopi multi, sed non eô numerô, qvô priùs. Ibi denuò Saxones de pace Legatos mittunt, positis castris apud Northusium: Cæsar hanc unam esse pacis rationem ostendit, si sese dedant: & qvanqvam illi qvidvis facturi potiùs viderentur, qvàm hoc ipsum, tamen, cum intercessores & legati, à Cæsare missi, viri principes, amplissimè illis pollicerentur, fore nimirùm, ut neq; libertatis, neq; bonorum facerent ullam jacturam, assenserunt tandem, inqve potestatem ejus venerunt, Magdeburgensis, Halberstadiensis Episcopi, Bavariæ dux Othò, Saxoniæ dux Magnus, Fridericus Comes Palatinus: deinde ex reliqvâ nobilitate qvàm plurimi. *Helmoldus lib. 1. c. 27.*

Cæsar initio qvidem custodias illis posuit, non illiberales, verùm posteà discedens à pactis, in diversa loca *jussit* eos deportari, Bavariæ verò ducem OTHONEM deinde non solùm liberavit, sed perfamiliarem etiam habuit, reliqvos autem, neqve missos fecit, & ipsorum bona dedit aliis diripienda? Deinde novis castel-

caſtellis atqve propugnaculis extructis omninò cervicibus imminebat & libertati Saxonum: Toti verò adminiſtrationi per ſuam abſentiam præfecit Othonem Bavarum, qvi genus ducebat è Saxonia.

Bambergenſibus deinde conſtituit Epiſcopum, & Colonienſibus & Fuldenſibus Abbatem.

Delatus autem jampridem ad Papam fuit, hôc nomine potiſſimum, qvod præfecturas Eccleſiaſticas divenderet: Itaqꝫ per legatos Pontifex eum citat, ut intra certum diem Romæ ſit præſtò, cauſamqve dicat. Ille autem Wormatiæ conventus agit Epiſcoporum & Abbatum: (*Sigebert. Marian. Scotus lib. 3. ætate 6.*) ibi decernitur, *qvia malis artibus ad Pontificatum ille perveniſſet, removendum eſſe loco:* ſimul per Legatos hoc Romam enunciatur. Sed Pontifex nihil eô commotus, [*An. Æ. V. 1076.*] & illum EXCOMMUNICAT & Moguntinum, & Trajectenſem, & Bambergenſem Epiſcopos, imprimis, cum an-

tea qvosdam ejus familiares excommunicasset, qvorum consiliis putabat eum ad ejusmodi res impelli. *Apud Sigonium de regno Italiæ l. 6. extat fulmen Pontificium in Henricum Imp. vibratum, plenum arrogantiâ & impietate. De hac excommunicatione sic loquitur Otho Frisingensis Episcopus: Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nunqvam invenio qvenqvam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum: lib. 6. Chronic. c. 35.*

Porrò, Germaniæ Principes aliqvot vehementer offensi (*Avent. lib. 5.*) moribus ingenioqve Cæsaris, præsertim qvòd, præter datam fidem, SAXONES, odio tàm obstinato perseqveretur, conjurant in illum, eoqꝫ magis, qvod ei sacris esset interdictum: ideoqꝫ captivos dedititios, qvorum ipsi custodiam haberent à Cæsare demandatam, dimittunt, qvod nullâ fide se putarent ei devinctos.

Eodem tempore, qvidam ex nobilitate per Saxoniam, concitatis aliis, & in suas partes adductis, castella passim extructa, partim vi & imperio, partim deditione

ca-

capiunt, & præsidiarios dimittunt incolumes, jurejurando priùs obstrictos, ne pòst in Saxoniam militarent.

Eo cognito, Cæsar, astuto qvodam consilio, reliqvos principes captivos ultrò dimittit, ut in Saxoniam reversi, fidelem operam ei præstarent, in plectendis rebellibus: Nec enim aliâ ratione faciliùs ad optatum finem sese posse pervenire videbat, qvàm si factiones inter ipsos excitaret & alteros ab alteris divelleret: sed non respondit eventus. Nam domū illi reversi, qvòd perspectum haberent ejus ingenium, conjunctis animis & viribus, pro communi libertate sibi pugnandum judicabant: Idem qvoqve dux Otho fecit, illo deserto: Cumq; bonæ spei plenus, per Bohemiam, Cæsar in agrum Misenum irruisset, Bohemicis copiis adjutus, certior factus de concordiâ Saxonum, & exercitu jam instructo, rebus desperatis abiit.

Tunc demum Germaniæ Principes, constitutâ die, maximo numero conveniunt: Venit etiam eò Legatus Papæ, & causis explicatis, qvamobrem esset excomunicatus, hortabatur eos, ut alterum

crearent, qvod illi suâ sponte facturi erant alioqvi. Nam inde à teneris annis repetita Cæsaris vita, labem & dedecus & opprobrium Imperii illum esse demonstrabant: & qvia gravissimis cladibus Rempublicam affecerat, abrogandum ei magistratum esse decernunt. In his angustiis ille positus deprecari cœpit per legatos, atqve supplicare. Post multam actionem, hæc ei conditio proponitur: judicio se sistat, & cognitioni subjiciat Papæ, qvem Augustâ evocaturi sint ad Calendas Februarias, absolutionem impetret illius, ante diem anniversarium excommunicationis: nisi faciat, totâ causâ ceciderit: Copias dimittat: Spiræ privatus interim vivat, parvâ cum familiâ: publicam rem nullam gerat, neqve fasces, vel Imperii sibi sumat insignia, donec legitimè sit decisa controversia. Recipit ille conditionem, & Spiræ dum esset, consilium init adeundæ *Italiæ*, qvò Papam sibi maturè placaret.

Ingressus iter cum uxore & filiolo, per Burgundiam atqve Sabaudiam, hyeme asperrimâ, non sine summâ difficultate vitæqve periculo, vix tandem in Italiam descen-

descendit. (*Schafn. Bertholdus Constantiensis.*) Amanter exceptus à Magnatibus & Episcopis ejus regionis, qvòd animô in Pontifice iratô, illum eò venisse, putarent.

Pontifex interim, Germaniæ principum rogatu, susceperat iter & progressus aliqvousqve, de Cæsaris adventu cognoscit. Itaq; subsistit, ut ejus rei causam intelligat.

Cæsar deinde missâ legatione splendida, & in hac, fœminis aliqvot illustribus, qvas inter una ferebatur obseqventior esse Papæ, de absolutione Pontificem orat: Gravatè qvidem ille primò, neqve sibi licere qvicqvam in eo facere dicebat, nisi coram adsint accusatores: Post multam actionē, expugnatus demum precib9, non abnuit.

Cæsar autem, anteqvam in illius conspectum veniret, totum triduum permansit in arcis, ubi Pontifex erat, areâ, & vestibulo, tenui simpliciqve cultu, depositis regiis insignibus, nudis pedibus, & ad vesperam usqve jejunus. (*Benno Cardinalis in vita Gregorii VII. Ursperg. Berthol. Constantiens.*) Qvarto demum die admissus est; ibi tum has ei leges Papa proponit:

Sistat se cognitioni suæ: respondeat accusationibus Principum: convictus ab imperio decedat, neque vindictam ullo tempore moliatur; intereà vivat privatus: neque publico nomine aliquid gerat: fidem etiam & jusjurandum suis remittat: Consiliarios & familiares ab se removeat: si quid contrà faciat, nullum fore, quod nunc ei detur beneficium, & Principibus futurum esse liberum, ut mox alium sibi deligant. Has leges ubi probasset ille, Papa missificat: & ut de criminibus intentatis sese purgaret, panem azymum, quem corpus Domini vocant, sumit, magnis imprecationibus caput salutemque suam devovens, nisi conficta sint ab adversariis omnia. Deinde Cæsarem, si principum criminationes objectas esse falsas, & injuriam sibi

sibi fieri putet, hortatur, ut idem ipse faciat, & alteram consecrati panis particulam sumat: cum autem ille excusaret, neqve se commode jam hoc posse facere doceret, nihil amplius urgebat Papa, sed exceptũ convivio perhumaniter dimisit. [*Anno Æræ Vulgaris 1077.*] *Schafn.*

Eâ re cognitâ, proceres Italiæ vehementer offensi fuerunt, qvòd tam fœdè tamqve indignè se submisisset illi, qvi pessimis artibus Papatum invasisset, qvi cædibus & adulteriis omnia polluisset: in ipso, qvi justitiæ sit patronus, & ara præsidiumq; legum, omnem sese spem habuisse collocatam, & non solùm excommunicationem contempsisse, verùm etiam in ejus gratiam acres cum Papâ exercuisse inimicitias: Nunc verò ipsum turpissimo planè ad omnem posteritatem exemplo, gravem hanc & indelebilem imperio maculam inussisse, cumq; publico tam Ecclesiæ, qvam Reipublicæ hoste in gratiam rediisse. Hæc, & id genus alia multa jactabant, deqve filiolo Cæsaris eligendo, Romamqve

qve traducendo, & dejiciendo Pontifice cogitabant.

Cæsar, eô cognitô, nulla se ratione meliùs posse placare illos videbat, qvàm si à pactione discederet, & ipsis conjungeretur; Qvod cùm faceret, Pontificis consilia planè turbavit, sic ut ille susceptum in Germaniam iter omittere cogeretur.

Qvod ergò proximum erat, Germaniæ Principibus, qvid actum esset, per Legatos nunciat, utqve Reipublicæ provideant, hortatur. Fuit hoc anno supra millesimum septuagesimo septimo. *Ursperge ns. Bertholdus Constantiensis.*

Principes ergò LUDOLPHUM Sueviæ ducem creant Cæsarem: [*Anno Æræ Vulg. 1077.*] eum consecrat Moguntinus. (*Sigeber.*) In Germaniam autem revertens HENRICUS colligit copias: idem facit RUDOLPHUS, qvi Saxonum auxiliis potissimùm nitebatur, & tertio conflictu graviter vulneratus, non multò post è vitâ decessit. [*Anno Ær. Vulg. 1080.*] *Autor vitæ Henrici 4. Frisingensis l. 6. cap. 35. & de gestis Friderici lib. 1. cap. 7. Helmoldus lib. 1. cap. 28. & 29. Berthold. Constantinensis.*

Hen-

Henricus ab eâ victoriâ conventus agit Brixiæ. (*Frising. de gestis Friderici l.1.c.1. Ursperg.*) Fit decretum ab Episcopis, qvi aderant, tam Italis, qvàm Germanis, Gregorium non esse legitimum urbis Romæ Episcopum. Itaqve surrogatur in ejus locum Archiepiscopus Ravennæ, VICTOR III. Eo facto decreto, Cæsar Romam contendit, Gregorium obsedit, fugâ tandem dilapsum, Victorem III. confirmat, ab eoqve consecratur. *Helmoldus historia Slavica libr.1. cap.30. Marianus Scotus lib.3. ætate 6.*

Gregorio [*Anno Æra Vulg.1085.*] mortuo, (*Gulielm. Tyrus lib.1. cap.14. & 15. Æmil. lib.4. Blond. decad.2. lib.4.*) qvi fuit alter ab eo Pontifex, URBANUS II. [*Ab ann. Æ. Vulg. 1088.*] Gergoviæ, Arvernorum oppido, Claremontium vulgò vocant,) ubi conventus erat multorum proecerum, (*Anno Æra Vulg. 1095.*] PHILIPPO ejus nominis I. in Galliis regnante, BELLUM SARACENICUM persvadet: cujus deinde fuit Imperator, GODEFRIDUS BULIONIUS, qvi feliciter multa gessit, ac HIEROSOLYMAM recuperavit.

Ga-

Gaguin. lib. 5. cap. 1. Bellum hoc Sacrum descripserunt præter Guilielmum Tyri Archiepiscopum, author Chronici *Hierosolymitani, à Reineccio editi, Fucherius Carnotensis Balduini Regis Capellanus, Robertus, Monachus, Benedictus de* Accoltis.

Urbani successor [*Anno Æra Vulg. 1099.*] PASCHALIS II. infestus qvoqve Cæsari fuit. Profecturus igitur, ejus rei caussâ, in Italiam, filium sibi successorem Cæsar designat. *Helmoldus lib. 1. cap. 32.*

Is autem exstimulatus ((*Ursperg.*) ab aliis, & oblitus officii, qvod naturâ nobis insitum est, in summas angustias Parentem conjecit, & abdicare se magistratu coëgit: qvum & Papam & plerosqve Germaniæ Principes haberet sui consilii factiqve socios. Itaqꝫ Cæsar factus est, ejus nominis V. patre Leodii pòst mortuo, in ærumnis. [*Anno Æra Vulg. 1106.*] *Frising. lib. 7. cap. 12. Vaerb.* De *hoc Imper. Henrico IV. sic scribit Vincentius in Speculo historiali lib. 26. cap. 117. Henricus ore facundus fuit, acer ingenio, eleemosynis largus, sexagies & bis, acie collatâ, dimicavit.*

Ali-

Aliqvot poſt annis Italiam vadit ingenti cum exercitu, ut diſſidium, qvod erat inter Rempublicam Imperii & Pontificatū, componeret, & ferrô patefactâ ſibi viâ Romam demum venit. *Friſing. lib. 7. cap. 14.*

Cæterum, inde à Conſtantino, Cæſares conferebant honores ac dignitates Eccleſiaſticas: id autem ægrè tandem tulerunt Pontifices opibus amplificati, qvaſi rem indignam, eaqve de causâ pleræqve ſimultates omnes inter ipſos exarſerunt.

Hic ergo Cæſar, qvum jus atq; poteſtatem ſuam urgeret, magnus eſt Romæ natus tumultus, *Friſing. lib. 7. cap. 12. Helmol. lib. 1. cap. 40. Urſperg. Sigeb.*) ita qvidem, ut excitatus noctu Cæſar, [*Ann. Ær. Vulg. 1111.*] ſubvenire ſuis, qvi paſſim cædebantur in urbe, cogeretur. Profligatis autē factioſis, Paſchalem II. capit, neq; priùs, qvàm ſibi factum eſſet ſatis, dimiſit, ſancito fœdere. Sed reverſo in Germaniam Cæſare, Pontifex à pacto diſcedit, qvod ſanctiſſimis verbis juraverat, & Cæſarem excommunicat. (*Viterb. parte Chronici 17.*) Ea res multos Germaniæ Principes ad rebellionē commo-

movit, & in his præcipue Moguntinum. *Livius lib. 39.* *Nihil in speciem fallacius est, qvàm prava religio, Ubi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis, divini juris aliqvid immistum violemus.* *Q. Curtius lib. 4.* *Nulla res efficacius multitudinem regit, qvàm superstitio: alioqvin impotens, sæva, mutabilis, ubi vanâ religione cæpta est, melius vatibus, qvam ducibus suis paret.*

Cæsar in Italiam profectus, legatos ad Pontificem mittit de pace, sed inter agendum moritur Pontifex. (*Helmoldus lib. 1. cap. 14.*) Ei succedit [*Anno Æræ Vulg. 1118.*] GELASIUS II. Cæsar, qvòd de electione non

non esset interpellatus, Romam venit, & alium constituit. Gelasius ejectus, Cæsarem & Papam, ab eo constitutum, excommunicat. (*Sigeberti Continuator.*) Cumq; per Germaniam ejus Legati defectionem svaderent, ac principes idcircò convenissent, domum redire Cæsar coactus est: sed interea mortuo Gelasio, Romani CALIXTUM II. eligunt. Is loco deturbat eũ, qvem odiô Gelasii, Cæsar creaverat, & intercedentibus nonnullis, cum Cæsare transigit. *Quibus conditionibus transactum sit, explicat Frisingens. lib. 7. cap. 16. Cranzius Saxoniæ lib. 5. cap. 42. Sigon. de Regno Ital. lib. 10. Platina in Calixto. Viterb. part. 17.*

Henrico V. [*Mortuo anno Æræ Vulgaris 1129.*] succedit LOTHARIUS ejus nominis III. è Saxoniæ ducum familia. (*Ursperg. Albertus Abbas Stadens.*) Hunc Sveviæ dux Conradus oppugnabat, indignè ferens, ad Saxones rediisse rerum summam, & in Italiam profectus, occupandi regni causâ, cum interim Lotharius Germaniam teneret, destitutus auxiliis, domum rediit, pacemqve cum Cæsare fecit.

Erat

Erat tum Romæ Pontifex INNOCENTIUS II. huic adversabatur ANACLETUS: (*Frising. l. 7. c. 18.*) & qvoniam amplâ natus erat familiâ, cedere fuit coactus Innocentius: Verùm imploratô Cæsaris auxilio, restitutus est. [*A. Æ. V. 1133.*]

In Germaniam reversus, & ibi rebus compositis, in Italiam redit Cæsar, ingenti cum exercitu. (*Frising. lib. 7. cap. 19. & 20.*) Civitates aliqvot rebellantes domat, & in his Anconam atqve Spoletum. Siciliæ regem Rogerium ex Apuliâ & Campaniâ profligat, (*Ritius de Regib. Siciliæ lib. 1.*) & inde à Carolo Magno vix alius majora per Italiam egisse fertur. *Frisingensis lib. 7. cap. 15. Urspergensis, Helmoldus lib. 1. cap. 55.*

In lucem qvoqve tunc revocatum fuisse traditur bellorum tempestatibus oppressum JUS CIVILE, qvod Justiniani Cæsaris mandato consutum esse diximus. *Urspergensis. Aventinus lib. 6. Sigonius de regno Italiæ lib. 11. Theodorus Bibliander in Chronologiâ.*

Successorem habuit [*Ann. Ær. V. 1138.*] CONRADUM Sveviæ Ducem. (*Frising. lib. 7.*

lib. 7. cap. 39. Bavariæ dux tum erat HENRICUS, cognomento SUPERBUS, & idem Saxoniæ dux, per matrimonium, qvod Lotharii Cæsaris esset gener. Is imperium affectans, & multa molitus in Cæsarem, proscriptus fuit, ejusqve possessiones aliis concessæ. Henricus autem, recuperatâ Saxoniâ, cùm in Bavariam contenderet, mortuus est, relicto filio: in cujus gratiam SAXONES rebellabant Cæsari, nec id modò, verùm etiam WELPHO, Henrici mortui frater, armis sibi vendicabat Bavariam, ejectô LUPOLDO, cui Cæsar eam provinciam dederat: *Frising. lib. 7. cap. 25. Ludolphus hic Austriæ dux fuit, S. Leopoldi filius. Aventinus lib. 6.*

Paulò ante diximus, qvemadmodum egem Siciliæ ROGERIUM Cæsar ejerit. (*Ursperg. Viterbiens.*) Cùm autem hunc modum tumultuaretur Germa-, Rogerius occasionem nactus, invasit iliam, & Cæsaris præfectum exturbat: inde WELPHONEM magnis insti- pollicitationibus, ut pergat facessere gotium Cæsari. (*Bonfin. Decad. 2. libr. 6.*) it idem HUNGARIÆ REX, & ipse

ipse Cæsarem metuens. *GEYSA SECUNDUS Ungariæ Rex*, *Geysæ Magni pronepos*, *Borychum*, *vel ut alii vocant*, *Broycum filium Calomani Regis ex adultero natum*, *regno ejecit*, *ob id ei Imperator offensus erat*. *Rhinus lib. 2. de Regibus Hungariæ*. *Aventinus lib. 6.*

Tandem profectus in SARACENOS, & amisso exercitu, domum reversus, cum in Italiam proficisci cogitaret, rebus omnibus instructis, Bambergæ mortuus est. *Æmil. lib. 5. Aventin. lib. 6.* [*Anno Æra Vulgaris 1152.*]

Successit ei fratris filius, FRIDERICUS ÆNOBARBUS, Sveviæ dux, ejus nominis I. heroici vir ingenii. *Urspergensis*. *Frising. de gestis Frider. l. 2. c. 1.*

Is initio regni principes Germaniæ pacavit, & dissidium illud, qvod erat de Saxoniâ, Bavariaqve, sustulit; Post magno cum exercitu Italiam adit. (*Frising. lib. 2. cap. 11. Ottho de S. Blasio lib. 6. cap. 7.*) Veronenses, à qvibus erat contemptus, mulctat, & exempli causâ, primis aliqvot laqveo gulam frangit. Circa Placentiam excubias sibi fieri jubet, à prin-

principibus omnibus, imperii beneficiariis. Mediolanum obsidet, Astam diruit. Dertonam complanat. *Guntherus Ligurini lib. 3. Frisingensis de gestis Frederici lib. 16. 17. 18. 19. & 20.*

Romam profectus, consecratur ab ADRIANO IV. Cives tumultuantes opprimit. (*Frising. l. 2. c. 22. 23. & 25.*) Spoletum evertit, vastamqve cædem facit. Longobardos domat, & superatis insidiis, qvas Veronenses ei collocaverant, in Germaniam redit. Palatinum principem, qvi se absente turbas excitaverat, ignominiosè mulctat: Bohemiæ ducem constituit regem. [*Anno Æræ Vulgaris 1158.*]

Duo in hoc §. notanda veniunt. Primò ignominiosa Palatini mulctatio, qvæ fuit gestatio canum, priscis Germanis usitata: meminit ejus Widechindus monachus lib. 2. Otho Frisingensis de gestis Frider. Imper. lib. 2. cap. 28. Gunther. Ligurini l. 5. Arnoldus Lubecens. Continuator Helmoldi lib. 7. c. 2. Duodechin. ad annum 1155. Crantzius Saxon. l. 3. c. 15. Eruditè autem hunc morem expressit Georg. Sabinus in Cæsaribus suis hoc tetrasticho:

O Mos

Mos erat antiquis, qui publica commoda pacis,
Cæsare turbasset bella gerente foris:
Totius Imperii rem inspectante Senatu,
Ut canis impositum corpore ferret onus.

Secundò notetur creatio Ducis Bohemiæ in Regem. Facta est illa hac lege, ne dignitas ista ad posteros transiret, sed ei honori successor exhæres foret. Aventinus.

Intereà Mediolanenses (*Frising. lib. 2. cap. 30.*) multa superbè faciebant in vicinos, & Dertonam à Cæsare dirutam, restaurabant: itaqve cum ingenti exercitu reversus, Mediolanum expugnat, adjutus à Cremonensibus, à Papianis, & Novatianis. (*Radev. lib. 1. cap. 32. usqve ad 45.*) Captâ urbe parcitum est multitudini, principum Germaniæ intercessu, qvibus illi supplicaverant. Longobardiâ totâ in suam potestatem redactâ, legibusqꝫ constitutâ civitate, discedit ad alios ibi populos. (*Otho de S. Blasio cap. 11.*)

Post ejus abitum illi rebellant, (*Radev. lib. 2. cap. 21. & seqq.*) leges præfixas contemnunt,

temnunt, munitiones ab eo factas demoliuntur: rursus igitur eò profectus, agrum totum populatur, & qvicqvid ipsorum ditionis erat, evertit.

Interea graves fiunt adversus illum per Italiam conspirationes: in his etiam erat is, qvem diximus, ADRIANUS Papa, qvi cum planè statuisset eum excommunicare, mortuus est. [*Anno Æræ Vulg. 1159.*] *Ursperg.*

In Italiam tertiò profectus Cæsar: MEDIOLANUM funditus evertit; [*Anno Æræ Vulgaris 1162.*] (*Ott. de S. Blasio cap. 16. Ursperg.*) rebellionis authores capite mulctat, reliqvam multitudinem in exilium ire cogit, &, Romam obsidens, magnam exercitus partem ex morbi contagione desideravit. Solutâ igitur obsidione, &, per Hetruriã collatis præsidiis, Spoleti, Anconæ, Ravennæ constitutis pro suo arbitratu, qvi Rempublicam gererent, in Germaniam redit.

Adriano Pontifice mortuo, duo de Principatu contendebant, absente Cæsare, (*Radev. lib. 2. c. 43. Otho de S. Blasio c. 13*) VICTOR & ALEXANDER III. In

O 2 Victo-

Victorem Cæsar qvidem magis inclinabat: Sed Alexander, competitorem, post etiam, augescente dissidio, Cæsarem excommunicat. (*Mutius l. 18. Johannes Marius de Schismatibus & Conciliis parte 3. c. 11.*)

Eam occasionem, conspicati Mediolanenses, (*Ursperg.*) rebellionem faciunt, Cæsarisqve præfectos in multis Italiæ locis ejiciunt, qvosdam etiam laqveo suspendunt. Regressus igitur in Italiam dubio Marte cum illis confligit: Pontifex belli socius profugit Venetias. *Sabellicus Ennead. 9. lib. Nauclerus generat. 41. volum. 2.*

Factâ demum pace per inducias, in Asiam profectus, (*Nicetas Choniates lib. 2. de rebus Isaaci Angeli*) adversus Christianæ religionis hostes, & oppressus impetu fluminis, in qvod lavandi causâ sese demiserat, (*An. Ær. Vulg. 1190.*] periit (*Arnoldus Abbas* Lubecensis *Helmoldi continuator nominat fluvium hunc Saleph. Aliis Serra dicitur. Hieronymus Mercurialis l. 4. variar. lection. Cydnum Ciliciæ flumen censet, & citato Galeno ex l. de causis procatarcticis, Alexand. M. æstivo tempore,*

dum

dum se in eodem flumine lavisset, convulsione ac tremore torporeve captum fuisse scribit.

Successor ei fuit filius HENRICUS, ejus nominis VI. (*Otto de S. Blas. c.39. & 40.*) Is mortuo Siciliæ Rege Gvilielmo, Rogerii filio, qvum in Italiam secundo venisset, Apuliâ & Calabriâ devictis, Neapoli qvoqve captâ, Siciliam domat: magnis ibi relictis præsidiis, propter mobile gentis ingenium. *Urspergensis.*

Deinde Ravennæ, & Anconæ, perqve Apuliam & Hetruriam, Optimates constituit. (*Otto c.43. & 45.*) Cùm deinde filium suum FRIDERICUM adhuc infantem, Imperii successorem designasset, de voluntate Germaniæ principum, in Siciliam profectus, vitam finiit. [*Anno Æra Vulgaris 1197.*] *Ursperg.*

Et qvoniam ætate puer erat Fridericus filius, (*Otto de S. Blasio c. 46. & 48.*) ut dictum est, pleriqve omnes PHILIPPUM, ejus patruum, suscipiendum judicabant: sed vehementissimè Romanus Pontifex obstabat, INNOCENTIUS III. *Ursp.*

Divisis autem principum animis, cum

hi Philippum, alii verò Saxoniæ Ducem Othonem crearent, magnus ex eâ re motus fuit exortus, præsertim ad oram Rheni. Philippus verò, partim armis, partim humanitate summâ deduxit adversarios ad officium: ac deinde pacem cum Pontifice qvoqꝫ fecit, qvem expertus erat infestissimum. *Otto cap. 46.*

Occisus [*A. Æ. V. 1208.*] deinde in cubiculo, successorem habuit eum, de qvo diximus, OTHONEM IV. Saxoniæ ducem, (*Otto de S. Blasio cap. 50. Arnoldus Lubecens. L. 7. c. 14.*) qvi in Pontificis odium incurrit, qvem priùs habuerat amicissimum. Tandem etiam excommunicatus est ab illo; Ideoqꝫ habitis Comitiis, Principes Electores à Pontifice solicitati, ut alium crearent, Henrici VI. filium, Siciliæ regem, FRIDERICUM, cui fidem dederant adhuc infanti, ut paulò suprà diximus, evocant è Siciliâ. *Ursperg.*

Occurrit qvidem illi Cæsar Otho cum exercitu ad Rhenum, ut transitum prohiberet; sed ejectus & in Saxoniam reversus, mœrore, ut creditur, interiit. [*Anno Æra Vulgaris 1218.*] *Mutius lib. 19.*

Atqꝫ

Atq; ita Fridericus est factus Cæsar, ejus nominis II. Friderici Ænobarbi Cæsaris è filio nepos, *Mutius l. 20. Ursperg.*

Innocentius III. de qvo dictum est ante, CONCILIUM habuit Romæ, (*Tom. 5. Concil. 11. Ursperg.*) *qvod* LATERANENSE vocant, ibi decretum inter alia fuit:

Ut Chrisma simul & Eucharistia, qvam dicunt hostiam, sub clavi serventur: *Decretorum Concilii Lateranensis cap. 20.*

Ut quotannis privata fiat confessio peccatorum cap. 21.

Ut electio, facta per civilem magistratum, in Sacris Beneficiis, vim nullam habeat. cap. 25.

Ne, qvi sunt ordinis Ecclesiastici, fidelitatem iis, qvi Laici dicuntur, sine causa promittant. cap. 43.

Ne constitutiones Principum

Ecclesiis præjudicent. cap. 44.

Ut ab omni contributione sint immunes Ecclesiastici cap. 46.

Ne tributa solvantur ante decumas, cap. 54.

Ne Divorum reliquiæ monstrentur extra capsulam. cap. 62.

Ad hæc, grave tum erat inter GRÆCOS atqve LATINOS dissidium. *Tom. 4. concil. cap. 124.*) Nam super qvibus aris Latini missificassent: eas contrectare Græci nolebant, nisi priùs lavissent eas & expiassent: Deinde baptisatos à Latinis rebaptisabant. (*cap. 4.*) Fit ergo decretum, ut ad Ecclesiam Romanam, matrem suam, revertantur, qvò scil. ovile sit unum & unus Pastor; nisi pareant, excommunicati priventur ordine. *Reperitur Cap. licet Græcos 6. X. de Bapt.*

Romam profectus Fridericus, [*Anno Ær. Vulgaris 1219.*] ab HONORIO III. consecratur. (*Ursperg.*) Qvi passim erant per Italiam rebelles, domat, qvosdam autem

tem proscribit. Ex iis nonnulli Romam confugiunt, & Pontificis opem implorant. Ea res maximi dissidii dedit occasionem; Nam suos adversarios habere portum ibi atq; domicilium, Cæsar molestissimè tulit.

Gliscente odio, filium suum HENRICUM, de consilio Principum, designat Imperii successorem, [*An. Ær. Vulg. 1222.*] (*Ursperg.*) & principes Cremonam evocat ad conventum, sed cùm aditu prohiberentur, factione Pontificis & Longobardorum, in Apuliam Cæsar revertit, & aliqvantò post [*Anno Æræ Vulg. 1227.*] moritur Pontifex, eiqve succedit GREGORIUS IX. qvi Cæsarem excommunicat, qvòd profectionem in Turcas, cui sese votô adstrinxisset, non susciperet.

Cæsar deprecatus offensionem, seseqve purgans, cum nihil proficeret, Romam petit, Pontificem dijecit, ejusqve socios graviter mulctat, & alterô indictô Ravennæ conventu, impeditur à Pontifice profugo, qvi passim ei multos excitaverat adversarios.

Mortuâ demum uxore, Cæsar, ut promis-

missa præstaret, ac Reipublicæ consuleret, profectionem in Asiam suscipit: (*Ursperg. Johannes Cuspinianus*) Per ipsius absentiam verò Pontifex bellum facit, & Apuliam occupat. Re feliciter gestâ multisqve locis recuperatis, & in his Hierosolymâ, [*Anno Æræ Vulg. 1229.*] certior factus de Italiæ statu Cæsar, pactusqꝫ cum hoste decem annorum inducias, redit cum exercitu, suaqꝫ facilè recuperat. Pontifex novo fœdere se communit Italiæ procerum, qvos Cæsar mulctaverat, ac deinde rursus eum excommunicat, qvòd cum hoste pepigisset.

Cæsar, qvietis amans, per legatos agit de pace, qvam vix demum impetravit, ac in Germaniam idcircò redit. (*Mutius lib. 20. Cuspinian.*) Pontifex autem, cum naturam mutare non posset, vastato Viterbio, Cæsarem rursus excomunicat. Eâ re commotus vehementissimè Cæsar, fremens & iratus Italiam redit: per Hetruriam, per Umbriam, per Longobardiam, per oram Paduanam, mulctat omnes rebelles: Pontifex idcircò ingeminat excommunicationem, & Venetos fœdere sibi conjungit.

Cæ-

Cæſar per Italiam graſſatus pleriſqve omnibus ad officium reductis, Romam obſidet, neqꝫ multò poſt [*Anno Ær. Vulgaris 1241.*] moritur Gregor. Pontifex, cum Ravennam ſuos evocaſſet ad Concilium, qvo tamen illi, viis omnibus obſeſſis à Cæſare, pervenire non poterant: qvidam etiam capti fuerunt.

Hic ille eſt, qvi DECRETALES, uti vocant, EPISTOLAS conſarcinavit, magnam juris Pontificii partem, plurimis onuſtam commentariis. Qva qvidem in re mirum videri poſſit, eſſe homines, qvi tantum elaborare velint, ut ea, qvæ parum aptè, perperam etiam & minus prudenter atqꝫ piè, ſed & ridiculè dicta ſunt, tanqvam oraculum aliqvod mordicus arripiant, & in iis interpretandis, enucleandis, veſtiendis omnem operam & ætatem conſumant, qvaſi eò conducti eſſent, ut alienam ſtultitiam & errorem, vigiliis, & labore ſuo maximo defendant, & in alterius impudentia, ſui pudoris exiſtimationem amittant.

Illud, qvod Gratiani decretum vocant, diverſis locis habet inter alia:

Sequendam esse Regulam Ecclesiæ Romanæ, quæ sit Beati Petri sedes. Dist. 19. cap. 4. Enimvero.

Non licere Concilium habere, nisi permittente Romano Pontifice. Dist. 17. c. 1. Synodum, & c. 4. Nec licuit; item cap. 5. Multis denuo.

Leges Ecclesiæ Romanæ servandas esse tanquam ipsius Petri voce pronunciatas: Dist. 19. cap. 2. Sic omnes.

Quod Ecclesia Romana jugum imponit, etiamsi tolerabile non sit, esse perferendum. Dist. 19. cap. 3. in memoriam.

Ecclesiæ ministros debere castitatem promittere, ne videlicet ducant uxores. Dist. 31. cap. 2. Sacerdotibus. Item cap. 7. Si laicus &c. & cap. 10. Lex continentiæ.

Ei,

Ei, qui non habet uxorem, licere concubinam habere. Dist. 34. c. 4. Is quis non habet. Item c. 5. Christiano.

Papam in suo munere negligentem & remissum, nocere quidem, tùm sibi, tùm aliis; veruntamen à nemine posse judicari, quòd omnes ipse judicet. Dist. 40. c. 6. Si Papa.

Imperatorem debere subesse Papæ, non præesse. Dist. 96. c. 10. Si Imperator Item c. 12. Nunquam de Pontificibus.

Reliquos omnes mortales ab hominibus judicari, Papam verò Petri successorem, à solo DEO d. 9. q. 3. c. 13. Nemo judicabit. Item c. 14. aliorum hominum & c. 15. Facta subditorum.

Papæ licere populum eximere à fide & jurejurando, quô principi suo tenentur, 15. q. 6. c. 3. alius it.

IN GREGORII DECRETALIBUS EPISTOLIS, & SEXTI BONIFACII & CLEMENTINIS

&c.

& EXTRAVAGANTIBUS, uti vocant, est inter cætera:

Decretis conciliorum auctoritatem Papæ non subjici. cap. 4. *Significasti.* §. *Ajunt in Conciliis.* X. *de electione & el. pot.*

Pontificis esse, Cæsarem electum approbare, vel minus idoneum rejicere. c. 34. *Venerab.* X. *de elect.*

Duo præesse mundo luminaria magna, solem atque Lunam: Solis loco Papam esse, Cæsarem vero Lunæ: c. 6. *solicitæ.* X. *de major. & obed.*

De adulterio & aliis criminibus, quòd minora sint, Episcopis licere cum iis, qui deliquerunt, agere remissiùs: c. 4. *& si cleric.* §. *De adulteriis verò* X. *de judic.*

De Ecclesiæ Romanæ privilegiis Papam solum cognoscere cap. 12. *Cum venissent.* X. *de judic.*

Ex-

Excommunicatorum ossa, jam sepulta debere exhumari & projici. c. 12. Sacris. X. de Sepultur. c. 5. ad hac. X. de Privileg.

Papæ licere, Imperatorem removere loco & magistratu, cap. 2. ad Apostolicæ de Sent. & rei in 6.

Cæsarem teneri, ut fidem & fidelitatem Pontifici præstet, per jusjurandum: Clement. unico de Jurejur.

Ecclesiasticos oportere solutos ac liberos esse ab omni sumtu, molestiâ, munere: cap. 7. Adversus X. immun.

Post mortem posse aliquem declarari hæreticum; ejusque bona publicari. cap. vergentis 10. X. de hæreticis, item 24. q. 2. c. 6. Sane profertur. 6.

Filios hæreticorum ad præfe-

ctur am

ℰturam ullam civilem aut sacram non debere admitti. *cap. 15. Statutum de hæreticis in 6.*

Ad salutem esse necessarium, ut omnes homines Pontifici Romano subsint. *cap. Unam sanctam. De major. & obed. extravag. comm.*

Hæc paucula, ex ingenti acervo desumta, cujusmodi sint, nemo sanæ mentis est, qvi non videat.

LEX est, ut eam definiunt homines doctissimi, (*Cic. 1. de legib.*) ratio summa insita in naturâ, qvæ jubet ea, qvæ facienda sunt, prohibetqve contraria. Lex autem omnis ad communem utilitatem referri, (*Cic. 2. de legib.*) & legislator sic erga multitudinem atqve Rempublicam affectus esse debet, ut pater suos erga liberos: Qvid autem in iis, qvæ dicta sunt, simile apparet? ea verò non excusare tantùm, sed etiam vestire, & ornare, & illustrare novis commentationibus, & qvidvis dicere potiùs, qvàm pati dignitatem illorum imminui,

qvæ-

qvæso, cujus hoc est impudentiæ, ne qvid gravius dicam?

Si fastus & avaritia, & dominandi cupiditas & literarum inscitia persvasit illis, ut ejusmodi facerent decreta, si sententiis ipsi variant, nec alii volunt aliorum astringi legibus, qvòd pari sint potestate præditi, qvæso, cur te maceras, ut distorta & repugnantia componas & concilies?

Omitto pelagus illud aut sentinam veriùs, eam videlicet juris Papistici partem, qvæ beneficiorum, uti vocant, (*in Decret. l. 3. tit. 5. de præbendis & dignitatibus*) & bonorum sacrorum nundinationem continet. Qvis enim fraudes atqve technas enumerare posset? ne ipse qvidem, qvi plurimis annis in eo mercaturæ genere versati sunt, satis etiam omnes intelligunt aut norunt, qvando novæ semper excogitantur. Sed hoc argumentum & tempus aliud, & librum singularem poscit: nunc ad propositum redeamus.

Ut Fridericus Cæsar, *Blond. Decad. 2. l. 8.*) Ita Galliæ qvoqve Rex LUDOVICUS,

CUS, ejus nominis IX. in Syriam & Ægyptum cum exercitu penetravit, & pòst in obsidione Tunetæ urbis vitam finiit, anno salutis M. CC. LXX. (*Gagvinus l. 7. c. 2. Aurelius lib. 7.*)

Eo regnante, GUILIELMUS, Episcopus Parisinus, qvæstionem proposuit de BENEFICIIS ECCLESIASTICIS; Re palam disceptatâ, vicit ea sententiá, non esse fas cuiqvam habere plus unô. *Johann. Itali in Chronic. Franciæ.*) Sed ejusmodi decreta satis est recitasse tantùm atqve scripsisse. *Henricus Pantaleon in Chronologia Ecclesiæ. Chronicon Flandriæ l. 8. Guilielmus Episcopus Parisinus scripsit librum de pluralitate beneficiorum, teste Johanne Trithemio de Scriptoribus Ecclesiast.*

Gregorio successit [*An. Æ. V. 1243.*] INNOCENTIUS IV. (*4. Tom. concil.*) ad qvem, velut hæreditariâ successione, venit odium Cæsaris. (*Æmil. l. 7.*) Itaqve Lugduni indicto Concilio, Cæsarem evocat. Non venientem excommunicat, dignitate privat, hortatus Germaniæ principes, ut alium eligant: & hoc qvidem ejus

jus decretum eſt, inter alia, typis excuſum, qvemadmodum & Cæſaris qvædam extant ad diverſos reges Epiſtolæ, qvibus & Pontificum iniqvitatem, & ſuam prolixè demonſtrat innocentiam. *Vide Matthæi Paris, monachi Albanenſis, hiſtoriam majorem, p. 648.*

Decreverat Cæſar proficiſci Lugdunum, & periclitari fortunam. (*Mutius lib. 10.*) Sed ortâ denuò rebellione per Italiam, vires omnes eò convertit, &, cùm minùs feliciter res gereretur, in Apuliâ reverſus cœpit langvere, ac demum mortuus eſt. [*An. Æra Vulg. 1250.*]

Alii periiſſe venenô, alii ſtrangulatum fuiſſe dicunt, à filio ſuo notho, Manfredo, qvi Italiam poſt invaſit. *Michael Ritius lib. 2. de Regib. Siciliæ, Mutius lib. 20. Crantzius Saxon. lib. 8. c. 6. Sigon. de Regno Italiæ lib. 18.*

Erat tunc magni nominis Azo Jureconſultus, (*Alciat. Parerg. l. 10. cap. 25.*) qvem inde ſecuta fuit ingens illa ſcriptorum turba, qvi violatô Juſtiniani Cæſaris edictô, (*lib. 1. ʃ. 11. C. de veter. jure-*

jure conf.) gravi qvidem illô atqve severo, mundum referserunt innumerabilibus libris, unde nunc petenda sunt ea, qvæ veteres illi copiosissimè doctissimeq; tractarant.

Nam aliorum alii scrinia compilant. *Horat. l. 1. Sat. 1.*) Neqve scribendi finis est ullus aut modus, & opinionibus contrariis omnia redundant, ut propriè locũ hîc habeat, qvod senex ille dicit, (*Terent. Phorm. Actus 3. Scen. 4.*) qvum tres de jure consuluisset: *fecistis probe, incertior multò sum, qvam dudum.*

Omitto technas, qvæ plures qvotidie excogitantur. Plane enim hîc accidit, qvod Comicus (*Terent. Eun. Actus 5. Scen. 6.*) inqvit, ut in astu veniat aliud ex alio malum. Præclarè multa legibus esse constituta, sed ea Jureconsultorum ingeniis pleraqve corrumpi, Cicero (*de legibus*) qveritur, atqve depravari: Qvid? si nunc viveret, & pyramides illas librorum & praxin nostram & Sacrarium illud legum tam fœdè pollutum, misereq; contami-

taminatum esse videret? qvanqvam sanè, sicut alias artes omnes in lucem Deus hâc nostrâ memoriâ reduxit, ita qvoq; multos excitavit, qvi bonarum literarum instructi præsidiô, non pœnitendam operam in hac etiam parte collocant, (*Cic.* 1. *de Legibus.*) ut rem videlicet pulcherrimam hominumqve societate planè necessariam, imò donum cœleste, depromtum & haustum ex mediis Philosophiæ fontibus, nitori suo restituant & æqvitati. Qvi qvidem ipsorum conatus, publicam non modò laudationem, sed remunerationem qvoqve meretur.

Ab ejus morte per annos XXII. ferè uit interregnum, (*Egnatius 18. annos interregni nominat.*) qvum subinde alii, & lli eligerentur, qvi tamen in eâ temporum perturbatione, summam rei non tenebant. *Frideric. II. Imperat. extincto successit Conradus F. ejus nominis IV. cui oppositus est Wilhelmus Comes Hollandiæ. o autem extincto, & hôc in Frisiâ caesô, Septemviris, de electione discordantis, creati sunt duo Cæsares, Richardus*

Frin-

Princeps Cornubiæ Anglus, & Alphonsus Rex Castellæ. Neuter tamen horum Imperio diu præfuit: nam Alphonsus sponte abdicavit, Richardus pecuniis exhaustus in Angliam rediit. [*Anno Æræ Vulgaris 1259.*]

Intereà REGNUM NEAPOLITANUM à familiâ Friderici Cæsaris, in potestatem Gallorum devenit, ac pòst etiam SICILIA. (*Michael Ritius lib. 3. de regibus Siciliæ & Neapolis.*) Nam Gallicis armis tum nitebantur Pontifices: qvanqvam deinde gravissima bella super his regnis orta sunt inter Arrogoniam & Andegavensem Gallicam Familiam: Verùm hæc non sunt hujus loci.

Cum in eo statu fluctuasset tot annis Respublica, sicut dictum est, (*Albertus Argentinens.*) RUDOLPHUS HABSBURGIUS [*Anno Æræ Vulg. 1273.*] creatur Cæsar. Is initiô regni, motus, qvi passim erant per Germaniam, componit: inde conventibus aliqvot actis, Bohemiæ regem, OTTACARUM rebellantem invadit, & ad pacis conditiones cogit, qvas tamen ille, suæ conjugis impulsu, non multò pòst violat, & in Austriâ secundò congressus, in præ-

io interficitur. [*Anno Æra Vulgaris*
.] *Æneas Sylvius Historia Bohemica cap.*
Mutius lib. 21. Cuspinianus.
udolphum adjuvabat Ungariæ rex
DISLAUS CHUNUS *Mutius lib. 21.*
in. decad. 2. l. 8.
ace demum factâ cum Bohemis per
rimonia, Cæsar filio suo ALBERTO
riam dedit, qvam multis annis Bohe-
rex possederat.

ipeditus autem variis Germaniæ ne-
, non est in Italiam Cæsar profectus;
nnes Cuspinianus.) Qvanqvam ali-
non multum huc inclinabat: & per
n fertur narrasse fabulam (*Refert*
Apologum Plato in Alcibiade priore, &
. 1. ep. 1.) aliqvando de Vulpe,
Leonem simulatè ægrotantem,
m in specu, non adibat, qvòd
iis aliorum animantium terre-
x qvibus nulla rediissent. Præfe-
tamen in Italiâ constituit, ac vel-
perii vicarium: deinde FLAMI-
& EXARCHATUM, de qvo non
diximus, Ecclesiæ Romanæ con-
fir-

firmasse traditur, qvum tenuis admodum fructus ex iis locis ad ipsum rediret. *Exarchatum Pontifici concessit Rudolph. Imp. eâ conditione, ut Pontifex suis impensis & sumptu exercitum contra infideles & Barbaros in Asiâ & Africâ alat, qvemadmodum in scripto suo contra Julium Pontificem edito, Maximil. Imperat. demonstravit. Aventin. lib. 7. Quas verò civitates complexus sit Exarchatus, videatur Sigonius de Regno Italia lib. 3.*

Perpetuis enim simultatibus & Paparum inimicitiis defatigati Cæsares, facti sunt paulatim remissiores. Nec enim prius acqvieverunt Pontifices, qvàm illos extra fines Italiæ submovissent: & qvia Regum Galliæ præsidiis ferè nitebantur, ac per Episcopos Germaniæ factiones alebant, effecerunt tandem, qvod pridem animô concupiverant.

Hîc verò memoriâ repetendum est, qvæ sit facta rerum vicissitudo, qvando illi, qvi beneficiô Cæsarum incolumes fuerunt, vitamqve tolerarunt, & locum suum atqve dignitatem retinuerunt, amplificati bonis illorum atqve munificen-

tiâ: dominatum sibi sumpserunt in e-
& patrimonio qvoqve fraudarunt:
solùm enim Italiæ bonam partem
parunt, sed Siciliæ qvoqve Reges
: Neapolis arctè sibi devinxerunt.
hi & tributum illi annuum depen-
, & dignitatem Imperatoriam susci-
prohibentur, nisi permissu illorum,
rum in possessionem ab eis mittuntur,
psum jurant inter alia: *Bergomensis*
. *Æmil. lib. 7. Michael Ritius lib. 2. de*
, *Siciliæ. Blondus lib. 8. decad. 2. Crant-*
Metrop. lib. 8. cap. 30. Meminit Sleida-
ommentar. lib. 1. & Brutum fulmen au-
F. Hottomanno, ut volunt.

In Rudolphi tempus incidit illa me-
bilis GALLORUM CLADES PER
LIAM. Qvum enim Insulam hanc te-
t, & more militari multa facerent in-
:er atq; libidinosè, per occultam con-
onem, dato signo, passim trucidati
nt omnes, cum ad preces vespertinas
anæ impellerentur. Facinus hoc
ò vocant VESPERAS SICULAS
oc An. MCCLXXXI. die Pascha-

 lis.

tis. *Paulus Æmilius hist. Francic. lib.7. Tilius in Chronico Franc. Thomas Fazellus Rerum Sicul. Decad. 2. lib. 2. & 8. Michael Ritius de Regibus Siciliæ.*

Acceptâ pecuniâ Rudolphus ITALIÆ CIVITATES multas, qvæ ditionis erant Imperii, liberas & immunes fecit, BONONIENSES, FLORENTINOS, GENUATES, LUCENSES & alios. *Mutius l. 21. Sigonius l. 20. de regno Italiæ. Crantzius Metrop. l. 8. c. 40. Nauclerus.*

Convocatis deinde Francofurtum Principibus, filium suum ALBERTUM designari sibi Successorem frustrà petebat.

Mortuo [*Anno Æræ Vulgaris 1291.*] succeßit ADOLPHUS familiæ Naßovicæ, qvi nō multò post inimicitias exerçere cœpit cum Alberto, Austriæ Duce: (*Albertus Argentinens. Mutius l. 22.*) qvumqve suis moribus Germaniæ Principes admodum offenderet, ac ipsum qvoq; Moguntinum, cujus operâ factus erat Cæsar; loco removetur, & [*Anno Æræ Vulgaris 1298.*] eligitur ALBERTUS, Austriæ Dux, Rudolphi filius, qvi, contractis copiis & adjutus à Principibus, Adolphum petit, & commisso

rælio, in agro Spirensi, Adolphus ab Alto gravissimè sauciatus, à reliqvâ muldine pòst interficitur. *Johann. Cuspinus.*

Post eam victoriam Albertus, confirdi sui causâ, ne qvis priorem electio esse vitiosam diceret, solenniter creaesar petit. Eâ re perfectâ, BONIFAS VIII. Pontifex reclamabat, neqve n habere voluit, qvod reliqvi Prinfecissent.

rum autem aliqvantò pòst gravissiesset natum dissidium inter ipsum & IPPUM PULCHRUM, (*Æmil. l. 7. in l. 7. c. 5. Mutius l. 22.*) Galliæ Repprobavit Albertum, in ejusq; famiidem multa dicebat. Albertus deuis propinqvis interfectus est, [*Ann. ulgaris 1308.*], qvum rebus omnibus ctus iter suscepisset, ut Bohemis fiuum FRIDERICUM obtruderet. 1. *Æn. Sylv. hist. Bohem. c. 18.*

NIFACIUS hic Gregorii IX. Debus Epistolis, qvæ libris qvinqve entur, alterum volumen adjecit, SEXTUM vocat. Inter alia statuit,

licere Pontifici abdicare se Papatu, (*quoniam aliqui 1. renunciat. in 6.*) Nam ipse non bonis artibus illud Cælestino V. cui successit, persvasisse, scribitur. *Platina. Crantzius Metropolis lib. 8. c. 48.*

Ab Alberto fit Cæsar, HENRICUS, ejus nominis VII. è familiâ Luceburgicâ. Is filiô suô JOHANNE per matrimonium factô [*Anno Ær. Vulg. 1311.*] Bohemiæ Rege, (*Æneas Sylvius in Bohemia sua c. 31.*) proficiscitur in Italiam, cujus qvidem status tunc erat miserrimus. Nam inde à morte Friderici II. Cæsaris, per annos circiter LVII. neglecta fuit à nostris Imperatoribus Italia: Qvo factum est, ut variè dilaceraretur ab iis, qvi potentiores erant, præsertim à GUELPHIS & GIBELLINIS, qvæ duæ factiones plurimas habent iis in locis clientelas (*Vita Henrici VII. descripta est à Conrado Vicerio, Secretario Regio.*)

Primum ergò per Longobardiam Præfectos constituit oppidis ac municipiis, & jurejurando sibi populos adstringit. (*Ab Argentin. Mutius lib. 23.*) Deinde Mediolani commoratus aliqvandiu, frustra

ıſtra conatur eas, de qvibus modò dixi, ꝫtiones conciliare: cumqve ejus urbis ꝛfectus, TURRIANUS, illum ex im- ›viſo cogitaret opprimere, patefactâ ıjuratione, & repulſis adverſariis, Vi- ꞉omiti præfecturam urbis committit. *ulus Jovius lib. 2. de vita Vicecomitum ꞉diolanenſium.*

Qvæ ſunt ejus Regionis urbes omnes, ıs fidei ſe permittebant atq; poteſtati: ı BRIXIA rebellabat, qvam longâ ca- n obſidione, mœnibus nudavit. Inde GENUAM profectus, & Piſis facto iti- ꞉, ROMAM venit, coronatus ab ali- t Cardinalibus, qvoniam Pontifex Ro- ıus CLEMENS V. urbe relictâ, mi- erat in Galliam & Avenione habita- *Platina. Crantz. Saxon. l. 9. c. 3. & 4.*

Qvum ab eo jusjurandum exigerent inales, qvod Pontifici præſtandum icerent, ille recuſabat, neq; tale vo- ꞉ſſe, qvo Papæ devinciretur. Eâ re itâ, Pontifex, augendæ potentiæ cau- 'mulam illam generalem jurisjuran- *lement. unic. de jurejur.*) latiſſimè pôſt ꞉avit, & reliqvis decretis, qvæ nunc

extant,

extant, inseruit. Nam ipse qvoqve leges multas composuit, qvæ nomen ab eo retinent, & Clementinæ dicuntur. [*Anno Æræ Vulgaris 1313.*]

Ad hoc tempus, illi, qvi TEMPLARII vocantur, qvorum ingentes erant opes, eodem impetu, diversis locis, trucidati fuerunt, & extincti. Galliæ Rex PHILIPPUS PULCHER, magnam facultatum ipsorum partem, permissu Pontificis, occupavit. Damnatũ deinde fuit nomen eorum atq; memoria: & Concilio Viennensi, qvod per Galliam erat, [*Anno Ær. Vulg. 1312.*] ipsorum possessiones attributæ fuerunt iis, qvi RHODII dicuntur EQVITES. *Fasciculus temporum. Albertus Argentinensis. P. Æmilius l. 8. Gagvinus l. 7. c. 5. Hult. Mutius Chronico German. lib. 22. Nauclerus vol. 2. generat. 44. Tilius in Chronico Reg. Franc. Crantzius Metrop. lib. 9. cap. 6. Rudolphus Hospinianus de Origine Monachatus l. 5. cap. 18.*

Hoc etiam tempore, Philippi Regis, & Papæ Clementis authoritate fuit AURELIANENSIS ACADEMIA instituta.

Mid-

iddendorp. l. 2. *Acad. orb. Christ. Tilius Chronico Regum Francor.*

Mortuo tandem (*Anno Æra Vulg.* 1313.) enrico non absqve gravissima veneni picione, sepultoqꝫ Pisis, acerrimæ contiones ortæ sunt in Germania super ctione. *Sabellicus Ennead. 9. lib. 8. Mitel Ritius lib. 3. de Regibus Siciliæ. Aventus l. 7.*

Nam de Principatu contendebant FRIRICUS Austriæ Dux, Alberti Cæsaris, & LUDOVICUS, Bavariæ Dux. (*Albrgent. Mutius l. 24. Aventin. l. 7.*) LUDOÇUM Aqvisgrani, Moguntinus Episcos: FRIDERICUM verò, Bonnæ, Colonsis inaugurabat. JOHANNES autem II. Pontifex Romanus utrumqꝫ saluta Cæsarem: in Fridericum tamen prosior. Qvæ qvidem res magis etiam ultatem incendit. Collectis utrinqve iis, magna vi [*Anno Æra Vulgaris*] dimicatur ad Eslingiam, Sveviæ idum, sed æqvo ferè Marte. Deinursus majori impetu in Bavaria: qvo lem in prælio captus est FRIDERI- [*Anno Æra Vulg.* 1322.] bona suorum

militum parte desideratâ. Dimissus tandem, domumqve reversus, aliqvot post annis moritur. *Johannes Cuspinianus.*

LUDOVICUS IV, ergò rerum potitus, (*Alb. Ar.*) Italiam cum exercitu petit, qvamvis invito Pontifice, municipiis & oppidis passim constituit præfectos: Deinde Mediolani coronatur ab Archi-Episcopo, & missis Avenionem Legatis ad Papam, semel atqve iterum, de solenni inauguratione, cum non impetraret, Romam proficiscitur, ubi Mediolani res cõstituisset. Magna cum gratulatione exceptus Romæ, [*Anno Æra Vulg. 1328.*] coronatus est, ab uno & altero Cardinali. Cumq; Pontifex ingeminaret Excommunicationem, ille, de consilio Procerum, Papam alterum creat. (*Æmil. lib. 3.*) Ad hunc modum flagrabat odium inter eos longè vehementissimum, & intercedebant gravissimæ utrinqve criminationes, *Johannes Cuspinianus.*

Annales Galliæ tradunt, CAROLUM PULCHRUM Regem, Philippi filium, omnium primum Johanni Papæ decumas in Galliis permisisse. Bonorum sacro-

umã,& præd inter ipsos fuisse divisam,
nil. lib.8.) Pontificem autem hoc soli-
sse potissimum, ut in Cæsarem ei pecu-
suppeteret. *Tilius Chronico Franciæ Re-*

n Germaniam reverso Cæsare, mori-
Papa; Successor ejus BENEDICTUS
. Cæsarem & ipse excommunicat, &
nitate privat.
rancofurtum ergò [*An.Ær.Vulg.1339.*]
ocatis Principibus gravi habitâ oratio-
Cæsar de Pontificum injuriis qveritur,
i suæ rationem exponit, vetustas Im-
ii leges profert & explicat: simul osten-
. qvàm nihil ad Episcopum Roma-
n pertineat Imperii Respublicã. (*Mu-*
lib.24. Avent. 8.) Nam qvi de volun-
rincipum sit electus, eum esse re-
Cæsarem, etiamsi nullus interveniat
tificis vel assensus, vel consensus, vel
secratio: totum enim istud, qvandam
Ceremoniam, qvæ paulatim irrepserit,
unc nimium aucta sit, non absq; ma-
Imperii tum dedecore, tum detri-
ito, *Crantzius Saxon. lib. 9. cap.15.*

Mortuo demum Benedicto [*Anno Æræ Vulg.* 1342.] succedit CLEMENS VI. (*Albert. Argentinens.*) qvi longè fuit omnium violentissimus, & conditiones proponit vehementer ignominiosas, iisqve repudiatis, acerbior multò factus, gravissimè monet *P*rincipes, ut alterum eligant, ejusqꝫ rei tempus etiam præfinit: (*H. Mutius lib.* 24.) nisi faciant, se daturum operam, ne diutiùs Ecclesia *P*atrono careat & Advocato. Fluctuante ad hunc modum Republica, qvum intereà mortem obiret Ludovicus, eligitur Bohemiæ Rex, CAROLUS, Johannis filius, Henrici VII. nepos.

*P*aulò ante hoc tempus maximi belli nata fuit inter GALLOS & ANGLOS occasio. [*Polydor. Rerum Angl. l.* 15. *Gagvinus l.* 8. *c.* 2. *Georg. Lilius in Chron. Rerum Angl.*) Cū enim CAROLUS *P*ULCHER, Galliæ Rex, non relictis liberis maribus, è vita decederet, qvod fuit Anno M CCCXXVII. EDUARDUS Angliæ Rex, ejus nominis III. qvòd esset Caroli sororis Isabellæ filius, regnum sibi deberi contendebat: *P*roceres autem Galliæ, qvi dicun-

ur Pares, ad PHILIPPUM VALESI-
, mortui Regis Caroli patruelem, rei
nam deferunt, excluso non solum E-
do, Sororis filio, sed etiam Regis filia
iuma, qvod ejus regni hæreditatem
lias minimè pertinere dicerent. Hinc
am gravissimum, qvod ne nunc qvi-
est compositum. *Bellum hoc ingens*
rox ab anno Christi 1335. usq; ad annum
perdurans, Frossardus copiosè persecu-
t. Sleidanus eandem historiam ex Fros-
breviter & dilucidè peculiari libro ex-
vit. Excludit autem Eduardum An-
à regno Galliæ lex illa, quæ extat libro
Salicæ, tit. 62. §. 6. editionis Johannis
ldi.

AROLUS [*Anno Æræ Vulgaris 1346.*]
nominis IV. Cæsar, initium habuit
i turbulentum. Delata fuit etiam
na rerum EDUARDO Angliæ Re-
Verùm is impeditus bello Gallico, re-
sse traditur. *H. Mutius lib. 25. Aven-*
lib. 8. Jacobus Mejerus in Annalib.
driæ l. 12. scribunt nominatùm à Lu-
o Imper. Vicarium S. Rom. Imperii
rdum Angliæ Regem, deinde ab Ele-

ctoribus ad Imperium vocatum, quod tamen non accepit, omnia interim Reipublicæ studia pollicitus.

Post varias deinde simultates in Germania sedatas, (*Argentinensis*) CAROLUS in Italiã proficiscitur, deqve consensu Papæ INNOCENTII VI. qvi in Galliis erat, Romæ coronatus [*An. Æ.V. 1355.*] ab aliqvot Cardinalibus, eâ lege, ne vel Romæ, vel in Italiâ diutiùs hæreret, (*Lege hic Fr. Petrarchæ Epistolam ad Nerium Foro Juliensem Cæsaris Notarium, Jovium lib. 8. de vita Vicecomitum Mediolan.*) Mediolanum redit, & familiæ VICECOMITUM, qvi tunc Mediolani multùm poterant, concessit, ut per Longobardiam essent CÆSARIS perpetui VICARII: cujus qvidem beneficii causa, ingentem pecuniæ vim ab illis accepit, nec ab iis modò, verùm ab aliis etiam populis, qvibus aliqvid esset largitus. Qvæ sanè res Imperii vires, eâ qvidem in regione, plurimum enervavit. *Atqve hinc est, qvòd Maximilianus I. Imperator de Carolo IV. dixisse scribitur:*

Eò

o pestilentiorem pestem nunvam Germaniæ contigisse.

eferiur à Jacobo Spigelio, in Commentar. ad librum Guntheri Ligurini. Videatur præea Theodoricus de Niem, qvi Carolum IV. r. 2. c. 25. de Schismate Dissipatorem Impe-i; in Nemore Unionis, tract. 6. alterum M. assum, idem Vitricum Imperii nominat. I-m, Carolum cum Wenceslao, Imperium to-n affirmat vendituros, modo emptorem ha-issent. Consule Crantzium Saxon. l. 10. c. 3. 4.

Ex Italia postqvam rediit, [*Anno Æræ ulgaris 1356.*] conventus egit Principum, decretum illud Imperii facit, qvod JLLAM AUREAM (*Albert. Argenti-as. Philipp. Bergemens.*) vulgò vocant. stremò, filium suum WENCESLA-A Imperii Successorem designavit, qvód gnis largitionibus vix tandem obtinu-scribitur, neq; multò post mortuus est. *[Anno Æræ Vulgaris 1378.] Æneas Sylvius l. Bohem. cap. 33. Egnatius, Crantzius Sa-x. lib. 9. c. 29. & lib. 18. cap. 3. Joan. Dubra-*

vius histor. Bohem. lib. 22.

Ipso Rempubl. gerente, Galliæ Rex JOHANNES, Philippi Valesii filius, commisso prælio cum ANGLIS, qvi tunc bonam Aqvitaniæ partem & urbem BURDEGALAM tenebant, captus non procul à Pictavio fuit, cum natu minimo PHILIPPO, qvi postea Burgundiæ Dux fuit, cognomento fortis, vel AUDAX. *In* eo prælio ex prima nobilitate complures occubuerunt. Annalium Scriptores tradunt, Anglos fuisse non supra septem millia, qvum Galli maximis copiis eò venissent, ad sexaginta circiter millia: fuit hoc Anno M CCCLVI. duodecimo Calendas Octobris. Deductus in Angliam Rex captivus, anno septimo post vitam ibi finiit. *Æmil. lib. 9. Robert. Gagvin. l. 9. c. 1. Lilius in historia Anglica. Ritius lib. 3. de Regibus Francorum.*

WENCESLAUS (*Æneas Sylvius hist. Bohem. c. 34.*) natura & educatione & vitæ genere admodùm vitiosus, ut qvidem de illo proditum est literis, planè Rempublicam neglexit. Accepta pecunia JOHANNEM GALEATIUM, ex Vicecomitum

fa-

illia, MEDIOLANI DUCEM & INBRIÆ constituit, hominem avarum & idelem. *Accusatur hoc nomine ab Electous Imperii in diplomate, quod exstat pedin opera Christiani Urstisii tom. 2. hist. Gern. p. 180. Videatur etiam Theod. à Niem. Schismate. l. 2. c. 25. & Nemus unionis tr. tem Johannes Dubrav. l. 23.*

Eo regnante, JAGELLO, Dux Liianiæ, post mortem LUDOVICI Re-, creatur POLONIÆ REX, de voitate Procerum: ejus, qvi nunc ibi ren potitur, Sigismundi II. proavus, tùnc mùm sacro fonte initiatus, [*An. Æræ lg. 1386.*]. & vocatus ULADISLAUS, *atthias Mechovius c. 2. Sarmatiæ Europeæ. reus part. 1. Annal. Silesiæ, Martinus Crorus lib. 14. & 15. de rebus Polonicis, Ait. l. 8. Alex. Gagvin. in descriptione Liianiæ.*

Ungariæ Rex autem SIGISMUNDUS, elio victus fuit à BAJAZETE Turcan Imperatore, ad Nicopolim, [*An. Æræ lgaris 1396.*] tertio Calendas Octobris. *lcacondiles lib. 2. Rerum Turcic. Bonfin. ad. 3. lib. 2.*

Gal-

Galliæ Rex CAROLUS, ejus nominis VI. insignem eqvitatum auxilio miserat in Ungariam, (*Robertus Gaguin. l. 9. c. 3.*) Ductore Johanne, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filio, qvi captus eo prælio fuit, & adductus ad Turcam, in maximo versabatur vitæ discrimine, qvod tamen evasit. Id autem sic accidisse ferunt Galliæ Scriptores Annalium. Erat Bajazeti familiaris qvidā Physiognomus, ex eorum grege, qvi se profitentur hominum mores, naturasq́, ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoscere. Is contemplatus captivum, author Imperatori fuit atq́ suasor, ut eum dimitteret incolumem: fore enim, ut, domum reversus, maximum incitaret incendium, qvo bona pars esset Europæ, vel orbis Christiani conflagratura. Sic ille persvasus, hominem dimittit & reliqvos ex Nobilitate captivos, ubi pretium persolvissent liberationis ad ducenta coronatorum aureorum millia. *Vide Jacobi Mejeri annal. Flandricos lib. 14. ubi non nihil ab hac narratione variat.*

Cùm in Galliam rediisset ille, simultatem

m cœpit exercere cum LUDOVICO RELIANO Duce, fratre Regis. (*Ga-i, lib. 9. cap. 3.*) Nam is per valetudi-n Regis, propè deploratam, volebat mpublicã gerere, qvòd proximus esset atus. BURGUNDUS verò, qvod & ruelis esset Regis, & ætate præcederet, rtuo jam patre Philippo, sibi potiùs de-i contendebat administrationem: Au-entę igitur indies magis atqve magis nsione, Dux Aureliæ tandem, noctur-empore, Lutetiæ fuit interfectus, à cœ-domum rediens. Erant autem à Duce gundiæ submissi percussores, qvod nec postea diffitebatur & factum etiam endebat. Fuit hoc Anno M CCCCVII. no Calendas Decembris. *Æmil. lib. 10. hael Ritius lib. 3. de Regibus Franciæ, mentar. Pii Papæ lib. 6. p. 273.*

nno duodecimo post, [*A. Ær. V. 1419.*] m pacificandi causa Dux Burgundiæ isset ad locum constitutum, perfidè umventus, à qvibusdam Aureliani cis mortui familiaribus, qvi conjura-nt in ejus caput, fuit interfectus,

præ-

præsente CAROLO Delphino, Regis filio, qvi disceptationi causæ præerat. *Æmil. lib. 10. Tilius in Chronico Franciæ. Ritius, de Regibus Francorum. Comment. Pii Papæ, lib. 6. pag. 280. Annales a Flandriæ lib. 5.*

Hoc illud est seminarium belli, qvod inde ab eo tempore inter familias illas duas, ad hanc nostram ætatem usqve, subinde revirescit. *Æneas Sylvius hist. Bohem. cap. 34. Mutius lib. 26.*

Cùm propter ignaviam contemptus esset WENCESLAUS, Principe ei magistratum abrogant & Bavariæ Ducem, ROBERTUM PALATINUM, eligunt. [*Anno Æra Vulgaris 1400.*] *Johan. Cuspinianus, Egnatius.*

Is ad emendandum ea, qvæ Wenceslaus peccasset, animum statim adjecit, neqve ratum habere voluit, qvod ille JOHANNI GALEATIO concesserat, & Insubriam denuò cogitabat in ditionem Imperii redigere; (*Avent. lib. 8.*) Cumqve propter hanc, & id genus alias causas, in Italiam contenderet, impeditus fuit & repulsus ab eo, qvem diximus, Galeatio,

Egna-

atius, Cuspinianus Jovius lib. 10. de vita comit. Mediol. Aventinus lib. 7.

Valdè tum erat turbulentus Italiæ sta- CAROLI & WENCESLAI potissi- m culpâ, qvi nimium iis populis indul- int. Nam, præter Galeatium, nuper tum Mediolani Ducem, Veneti etiam Florentini, & Genuates bellum facie- nt vicinis, totumqꝫ jus in armis positum t atqꝫ potentiâ. *Pompon. Mela lib. 3. Germani jus habent in viribus, Ammianus Marlin. lib. 17. Barbaris esse omne jus in viribus isvevit.*

Deinde per diuturnam absentiam Pon- icum, freqventes Romæ fuerant natæ plenæ periculi simultates, (*Henricus Iutius lib. 26.*) Mediolani Dux Galeatius llum tunc inferebat etiam Florentinis, i, sui ulciscendi causâ, Cæsarem ma- is pollicitationibus in Italiam rursus ocarunt: Cumqve Patavium venisset æsar, voluntate Venetorum, qvi & ipsi aleatium oderant, nec apparatum vi- eret amplissimis respondere promissis, Germaniam revertit, Italiæ depo- â omni curâ, qvæ post intestinis malis

gra-

gravius etiam Labefactata fuit. *Jovius lib. 11. de vitâ & rebus gestis Vicecomitum Mediolan.*

Roberto successit [*An. Æra Vulg. 1411.*] SIGISMUNDUS Wenceslai frater, Hungariæ ac deinde Bohemiæ qvoq; Rex. *Johann. Cuspianus, Æneas Sylvius historiâ Bohemiæ c. 39.*

Ad hoc tempus tres erant Pontifices, JOH. XXIII. GREGORIUS XIII. BENEDICTUS XIII. *Joan. Marius de Schismat. & Consiliis part. 3. cap. 13.* Ita qvidem, ut horum factionibus propè omnes Europæ Provinciæ dividerentur. Nam inde ab Innocentio III. sicut ipsorum habent libri, per annos ducentos, nullum fuerat Concilium publicum, & corruptissimus erat ordinis Ecclesiastici status, qvum inexhausta qvædam vitiorum & morborum colluvies inundasset, ac ferè medicinam respueret.

Fuit enim intereà BONIFACIUS VIII. qvi sibi Papalem simul & Imperatoriam dignitatem arrogabat: (*Cranzius Saxon. l. 10. c. 36. Avent. l. 7.*) Pòst alter ab eo, CLEMENS V. Burdegalensis, rogatu Phi-

ppi Pulchri, Galliæ Regis, urbe Ro-
esertâ, curiam transtulit in Gallias :
Ær. Vulg. 305.] *Gagvin. lib. 7. c. 5. Al-
Argent.*) Ab ejus verò morte qvum
linales graviter dissiderent inter se,
annos aliqvot fuit interregnum, &
duni tandem creatus est Papa JO-
NNES XXII. Gadurcus.

ivi fuit ab hoc Papa Qvintus, GRE-
RIUS, ejus nominis XI. qvum in Gal-
Romana curia per annos jam LXXI.
edisset, Romā revertit. [*A. Æ. V. 1377.*]
*ell. Ennead. 9. lib. 8. Theod Niem. libro de
smate.*) Sed, eo mortuo, [*An. Ær. Vulg.*
.] de Papatu certabant, URBANUS
Neapolitanus, & CLEMENS VI. Sa-
dus: qvorum ille qvidem Italorum,
verò Gallorum præsidio nitebatur; ille
næ commoratus, hic autem Avenione:
qve vitam hi finiissent, illi, qvos dixi-
, trés, in eorum locum, à diversis fa-
nibus electi fuerunt, eratqve tum Pa-
is triceps.

Deplorabant tunc statum Ecclesiæ
ti doctrinâ præstantes viri, tàm Itali,
qvàm

qvàm Galli, ſatis acriter inſectati temporis illius corruptelam atqve mores, qvantum qvidem in illis tenebris videre licuit. *Vide catalogum Teſtium veritatis à Matthia Flacio editum.*

Ex iis PETRARCHA, qvum hærerent Avenione Pontifices atq; Cardinales, urbem illam vocabat Meretricem Babylonicam. *Petrarcha in Epiſtolis ſine titulo Epiſt. 7. 8. 9. & 13. Avenionem tertiam Babyloniam, qvintum Labyrinthum, ſcelerum & dedecorum ſentinam, larvarum ac Lemurum domum appellat.*

Ejus ergò diſſidii componendi causâ Concilium (*4. Tom. concil. p. 248.*) in Germania cogitur CONSTANTIÆ, [*incepit* [*An. Ær. Vulg. 1414.*] de cujus arbitrio tribus illis abrogatur magiſtratus, & eligitur [*Anno 1417.*] MARTINUS V. Hoc in Concilio, propter dogma, fuerunt exuſti JOHANNES HUSSUS, [*Anno 1415.*] HIERONYMUS PRAGENSIS, [*Anno 1416.*] tametſi fide publicâ Cæſaris eò veniſſent, *Æneas Sylvius hiſt. Bohem. c. 36. Henr. Mutius l. 27. Joh. Dubravius l. 24. Vide acta hujus Concilii integro volumine compreſſa.*

SI-

GISMUNDUS Cæsar admodùm lau-
;, qvod tunc Reipublicæ causa, ple-
omnes Christiani nominis Reges a-
iortatus illos, ut in commune consu-
it. *Mutius l. 27. Egnatius, Cuspinianus,*

ebus igitur in Germaniâ compositis,
aliam venit: Gerebant tunc bellum
ì mariqve VENETI & FLOREN-
I cum PHILIPPO MARIA, Johan-
Galeatii filio, Mediolani Duce. *Jovius de vit. Vicecom. Mediol.*

omam deindè profectus, â Pontifice
ENIO IV. consecratus est 1, [*Anno Æræ aris 1432.*] inde Basileam rediit, ubi
alterum erat coactum Concilium.
*ius lib. 27. Hujus Synodi historiam duo-
ibris complexus est Æneas Sylvius, quos
à, Pontificatum adeptus, abolere conatus
Vide tomo 4. concil. p. 414.*

Hic successorem habuit [*Anno Æræ aris 1438.*] ALBERTUM, Austriæ Du-
, Hungariæ, Bohemiæq; Regem, qvi,
ibus & Turcicis bellis impeditus, in
am non venit. *Æneas Sylvius hist. Bo- c. 55.*

Hoc

Hoc circiter tempore, rursus excitata fuerunt ingenia, qvæ bonas artes, lingvas atqve literas excolere cœperunt. In Italiâ qvidem primò, qvum Græcorum illi studiis adjuvarentur, pòst etiam apud Germanos, Gallos, aliosqve populos: & cum Typographicum inventum accederet, maximasqve commoditates adferret, incredibile est, qvàm felix & optata fuerit facta progressio. *Ars Typographica ab homine Germano, in mediâ Germaniâ, Moguntiæ inventa & excogitata est Anno Christi 1440. ut Polydorus Vergilius lib. 2. c. 7. de rerum invent. Sebast. Münsterus, F. Philelphus Philippus Beroaldus, aliiq; plurimi attestantur. Verũ Patrũ memoriâ, referente Conrado Peutingero, in sermonibus convivalibus, Pomponius Lætus eam laudem nostris præripere voluit, sic scribens ad Augustinum Maphæum: imprimendi facultas, multis seculis intermissa, Paulò antè revocata est. Jovius etiam hist. lib. 14. in regione Sinarum, libros, ante multos annos impressos exstare ait. Joh. Consalvus Mendoza lib. 3. cap. 16. de regno Chinæ scribit, artem Typographicam 500. annis*

s antè, qvàm ad Germanos veniret, ejus in usu fuisse. Videatur etiam Johannes us Maphæus hist. indicar. l. 6. Hadria- Junius in Bataviâ cap. 17. artis hujus in- ignem civi cuidam Harlemensi attribuit.

Tunc enim perpetuatis ab illo tempo- udiis, eò deventum est, ut cum erudi- nis olim seculis hæc ætas nostra cōfer- ossit, & hoc nomine sit imprimis beata, d hanc optimarum artium & lingva- scientiam, verâ sui cognitione DE- illustravit etiam, qvum veteres illi, is literarum præsidiis instructi, homi- eloqventissimi, profundis essent im- si tenebris, & SUMMUM illud BONUM, qvo tàm multa scripserunt, frustrà in- igarent.

Alberto successit [*An. Æra Vulg.* 1440.] DERICUS III. Austriæ Dux, qvi Romam idè profectus & consecratus à Pontifi- NICOLAO V. domum rediit, nec in I- ì qvicqvam movit. *Hulder. Mutius 29. Joh. Cuspinianus; Egnatius.*

Regni ipsius annô qvartô, [*Anno Ær. aris* 1444.] ULADISLAUS, Uladislai fi-

Q lius,

lius, Poloniæ simul & Ungariæ rex, qvum EUGENII 4. Pontificis impulsu, violasset inducias, (*Chalcocond. l. 6. & 7. Bonfin. Dec. 3. lib. 6.*) ab AMURATHE, secundo ejus nominis, Turcarum Imperatore, præliô victus ad Varnam seu Dionysiopolim, undecimâ die Novembr. occubuit. *Mutius l. 28. Jov. libr. 2. Elogiorum, sub effigie Juliani Cæsarini Cardinalis. De hac clade Varnensi exstant duo libri Callimachi Experientis copiosè & eruditè scripti.*

Nonô pòst annô, Constantinopolim vicepit MAHOMETUS, Amurathis filius, qvam ejus hæredes jam per annos centum & tres occupant, constitutâ sede regiâ. *De expugnatione Constantinopolis, quæ incidit in ann. Christi 1453. exstat lib. Leonhard. Chiensis Episcopi Mitylenæi, & Godefridi Langi. Videantur prætereà Chalcocondiles lib. 8. Continuator Michaelis Glycæ. Commentariorum Pii Papæ 2. l. 1. pag. 38. Crantzius Sax. l. 11. c. 33. Christoph. Richerius de rebus Turcicis l. 4. Notetur autem, urbem hanc à Constantino M. Helenæ filio instauratam, sub Constantino Palæologo, itidem Helenæ filio, à Turcis occupatam*

n esse. Rectè itaq; dixit Jornandes l. 1.
iis sæpè regna deficiunt, à quorum nomini-
inchoant.

Uladislao successit, in Poloniâ qvidem,
SIMIRUS frater, in Ungariâ verò, LADIS-
S, Alberti secundi Cæsaris filius post-
nus.

Successorem Cæsar Fridericus habuit
m MAXIMILIANUM. [*Anno Æræ Vulgaris*
.] *Joh. Cuspinianus.*

aulò sub mortem Friderici, FERDINAN-
rex Hispaniæ, pulsis Barbaris, BETI-
qvæ Granatæ Regnum vulgò dici-
uis finibus adjunxit. *Michael Ritius*
le regibus Hispaniæ. Legatur Histo-
Magni Consalvi tribus libris à Paulo
descripta. Item liber de expugnatione
atæ.

aximilianus, inter alia multa, cum Ve-
qvoqve bella gessit. [*A. Ær. V. 1507.*]

Hunc [*Anno 1519.*] secutus est CARO-
è filio PHILIPPO nepos, Cæ-
jus nominis V. longè potentissimus,
erum hodiè potitur. *De hujus Imp.*
gestis scripserunt Guicciardinus,

Joan. Sleidanus, Jovius, Surius, aliique plurimi.

Ex iis igitur, quæ commemoravimus, liqvidò apparet, qvomodo Rom. Imperium, qvô nullum fuit nec erit potentius, propè sit omninò dissipatum. Nam per ASIAM ne vestigium qvidem, aut latum ungvem, sicut Proverbio dicitur, habemus: occupant omnia Turcæ, Scythæ & alii nostræ religionis hostes: APHRICAM totam amisimus, nisi qvantum superioribus annis à Carolo V. Cæsare recuperatum est, qvando Ænobarbo, Turcico legato; TUNETAM ademit, gloriosam adeptus victoriam, & regem ibi constituit, [*Anno Æræ Vulgaris 1535.*] ipsi vectigalem, & annô decimô qvintô pòst Aphricam urbem oppugnatione cepit. *Sleidan. Comment. lib. 9. & 22. Bellum Tunetanum Johannes Eutropius descripsit. Africæ (quam Mahadiam à Mauris dici Facellus tradit) expugnatio à Christoph. Calveto Stella exposita est. Ea quomodo rursus amissa sit, exponit Joh. Leonclavius in continuat. Annalium Turcicorum à se editorum.*

Avul-

Avulsa est Lusitania, Hispania, Gallia, ·itannia, Dania, Sarmatia, Pannonia, Illyricum, Græcia tota, cum vicinis regionis: adhæc Sicilia, Sardinia, Corsica, Bares Insulæ, Allobroges: qvæ qvidem ovinciæ suos habent dominos, qvi plem in omnibus potestatem obtinent, & Imperii rationes ne tantillum qvidem iferunt.

Videamus nunc Italiam, priscum & aum ad primum Romani Imperii patrinium: hæc ipsa verò qvid nobiscum et commune? Calabriam, Apuliam, npaniam, Neapolim avitâ successione, ent Hispaniarum Reges.

Jrbem Romam, Cæsarum domicilium sedem, agrum *Picenum* & Flaminiam Hetruriæ partem occupant Romani ıtifices, qvi non modò non agnoscunt erium, sed Cæsares etiam, imperiiq; fectos, tenent sibi devinctos.

Qvæ sunt iis locis potentiores civitaaut suos habent regulos, aut factious indulgent, nihilqve planè ad nos inent.

Jam Veneti, qvàm possident egregias non solùm urbes & municipia, verùm etiam Provincias, ipsi interim liberrimi,& ab Imperio Romano planè sejuncti. Insubria verò, qvæ vulgò Longobardia dicitur, aliqvantò qvidē propiùs ád nos pertinet, sed & ipsa fluctuat, nec certum ullum emolumentum ad nos illinc redit. Postqvam enim nostri qvidam Cæsares, ut suprà dictum est, primò Vicecomites, ut vocant, ac deinde Duces ibi constituerunt, qvàm miserè dilacerata fuit, & qvam nihil ab eo tempore nobis contulit! Ortis enim bellis, cum nostri Cæsares eam negligerent, electis Vicecomitibus, occupavit illam Sfortiarum familia, qvam deinde Galliæ reges Ludovicus XII.& Franciscus I. ejecerunt; & hic qvidem per annos sex regionem illam tenuit, donec Carolus V. Cæsar eam recuperavit. *Arnoldus Feronius lib. 9. de gestis Gallorum, Tilius in Chronico Francorum.*

Ex omni igitur Italiā nihil fructus ad Imperium redit: nam neqve nostris conventibus intersunt, nec ad publicos usus

atqve

þ necessitates aliqvid contribuunt, nisi
antum vel sua sponte, vel alioqvin in
itiam Cæsaris faciunt.

Sola superest Germania, qvæ semper
versata Romanorum Imperio, & subin-
rebellans, ut è superioribus constat, tan-
n à Carolo Magno Cæsare collecta fuit,
n unum redacta corpus: Ac deinde
um eligendi Cæsaris potestas ad Se-
mviros delata fuisset, ut suprà demon-
vimus, facta est Cæsarum domicilium
sedes.

Atqve hic tamen considerandum est e-
n, qvàm ægrè potuerit coalescere hoc
ım qvantulumcunqve corpusculum
Serii, conflatum in Germania. Qvæ e-
ı non dissidia fuerunt apud nos & bel-
ivilia?

Totum igitur illud, qvod hodiè Impe-
ıomine censetur, intra Germaniæ fi-
includitur, nam foris & extra limites
s nihil superest. Qvanqvam & intra
ipsos fines tam modicè circumscri-
s, videmus, qvemadmodum non pau-
ergi versentur, & se suaqve, qvantum

possunt, ab imperii ditione subducant: ut interim de vicinis Regibus & aliis nihil dicam, qvi ab hoc ipso tam tenui & exsangvi corpusculo, qvod vix ossibus hæret, decerpunt & avellunt qvotidiè, qvantum possunt, & suæ ditionis efficere conantur, qvod erat Reipublicæ.

Ut autem ad finem aliqvando perveniamus, DANIELEM de his rebus omnibus vaticinantem paucis accommodemus. (*Zonaras Tomo 1.*) DE STATUA, qvam per somnium Nabuchodonosor vidit, suprà diximus: huc posteà recurremus; nunc alia loca videamus.

Capite VII. describit QVATUOR ANIMALIA, qvæ per somnium ipse vidit ex Oceano prodire, LEONEM, URSU, PANTHERAM: qvartum & postremum ait fuisse TERRIFICUM & HORRENDUM ASPECTU.

LEO denotat regnum Assyrium: *alæ* duæ, qvas illi tribuit, sunt duo veluti membra illius Imperii, Babylonia & Assyria.

Per URSUM significatur regnum *Persicum*, à qvo fuit devictum Babylonicum.

Tres

Tres costæ, qvas inter alios dentes in illius ore fuisse, scribit, sunt tres præcipui Reges hujus Monarchiæ, Cyrus, Darius, Artaxerxes, qvi præ cæteris claruerunt, & multam carnem ederunt, ut inqvit, hoc est, complures populos suæ ditioni conjunxerunt.

PANTHERA est Alexandri Magni seu Græcorum imperium: qvatuor illius alæ & capita, sunt qvatuor regna, qvæ post Alexandri mortem ex illâ Monarchiâ prodierunt.

QVARTUM & postremum animal, est Imperium Romanum: decem cornua, sunt ejus membra, seu partes, cujusmodi sunt Syria, Ægyptus, Asia, Græcia, Africa, Hispania, Gallia, Italia, Germania, Britannia: nam illi hæc omnia tenuerunt.

Jam inter decem ista cornua nascitur & prodit cornu qvoddam parvulum, qvod de decem illis cornibus tria revellit: Istud denotat regnum Mahometicum sive Turcicum, qvod ex humili initio natum, in Romana Monarchia, tres *Præcipuas* partes illius occupavit, Ægyptum, Asiam, Græciam.

Deinde, cornu istud parvulum habet oculos, & est contumeliósum adversus Deum: Mahometus enim novum doctrinæ genus proposuit, suis valdè gratum, & qvod prudentiæ speciem aliqvam haberet: hi sunt oculi, sed reverà DEUM afficit contumeliâ. Nam Prophetarum & Apostolorum scripta planè delevit, & Christi beneficium nullum agnoscit, imò conviciis exagitat omnem de CHRISTO doctrinam.

Ad hæc parvulum istud cornu bella gerit cum sanctis, & vehementer illos affligit, ut inqvit, donec judicium fecerit Antiqvus ille, cujus nec initium est, neq; finis.

Ex qvo qvidem clarè perspicitur, in hoc ipso imperio finem esse habiturum hoc mundi curriculum, nec ullum præterea futurum: Sed abolitis omnibus mundi principatibus, venturum esse perpetuum illud regnum, cujus autor & dux erit CHRISTUS.

Capite octavo Daniel describit ARIETEM & HIRCUM; Hoc autem

An-

ngelus ipse pòst interpretatur mpertè,& RIETEM bicornem dicit esse Medorum qve Persarum Reges: HIRCUM verò, ræcorum Imperium, & cornu illud ma-um in ipsius fronte, significarè primum is Imperii Regem: qvod autem eô cor-confractô, qvatuor alia cornua succe-nt, notari dicit, qvòd ex illo Imperio atuor sint oritura regna, sed robore & tentiâ minimè conferenda cum primo Rege.

Videamus ergo, qvàm propriè & certò inxerit Daniel Alexandrum Magnum, entis annis & amplius antè, qvàm ille naret. Fore enim dicit, ut hircus ter-non tangat, hoc est, ut maximâ celeri-bella sua conficiat, & ut ab ipsius im-u, nemo possit arietem liberare. Nam annis tantùm regnavit Alexander, qꝫ brevi spatiô temporis, Asiam propè m sibi subjecit, ut suprà docuimus: ac incredibilis esset Persarum atq; Me-um potentia, tamen tribus præliis or-victus ab illo Darius, vitam simul & erium amisit.

Tradunt nonnulli, (*Josephus Antiqvitat. lib. 11. cap. 7. & 8. Zonar. Tom. 1.*) qvum Hierosolymam venisset Alexander, summum Sacerdotem ei recitasse Danielis locum istum: qvô qvidem vehementer ille fuerit exhilaratus.

Deinde, qvod ex qvatuor istis cornibus, oriturum sit aliud, initiô qvidem parvum, sed posteà valdè potens, qvod gravissimè sit afflicturum loca sacrosancta: hoc ipsô prænunciari dicit acerbissimas persecutiones, qvas Judæi sint passuri à posteritate Alexandri Magni, à regibus Ægypti atqve Syriæ, qvas inter media est Judæa. Nã cornu istud ex qvatuor istis cornibus ortum, experti sunt Judæi, ANTIOCHUM videlicet Epiphanem *Syriæ* Regem, crudelissimum vastatorem,

Huc etiam applicandum èst *Caput XI.* in qvo rursus de Alexandro Magno loqvitur, ejusqꝫ successoribus, adeò qvidem copiosè atq; propriè, ut non vàticinium, sed historia qvædam esse videatur.

Nunc tandem ad STATUAM NABUCHODONOSOR veniamus, de qvâ priori

librô per occasionem diximus. Inter-
retationem autem ipsius de tribus pri-
ıis imperiis, qvoniam & perspicua est, &
emporibus ipsis comprobata, non repe-
ım: (*Dan. 3. Joseph Antiqvit. Judaic. lib.*
. c. 12.) de qvartô solùm aliqvid dice-
ıus, qvoniam & ad nos propriè pertinet,
vi in eo versamur, & à Daniele describi-
ır accuratiùs: *ferreum* esse futurum
icit, qvod reliqva omnia imperia com-
ıinuet, sibiqve subjiciet. Ad demonstran-
um istud, non opus est multis verbis:
es enim ipsa loqvitur, & ex historiâ re-
ım, qvas enumeravimus, liqvidò con-
at.

Pedes autem illius, ac digiti pedum, par-
m sunt ferrei, partim fictiles è testâ. Sicut
ımani corporis pes finditur in digitos, ita
omanum Imperium ubi constiterit ali-
ṿandiu firmum & innixum cruribus fer-
s, ac totum terrarum orbem in ambitu
o complexum fuerit, desinet in digitos,
corporis illa moles dissolvetur. Hoc ip-
m etiam constat accidisse, nec opus est
plicatione: qvid enim magis hodiè dis-
lutum est, qvam imperii illius amplissi-
i corpus? Et

Et qvanqvam ita se res habet, tamen, qvia planta pedis est ferrea, ut inqvit, manebit firmamentum ejus, neqve prorsus confringi poterit. Sed reliqviæ, nomen atqve dignitas durabunt, donec Christus adventu suô rebus omnibus humanis finem imponet. Qvin ad summam tenuitatem redactum sit, dubitari non potest, ac luce meridianâ clarius est.

Arbor illa procera concidit, sed hæret adhuc atqve consistit illius radix, non qvidem succulenta, sic ut propagari possit atq; augescere, verùm exsucca prorsus & arida, sed tamen hanc radicem ac plantã ferreæ naturæ, nulla vis humana funditùs revellet, sed hærebit infixa solo, qvoad ista rerum omnium fabrica destruetur.

Sumus & hoc experti: Nam tenuem hanc & angustam Imperii possessionem, multi sæpè conati sunt evertere. Pontifices qvoqve Romani, ac postremò etiam Turcæ, qvi licet magna perfecerint, & majora sibi fortasse polliceantur, tamen non conflabunt ejusmodi molèm, qvæ cum Romanâ potentiâ conferri possit, ne-

qve

qve seminarium istud Imperii, qvod reliqvum est, licet aridum & flaccidum, evertent: Nec enim qvinta constitui potest Monarchia.

Germania qvidem sola titulum ac possessionem habet imperii, sed si vires conjungat & animos, vim omnem externam facilè depellet, sicut non unô potest documentô probari.

Paucis abhinc annis ingentes fecerunt progressus, & superatô Bosphorô Thraciô, longè lateqve sunt per Europam grassati TURCÆ, suamqve nunc ditionem planè conjunctam habent atqve finitimam Germaniæ, qvæ sanè maximo videtur exposita periculo; Sicut etiam Italia, propter vicinitatem: sed si Danielem propiùs intueamur, sperare licet, vim atqve potentiam illorum in summo nunc gradu sistere. Nam tria solùm cornua Daniel eis attribuit, ut suprà diximus: & illa qvidem nunc obtinent; Initiò Domini rerum facti per Asiam; Deinde per Græciam & Ægyptum. Ac Græciæ qvidem appellatione comprehendi potest, qvicqvid est in eo tractu regionum, propè

ad

ad Illyricum usqve. Et qvanqvam hoc tempore non modicam Ungariæ partem occupant,& tametsi fieri potest,*ut* Germaniam aut alias vicinas regiones divexent, tamen qvoniam & certos intra limites illorum ditio consistere debet,& Romanæ potentiæ minimè poterit conferri, sicut jam demonstravimus, credibile est, has provincias non esse venturas in illorum ditionem,sicut tres illæ sunt hodiernô die, GRÆCIA, ÆGYPTUS, ASIA.

Bellum facturi sunt sanctis,& in Christianæ professionis homines immanitate summâ grassabuntur, & durabit hic illorū furor ad finem usqve mundi, sicut Daniel clarè testatur.

Atq; hæc est ejus vaticinii causa præcipua, qvò videlicet, de postremi temporis ærumnis atq; miseriis præmoniti & certiores facti, non despondeamus animum, sed liberationem expectemus, per adventum Christi servatoris nostri, qvi statim has afflictiones, ut inqvit,excipiet, ac in firmam & tranqvillam stationem suos transportabit,& lacrymas ab oculis eorum absterget.

Qvæ-

Qværdam loca Danielis *Dan. 9.* ad Judæos propriè pertinent, qvibus & liberatio promittitur captivitatis, & Messias ille, promissus Patribus, intra certum ac ibi notatum & expressum tempus denunciatur esse venturus : reliqva autem vaticinia, ad omnium postremam mundi ætatem pertinent, & ad eos, qvi tunc vivent, qvum & parvulum illud cornu, Mahometi posteritas, bellum geret cum Sanctis, & qvum revelatus atq; detectus fuerit homo ille peccator & scelerosus, qvi sedet in templo Dei, seipsum ostentans, ac si Deus esset: Nam & hujus tyrannidem Daniel præsignificavit, ut Paulus in suis Epistolis disertè interpretatur, *2. Thess. 2.*

Satanas, qvem hujus mundi principem vocat ipse CHRISTUS, *Joh. 12. 14. & 16.* qvùm semper aliàs, tùm in ultimâ mundi deficientis ætate, longè vehemētissimè tumultuabitur, & omnis iracundiæ laxabit atqve furoris habenas, & adversarios excitabit CHRISTO, qvi non modò vi armorum sæviant, verùm etiam in fraudem & errorem abducant homines falsâ doctrinâ, sic qvidem,

dem, ut ipsorum laqveos vix evasuri sint etiam electi. *Matthæi 24. Marci 13.*

Nimirum, hoc illud est tempus, qvod capite XII. Daniel significat, adeò prorsus afflictum & calamitosum, ut nec simile fuerit unqvam, neq; futurum sit. Nihil enim læti nobis pollicetur, sed gravissimas persecutiones denunciat, qvando calamitates illas, de qvibus loqvitur, duraturas esse dicit, dum perficiatur dispersio manus populi sancti.

Vexabitur ergò populus Dei passim per orbem terrarum, & affligentur pii diversis locis, qvamdiu terrarum orbis consistet. Qvod qvidem Prophetæ, vel potius Angeli testimonium spem nobis omnem præscindit conciliationis & aggregationis. Nam de dispersione & dissipatione perpetuâ loqvitur, & natis propter doctrinam ac Religionem dissidiis, tunc demum finem statuit, qvum ipse Christus apparebit. Verùm ut consoletur & erigat & sustentet eos, qvi tunc vivent, mox ab istis ærumnis mortuorum resurrectionem ponit, qvàm ut læ-

tam

tam experiamur, atqve salutarem, magnis precibus orandus est Deus.

Qvantum verò Danieli sit tribuendum, testatur ipse Christus. (*Matth. 24. Marci 13.*) qvi locum ex eo desumptum, pro Concione refert, & auditoribus commendat.

Cùm ergò sint afflictissima hæc nostra tempora, studiosè cognoscendus est hic Vates, qvi nobis in hoc mundi postremo curriculo positis, concionatur, ac diligenter introspiciendus, ut in his præsentibus malis, & adversum imminentes fluctus atqve tempestates, verâ nos & certâ consolatione, tanqvam vallô qvodam & aggere, præmuniamus.

FINIS.



ÆGIDII STRAUCHII

CONTINUATIO SYNOPSEOS HISTORICÆ JOH. SLEIDANI.

A

CAROLO V. IMPER. AUGUSTO,

usque ad

ANNUM M DC LXIX.



I. N. J.

POst excessum Maximiliani Imperatoris, qvousqꝫ ferè suam de qvatuor summis imperiis historiã Sleidanus perduxit, Dignitas Imperatoria in Familia Austriaca permansit, dum ad CAROLUM V. pervenit; Erat enim is PHILIPPI Austriaci, Belgii Ducis & JOANNÆ filius, Maximiliani è filio, FERDINANDI verò, Castellæ, atqꝫ Arragoniæ Regis, qvi Anno 1496. CATHOLICI nomen à Pontifice obtinuit, è filia Nepos; In ea nascendi conditione felix, qvod opes BELGII non tantum, sed reliqvæ etiam Germaniæ, qvã magnam partem, item Hispaniæ, jure qvasi hæreditariô possederit, *V. Chytraei Saxon, p. 150. 191. Calvisius ad ann. 1496. Jaç. Aug. Thuanus Histor. L. 1. cujus seqvens est Patrimonii Caroli recensio: A patre Belgii, à matre totius Hispaniæ & majoris Italiæ partis, à Maximiliano avo amplissimi in Germania patrimonii, ac postremò Imperii heres, totam Euro-*

ropam, spe & fatali potentiâ, complecti quodammodo visus est.

Natus est Carolus anno Christi 1500. die Februar. in Flandriæ civitate primaria, qvæ vulgò GENT, Latinus GANDAVUM dicitur, eò enim Mater gravida venit, ne Natalis in Germania locus, qvem Aurea Caroli IV. Bulla postulat, ad fasces Imperatoris occupandos, Filio deesset aliqvando. *Vid. Abrah. Golnitii Itinerarium Belgico-Gallicum ab initio.*

Anteqvam Imperatoris acceperit titulum, jam REGNORUM HISPANIÆ Dominus erat, ab anno 1517. post excessum nempe avi sui materni, Ferdinandi Regis Catholici, qvi cum Neapolitanum regnum per *Consalvum* armis suis occupasset, Pontifici tamen, qvi Feudatarii jus prætendebat, ad normam recessus inter *Clementem IV.* & *Carolum Burgundum* olim initi, jurare opus habuit, nolle se Imperatoris dignitatem, nisi Pontificis consensu, unqvam recipere. Atq; hujus rei gratia CAROLUS noster ingentem pecuniæ summam solvere Pontifici opus habuit, qvò de rigore legis ejusdem remitteretur, *Sleidanus circa annum*

1356.

1365. pactum inter Pontificem & Carolum Burgundicum initum esse annotat. Cluverus Epit. Histor. ad annum Christi 1519. p.699. refert; Carolum veniam ejus legis VII. aureorum millibus à Leone X. redemisse.

Itaqꝫ Carolus à Moguntino præprimis, post etiam à *Friderico Saxone* (imperii molem sibi oblatam deprecante,) & reliqvis Electoribus, (excepto Trevirensi, qvi ab initio Francisci I. Galliarum Regis, partibus favebat magis) communi consensu, Imperator Romanus publicè proclamatus est, tunc temporis 19. annos natus. Convenerunt in hac causa Electores anno 1519. die 28. Junii. *V. Sleid. L. 1. Philippi histor. Election. Carol. V.*

Electo Imperatore, proxima de Coronatione ejusdem cura fuit, qvæ anno seqvente Aqvisgrani, solenniter est peracta. *Vide de ritu coronationis Sleidani L. 2. Limnæum Jurispubl. L. 2. c. 4. Dominicū Arumæum de Jure P. c. 1. Discurs. 33. th. 40. seqq. p. 1043. Reipubl. Germ. t. 2. p. 27. Et alios Juris P. Interpretes.*

Auspicia hujus Imperatoris turbulenta

ſatis fuerunt; Non tantùm ob conatus Franciſci I. Galliarum Regis, qvi Carolo V. inſidias ſtruxit, ſed qvod in cauſis Eccleſiaſticis etiam à Romana & Apoſtatica Eccleſia diſſentire cœperit MARTINUS LUTHERUS, patriâ Islebienſis, anno Chriſti 1483. pridie Martini à Johanne Luthero & Margarita Lindemannia natus, profeſſione Theologus Auguſtinianus, evocatus Wittebergam an. 1508. poſt initium Academiæ ſextô. Hic occaſione fraudulenti Indulgentiarum mercatûs, à Leone X. inſtituti, & per Johannem Tezelium præ aliis peracti, anno 1517. in Vigilia omnium Sanctorum, propoſitiones qvasdam, ad valvas templi arcis, ab omnibus Sanctis denominati, affixit, easdemqve ad publicam diſputationem propoſuit.

Inter themata, à Luthero propoſita, fuerunt ſeqventia:

V. Papa non vult, nec poteſt ullas pœnas remittere præter eas, qvas arbitriô vel ſuo, vel Canonum impoſuit.

VI. Papa non poteſt redimere ullam culpam, niſi declarando & approbando remiſſam à Deo, aut certè remittendo caſus reſervatos

ſibi,

sibi, quibus contemptis, culpa prorsus remaneret.

XX. Papa per remissionem plenariam omnium pœnarum, non simpliciter omnium intelligit, sed à seipso tantùm impositarum.

XXI. Errant igitur indulgentiarum Commissarii ii, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna solvi & liberari.

XXIII. Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vita debuissent, secundum canones, solvere.

XXVI. Optimè facit Papa, quod non potestate clavis, (quam nullam habet) sed per modum suffragii dat animabus remissionem.

XXVII. Homines prædicant, qui statim ut jactus nummus in cistam tinnierit, evolare dicunt animam.

XXVIII. Certum est nummo in cista tinniente, augeri quæstum & avaritiam posse, suffragium autem Ecclesiæ est in arbitrio Dei solius.

XXXII. Damnabuntur in æternum cum suis Magistris, qui per literas Veniarum securos sese credunt, de sua salute.

XXXVI. Quilibet Christianus verè compunctus, habet remissionem plenariam à pœna & culpa, etiamsi sine literis Veniarum, sibi debitam.

XXXVII. Quilibet verus Christianus, sive vivus sive mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi & Ecclesiæ, etiam sine literis Veniarum, à Deo sibi debitam.

XLV. Docendi sunt Christiani, qvod qvi videt egenum & neglectô eô dat pro veniis, non indulgentias Papæ, sed indignationem Dei sibi vendicat.

LII. Vana est fiducia salutis, per literas Veniarum, etiamsi Commissarius, imò Papa ipse, suam animam pro illis oppignoraret.

LVI. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, neq; satis nominati sunt, neq; cogniti apud populum Christi.

LXII. Verus thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Evangelium gloriæ & gratiæ Dei.

LXV. Igitur thesauri Evangelici retia sunt, qvibus olim piscabantur viros divitiarum.

LXVI. Thesauri indulgentiarum retia sunt,

sunt, qvibus nunc piscantur divitias virorum.

LXX. Opinari, venias Papales tantas esse, ut solvere possint hominem, etiamsi qvis, per impossibile, Dei genitricem violasset, est insanire.

LXXVI. Dicimus contra: Qvod veniæ Papales nec minimum venialium peccatorum tollere possint, qvoad culpam.

LXXVII. Qvod dicitur, nec si S. Petrus modò Papa esset, majores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam. V. Oper. Luth. Wittenberg. Latin. T. 1. p. 49. seqq.

Hæ illæ theses sunt, à qvibus felicissimæ Reformationis Ecclesiæ, hactenus sub tyrannide Papali miserè pressæ, heroicô spiritu, initium Lutherus fecit, nec mortem nec infamiam metuens, nec cujusvis generis mala, qvæ imminere sibi ignorare non potuit. Unde *Albertus Cranzius*, de Lutheri ausu, acceptô paucis ante mortem diebus nunciô clamasse dicitur: *O frater, MARTINE, abi in cellam tuam, & dic; Misere-*

rere mei Deus. Chytræus Saxon. L. VII. 196.

Ut ut verò ad indictam à B. Luthero disputationem nullus, adversariorum partes defensurus, advenerit, passim tamen propositiones LUTHERI mancipia Papæ suggillarunt; Et ipsemet TEZELIUS propositiones contrarias iis, qvas Luther. affixerat, à CONRADO WIMPINA scriptas, edidit, eumq; velut hæreticum passim traduxit; Secuti sunt JOH. ECCIUS, SYLVESTER PRIERIAS, JACOB. HOCHSTRAT, aliiq; infallibilem autoritatem Papæ in solidum urgentes; Qvâ occasione de pluribus articulis & falsis Pontificiorum opinionibus, disputare incepit Vir Dei.

LEO X. tunc Pontifex Romanus, indignè ferens, absolutam suam & dictatoriam potestatem, qvâ hactenus cum antecessoribus suis usus erat, in dubium vocari, B. Lutherum Romam ad Examen citat, & *Fridericum Electorem*, ut eundem captivum in manus suas tradat, hortatur; Ad instantiam tamen Electoris, Academiæ item intercessionem, concessit tandem, à

Car-

Cardinale Cajetano, Auguſtæ cum Luthero agi. Atq; hic qvòd revocare nec vellet, nec poſſet, qvæ juxta Scripturæ normam orthodoxè docuerat, & ad Concilium provocaret, tandem à Pontifice excommunicatus, & unà cum libris ſuis igni adjudicatus eſt. Qvod Brutum Fulmen parùm æſtimans Lutherus, heroicô animô Bullam Excommunicationis non tantùm; ſed jus qvoq; Pontificium Wittebergæ combuſſit, addens illud Samſonis: *Quemadmodum fecerunt mihi, ita feci eis.* Qvo facto irritatus Pontifex nihil non in perniciem Lutheri molitus eſt; nomen ejusdem bullæ Cœnæ Dominicæ execratoriæ infarciens. *V. Matheſ. de vita Luth.*

Eandem fortunam nundinatio Papalis, per *Samſonem Mediolanenſem*, Tiguri apud Helvetios inſtituta, experta eſt, *Ulrico Zwinglio* fortiter ſe illi opponente, qvi poſteà in negotio de Sacramentis & aliis Fidei articulis peſſimè erravit, & tandem anno 1531. in bello Helvetico occiſus eſt. *Sleid. L.VIII.*

Cæterùm & præconceptæ opiniones, de Ecclesiæ Romanæ infallibilitate, & continua Pontificis accusatio permoverunt tandem Imperatorem, ut in causam Lutheri inqvisiverit, & eundem ad comitia *Wormatiensia*, concesso salvi conductûs instrumento, evocarit. Frustrà verò expectatâ ejusdem palinodiâ, Lutherum, cum asseclis & defensoribus sententiæ ejusdem, proscripsit Cæsar. *Vide* Reichs-Abschied. *Cœlestini historiam p. 3.*

At *Elector Saxoniæ* in arce qvadam non procul ab Isenaco sita, cui Wartberg nomen est, incolumem servavit Lutherum, unde eundem locum *Pathmum & Eremum suam* vocavit Lutherus, è qvo tandem post menses 10. ferè, *Andreæ Carolstadii* Iconoclastæ, juris Civilis criminatoris, Sacramentarii, & Semi-Judæi, vehementia permotus, discedens, Wittebergam rediit. *V. Scriptum Lutheri adversus cœlestes Prophetas & Epist. ad Elect. t. 2. Oper. Latinorum Witteberg. Refert Chytr. Sax. lib. VIII. p. 222. Pontificios passim Magos consuluisse, ubinam Lutherus lateret? Eosdem verò nil*

certi

certi respondere potuisse, quod Deus illum protegeret.

Comitia Wormatiensia, anno 1522. exceperunt *Norinbergensia*, in qvibus, absente Cæsare & tunc in Hispania degente, bellum adversus Turcam & censura adversus Lutherum gravissima, qvibusdam Proceribus placuit. Præterea magnus Catalogus gravaminum adversus Curiam Romanam & Ecclesiasticas personas, tunc exhibitus est, cum acerrimâ Concilii generalis postulatione. *Chytr. Saxon. lib. V. p. 248.*

Circa hæc tempora provinciæ & urbes qvam plurimæ luce Evangelii illuminatæ sunt, & inter has *Pomerania, Borussia, Livonia, Brema, Magdeburgum, Halberstadium: Goslaria &c. de qvibus videatur Chytraus loc. cit. & libr. XI.*

Norinbergensia comitia excepit conventus *Ratisbonensis*, non omnium, sed qvorundam Imperii procerum tantùm, in qvibus ad *Campegii* Legati Pontificii, tunc *Clementis VII.* (*Perduellionis, maximi* cognomen nacti) placitum,

aliorum item Romanensium instinctum, ea qvæ Wormatii adversus Lutherum decreta fuerant, ut citissimè executioni dentur, mandatum est. Placuit item de corrigendis vitiosis Sacerdotum moribus feqventia dicere: *Vivant Sacerdotes honestè, vestiantur decorè, non negotientur, fugiant cauponas: non sint avari: neqve pro sacrorum administratione pecuniam acerbè imperent: Concubinarii removeantur loco: Feriarum numerus sit moderatus.* Deniqꝫ auxiliatrices copiæ *Ludovico* Hungariæ Regi, adversus Turcam, decretæ & promissæ sunt: Sed dum moram nectunt Imperii Status, Rex ipse in acie occubuit, suo docens exemplo, hostem potentem & ferocem irritandum facilè non esse. *Sleidanus, Osiander, anno 1524.*

Circa idem tempus *Controversia Sacramentaria* cum Carolstadio & Tigurinis agitari cœpit: Turbæ item, qvas *Thomas*

Müntze-

Müntzerus, Alstetensis in Thuringia Concionator, & socii posteà excitarunt, anno 1525. circiter innotuerunt. Referunt nonnulli in Svevia, Franconia, Thuringia & finitimis regionibus, ad centum millia rusticorum periisse. Dux ipse Muntzerus captus in oppido qvodam Thuringiæ, Franckenhausen/ capite plexus est. *Vide. B. Lutheri scriptas adversus seditiosos rusticos Epistolas, Matthes. vitam Luth. p. 42. seqq.*

Dum in Germania subditos suos imorigeros vicerunt Principes, Imperator Romanus & Hispaniarum Rex *Carolus V.* cum *Francisco I.* Galliarum Rege, gravissimes inimicitias exercuit. Sedes belli Ducatus Mediolanensis fuit, in eodem enim dum Papiam obsedit Gallus, à Cæsaris copiis in acie victus, ipseqve Rex alios captivos inter, in Hispaniam abductus est, *Thuanus.*

Ferunt, Franciscum in Musæo, qvo captivus detinebatur, viso Cæsaris Symbolo in pariete descripto; *Plus ultra*, subscripsisse: Hodiè mihi, cras Tibi: qvibus verbis addiderit Cæsar seqventia:

Homo ſum & nihil humani à me alienum puto.

Cæterùm clementiæ & benignitatis laudem videbatur Carolus V. adipiſci, qvando obtentæ victoriæ Symbolum Galliarum Regem, ex animi ægritudine decumbentem, è captivitate dimiſit, eidemq́; ſororem ſuam *Eleonoram*, qvæ Emanueli Luſitaniæ Regi prius nupſerat, in matrimonium dedit. Conditiones ſeqventes tùm libertati Regis, tùm cæteris, qvæ in iisdem Pactis continentur, apponens; Ut Galliæ Rex Ducatum Burgundiæ reſtitueret, juri ſuo in regnum Neapolitanum, Mediolanenſem Ducatum, Genuam, Aſtam, Atrebatum, Tornacum renunciaret, deniq́; duos filios obſides daret &c. Enimverò amicitia hæc diuturna non fuit, rupto iterum hoc fœdere, qvod conditiones pacis Galliæ proceribus non ſatis æqvæ viderentur. *Sleidanus in Comment. l. c.*

Interea *Friderico* Electori Saxoniæ, è calculi acerrimis doloribus & ſine maſcula prole mortuo, frater ejusdem *Johannes* ſucceſſit à viſitatione Eccleſiarum, dignif-

gnissimum Principe Christiano auspicium faciens, qva occasione *Philippus Melanchton*, ex Inspectoribus unus, summam doctrinæ Orthodoxæ de omnibus Fidei Christianæ capitibus, in libello qvodam peculiari comprehendit.

Carolus V. Imperator, inito cum Gallo fœdere, ad Comitia *Spirensia* Proceres Imperii citavit, qvamvis ipse coram esse non potuerit, Ferdinando fratre vices Imperatoris suscipiente. Primarius Propositionis Cæsareæ articulus erat, adversus Romanam Ecclesiam nil audendum amplius esse, sed omnes teneri, ut eidem se submittant, relegato insuper Luthero secundùm Wormatiensium Comitiorum decretum, abusuum verò correctione ad Concilium Oecumenicum dilata. V. Reichs-Abschied.

At Pontificis, *Clementis VII.* & Galliarum Regis, *Francisci*, è captivitate reducis, renovatæ cum Imperatore lites, ansam Protestantibus dederunt, de concilio desperandi & adversus Romanensium ausum sententiam suam exponendi

liberius. Tandem anno 1529. decretum est, ad Concilium usq; adversus neminem, ob Religionis negotium, arma capienda esse. V. Reichs-Abschied.

Bellum, qvod Papa cum Imperatore incepit, ut non solùm Italia tota eum depelleret, verum etiam ab Imperii dignitate dejiceret, Autori suo ingentem calamitatem attulit. Capta enim Urbs à Cæsaris militibus & direpta est, Pontifice ipso obsesso primùm, & paulò pòst capto, nec dimisso prius, qvàm ingentem pecuniæ Summam militibus Cæsaris solvisset. *De hoc horrenda Romanensium clade sequentia annotat Onuphrius Panvinius, in vita Clementis VII. Vaticani & Janiculo, paucis, qui repugnare ausi erant interfectis, pridiè nonas Maji anno salutis millesimo, qvingentesimo, vigesimo septimo expugnatis, exercitus omnis, qui ex Germanis, Hispanis, Italis, ad XL. millia coactus erat, per pontem Xysti in urbem impetum fecit, & tantâ cæde debacchatus est, ut nunqvam post hominum memoriam, majore truculentiâ vel in Turcas, vel in perfidos & infensissimos hostes vindictæ libidine sævitum*

sit.

sit. Omnes, qui primo impetu obvii fuerant, tàm inermes, quàm armati, ad unum cæsi. Pontifex repentino tot hostium impetu consternatus, summæ rerum & saluti suæ diffidens, consilii expers, trepidus sese in arcem recepit. Eâ nocte nihil unquam lugubrius aut funestius Roma vidit: Omnibus in locis ad satietatem usque edita hominum strages, nobilissimi quique tormentis excruciati, virgines, matronæ & sacræ virgines violatæ, cardinalium domus, & principum item legatorum expugnatæ: nemo deniq; servatus, nisi qui vitam & libertatem universâ re domesticâ redemisset. Templa ferè omnia, multis necatis aut excruciatis sacerdotibus, direpta. Tum arx, in quam Pontifex cum aliquot Cardinalibus se receperat, obsideri cœpta est, tam diligenti custodiâ, ne quid obsonii intra inferretur, adhibitâ, ut consumpto commeatu omni, Pontifex deditionem facere fuerit coactus, eâ conditione, ut cuncta, quæ Cæsar imperâsset, se facturum polliceretur. Conflavitque omnia sacrorum templorum ornamenta, ut inde pecunia cuderetur militibus

dividenda, quæ tum satis non esset, pilei tres Cardinalitii venales concessi; ut illis licitantibus, qui ad senatoriam dignitatem spirabant, aurum proferrent; eô modô ad hastam propositis emptores non defuêre. Confer Francisci Guicciardini Histor. lib. XVIII.

Circa hæc tempora Anabaptistarum profana hæresis vires sumsit. Qvidam enim de hoc fanatico grege, *Thomas* dictus, fratrem suum Germanum, Leonhardum, in parentum præsentia decollavit; prætendens Abrahæ exemplum, qvi à Deo mandatum acceperat, ut filium Isaacum sacrificaret. Ad Magistratus ejus loci fratricidam justâ pœnâ affecit. Factum hoc est in oppido qvodam Helvetiæ, qvod fanum S. Galli dicitur. *Sleid. lib. VI. Bucholtzerus. De variis Anabaptistarum sectis & dogmatibus, videantur Schlusselburgii Catalog. Hæret. Frider. Spanhemii Diatribe Historica de origine, progressu, sectis & nominibus Anabaptistarum; Johannis Cloppenburgii Gangræna Theologiæ Anabaptist. Johannis Hornbeck summa controversiarū Relig. lib. V. &c.*

Lu-

Ludovicum Bohemiæ & Hungariæ Regem, in bello Turcico miserè periisse, dictum anteà est. Post hujus obitum externis non tantùm, sed internis qvoqꝫ bellis, Hungaria tota ferè conflagravit. Nam Ferdinandus Caroli V. germanus, Bohemiæ qvidem regnum facilè obtinuit, Sclavicâ Regum Poloniæ stirpe ab hac dignitate in posterum exclusâ; At Hungariæ regnum non sine difficultate. Urgebat qvidem pro successione suâ, tum conventionem Maximiliani Imperatoris & Ladislai, anno 1491. hac ratione initam, ut deficiente prole masculâ Ladislai, ad Maximiliani familiam fasces regiæ deferrentur, tum affinitatem cum occiso Rege, cujus sororem Annam duxerat. At ex altera parte Johannes Sepusius Transylvaniæ Palatinus, (qvi ab aliis Johannes de Zapolia Vayvoda apud Jazyges nominatur) Regis titulum affectavit & vehementer se Ferdinando Bohemiæ Regi opposuit, urgens se à Principibus Hungariæ electum, fratrem item & consangvineos suos optimè de Regno Hungariæ meruisse. *V. Chytr. Sax. L. XII. p. 303. Bonfin.*

Qvo-

Qvoniam verò hic viribus impar erat, neqve Ferdinando resistere valebat, frustrà expectatô auxilio Germanorum, Gallorumve, Imperatoris Turcici tutelam imploravit, cui etiam promisit, qvod si Rex Hungariæ constitueretur, se Solymanni Vasallum futurum.

Itaq; instigatus Solymannus à Johanne, urbem Budam & arcem, qvam undecies frustrà oppugnaverat, vi capit. Johannes verò, magnis muneribus Turcæ obviam procedens, manus ejusdem deosculatur, à qvo Rex Hungariæ confirmatus, Budam in sedem Regiam acceptat, qvam deinde ad finem usq; vitæ suæ ad annum videlicet 1540. retinuit, incoluitqve *Resp. & Stat. Regni Hung. p. 141.*

His non contentus Solymannus, vastatâ Hungariâ in Austriam pergit & Viennam ingenti cum exercitu, in qvo bis centena millia militum capita numerabantur, obsidione cingit. Præsidiariis verò, sub Duce Philippo Palatino, sese fortiter defendentibus & hyeme ingruente, discedere

dere cogitur, desiderans ad octoginta millia militum.

Paulò pòst rediit qvidem hostis, anno nempe 1532. at ingenti clade ab Imperatoris exercitu affectus, nihil obtinuit.

Hoc ipso tempore milites, ex insula Rhodo ante aliqvot annos pulsi, consensu Pontificis & Imperatoris insulam Maltam occuparunt & muniverunt.

Jam antea Imperator, absens eo tempore, Principe & Status imperii Spiram citaverat anno 1529. ut adversus Turcæ irruptiones & Religionis Pontificiæ immutationem, in iisdem decerneretur. Decretum est à Pontificiis, qvorum major pars erat, edictum Wormatiense contra Lutheranos urgendum, missam retinendam, neqve alia ratione in religionis negotio qvicqvam mutandum esse. Adversus hanc sententiam, in gratiam Romanensium latam, Principes Evangelici protestabantur publicè, ne vim legis acqvireret decretum, Atq; hæc prima origo nominis PROTESTANTIUM fuit. *Sleid. l. 6. Osiand. Centur. XVI.*

Cæterùm Papa Romanus ad extrema reda-

redactus, pacem cum Carolo Victore iniit, cujus exemplum anno 1529. Franciscus Galliarum Rex secutus est, qvi tamen prius Carolum ad duellum evocavit, qvod paulò pòst ipse declinavit. Sed & Veneti, belli pertæsi, traditis qvæ in Samnitibus, Picenô & Apuliâ tenebant, Cæsaris amici facti sunt. Atq; in sancta Liga, qvæ dicebatur, iterum soluta est. *Thuanus l. 1.*

Eodem anno 1529. Imperator Romanus cum Pontifice Bononiæ collocutus est, & frustrà Concilium œcumenicum postulavit. Promisit tamen, se velle Lutheranos vi & armis opprimere, si Pontifici se opponere pergerent. Atq; hac conditione Rex Longobardorum, & post trinam osculationem pedum Pontificis ac juramentum Pontifici præstitum, Imperator Romanus à Pontifice coronatus est, qvi ritus forsitan tunc temporis à Pontifice Romano ultimo peractus est, cum in hunc diem usq; nullus Imperatorum à Pontifice amplius coronari voluerit. *Actum coronationis Pontificiæ prolixè describit Gregorius Cœlestinus Histor. Comit. August. pag. 16.*

Jura-

Juramenti formula hac erat : Ego Carolus Romanorum Rex, & brevi, DEI gratiâ, futurus Cæsar, per Deum Divumq; Petrum promitto, polliceor, testificor atq; juro, me in posterũ pro viribus, ingeniô & facultatibus meis, Pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem, nec ullam Ecclesiasticæ libertati vim illaturum. Sed potestatem, jurisdictionem & dominationem ipsius, quoad ejus fieri potest, conservaturum ac protecturum, cujus rei testem voco Deum ipsum & hæc sancta Evangelia.

Bellô Italico confectô, conventum Augustanum indixit Cæsar, in qvo de Religionis negotiô, & bello adversus Turcam deliberari voluit.

Itaq; Johannes Dux & Elector Saxoniæ præter Romanensium spem primus omnium ibidem comparuit, unà cum filio suo Johanne Friderico, in comitatu habens Philippum Melanchthonẽ, Justum Jonam & Georg. Spalatinum, Lutherum enim Coburgi reliqverat, *Cœlestinus Histor. Comitior. August.*

Prius

Priusqvam verò Augustam profectus est Elector, ad mandatum ejusdem, Torgæ convenerunt Theologi qvidam, B. Lutherus, Phil. Melanchthon, Bugenhagius & Justus Jonas, qvi de formulâ Confessionis, in Comitiis exhibendâ, deliberarunt. *V. Luther. Oper. Jenens. Germ. tom. V. p. 14.*

Inceptis die XX. Junii comitiis, die 25. ejusdem mensis Confessio fidei, à Melanchthone è XVII. Lutheri articulis conscripta, per Christianum Bejerum Juris-Consultum, publicè coram Cæsare, Ferdinandô Hungariæ & Bohemiæ Rege & reliqvis imperii proceribus, prælecta est, cùm id Protestantes præcedente die frustrà petiissent.

Subscripserant Confessioni æternâ memoriâ dignissimi Principes; JOHANNES Dux Saxoniæ Elector, GEORGIUS Marchio Brandenburgensis, ERNESTUS Dux Luneburgensis, PHILIPPUS Landgravius Hassiæ, JOHANNES FRIDERICUS Dux Saxoniæ, FRANCISCUS Dux Luneburgensis, WOLFGANGUS Princeps, ab Anhalt,

Senatus item Magiſtratusqve NORINBERGENSIS, & Senatus REUTLINGENSIS. *Chytr.*

Qvia verò in causâ Sacramentariâ Zvvinglii aſſeclæ ab orthodoxâ diverſam opinionem tenebant, aliam qvoqve Confeſſionem ediderunt, cui Argentinenſes, Conſtantinenſes, Memmingenſes & Lindavienſes ſubſcripſerunt, ejusdem autor Bucerus dicitur fuiſſe. At publicè eadem prælecta non eſt. Pontificii etiam vehementem cenſuram eidem oppoſuerunt, qvod ſcirent, Sacramentariorum causã apud Cæſarem & reliqvos principes exoſam eſſe. *Chytr. Hiſt. Aug. Conf. p. 678. Cœleſtin. Tom. IV. p. 94. Hortleder. part. 1. de cauſis B. G. c. 9.*

Qvod verò Orthodoxam Saxonicorum & reliqvorum Principum Confeſſionem attinet, petierunt Romanenſes, cauſæ ſuæ diffiſi, ne Cæſar concederet Confeſſionem Proteſtantium vel typis exprimi, vel alio modo pluribus innoteſcere. Qvod etſi promiſerit Imperator, obtinere tamen id minimè potuit; Qvin potius brevi tempore Confeſſio

hæc

hæc in Germanica, Latina, Italica, Lusitana, Bohemica, Hispanica, Gallica, Anglicana, Belgica, Græca &c. lingvis ab universo orbe legi potuit; & lecta est. *V. Lauterbach. de Miraculis Aug. Conf.*

Paulò post convocatis Imperii Ordinibus, prælecta est confutatio Confessionis Protestantium à Johanne-Fabro, Eccio, Cochlæo, aliisqve Pontificiæ Religioni addictis, composita, cujus exemplar Protestantes obtinere non potuerunt, qvamvis id instanter petierint; Undem Apologia tantùm ad ea responderunt, qvæ inter legendum observaverant. Confutatio ista Pontificiis lucrosa fuit; Reportarunt enim autores, qvasi rem optimè egissent, ingentia præmia, Faber qvidem Episcopatum Viennensem, alii alios reditus, unde Erasmi proverbium: Der arme und magere Luther machet viel feist und reich. *Sleid. VIII.*

Habuerunt post hæc Pontificii & Protestantes varia inter se invicem colloqvia, Religionis negotium concernentia, in qvibus tamen hæ lites componi non potuerunt, eò, qvòd Pontificii sanam

nam doctrinam recipere nollent, Protestantes eandem deserere non possent.

Tandem jussu Cæsaris decretum qvoddam prælectum est, Lutheranos causâ cecidisse & ad Ecclesiam Romanam revertere debere, nisi mallent vindictam Cæsaris experiri. Hôc modô postqvam tristia qvævis Cæsar & Romanenses reliqvi protestantibus interminati erant, è comitiis discessum est.

Protestantes igitur denegato sibi Pacis publicæ bonô, tributa ad bellum Turcicum solvere recusarunt. Intereà B. Lutherus omnes heroicô spiritu ad constantiam hortatus est, editô egregiô libellô, cujus titulus: Warnung an seine liebe Deutschen.

Circa hæc tempora Angliæ status perqvam turbulentus fuit: qvæ historia cum verè mirabilis sit, non immeritò hoc locô recensetur. Henricus Angliæ Rex hujus nominis VIII. hactenus Lutheri dogmata vehementer impugnaverat, editis adversus autorem variis & virulentis scriptis, à B. Luthero animosè confutatis. Atqve ob hoc ipsum, Pontifici gra-

tiſſimum ſtudium, titulum DEFENSORIS FIDEI à Papa Romano Rex Angliæ accepit.

Duxerat igitur Henricus in Matrimonium Catharinam Ferdinandi Regis Catholici filiam, qvæ Arthuro fratri ſuo anteà nupſerat, & qvam is dubiæ conditionis viduam poſt ſe reliqverat; atqꝫ hoc conjugium Henrici cum fratris ſui vidua initum Julius II. Pontifex approbaverat. Cæterùm poſtqvam per XX. annos in conjugio illo Angliæ Rex vixerat, & ſuſceperat etiam tres filios & duas filias, à qvibus (cæteris maturè decedentibus) MARIA in ſpem ſucceſſionis educata eſt. Henricus in amore pronior, uxorẽ, auſteris moribus fœminam, & ab omni cultûs & venuſtatis curâ abhorrentem, aſpernari incepit, & inſtinctu Thomæ Wolſæi, hominis impotentiſſimi judicii, qvi Margaritam, Franciſci *Galliarum* Regis ſororem, in perniciem Caroli, cujus Matertera erat Catharina, Henrico adducere in animo habebat, de divortio cogitavit.

Nego-

Negotium hoc ſtatim ad Pontificem delatum eſt, à qvo Rex vehementer petiit, inceſtuoſas nuptias, cum fratris viduâ contractas, irritas pronunciari. Promittebat inſuper Henricus, ſe velle communibus ſumptibus adverſus Cæſarem, qvi circa iſta tempora Pontificem qvaſi captivum habuerat, inpoſterum bella gerere.

At Legatis poſt reſtitutam libertatem demum, & pacem Cæſarem inter & Pontificem initam, advenientibus, Papa judicium ſuum procraſtinavit, metuens Imperatoris iram, qvam ſciebat ſibi gravem fore, inſuper Regi non uno modo callidè illuſit.

Miſſis itaqve hincinde nunciis, cùm Catharina religionem aliqvam ſponte ſuſcipere nollet, ſed matrimonium ſuum, qvod Eccleſia Romana legitimum ſemel judicaſſet, conſtantiſſimè tueretur, ex altera verò parte Henricus indeſinenter Legatos Pontificios, poſteà Pontificem ipſum de maturandâ divortii ſententiâ fruſtrà urgeret, tandem moræ Pontificiæ pertæſus, Rex ſpretâ Papæ autoritate,

Cantuarienſem Epiſcopum, pro repudio, contra Catharinam pronunciare jubet.

Qvo facto Henricus cùm de gratia à Pontifice impetranda deſperaret, & anathema Pontificis ægrè ferret, ordinum Angliæ decretô, auctoritatem Pontificiam per regnũ abrogat, tributum annuum, (Denarium Sancti Petri vocabant) jam ab Inæ temporibus pendi ſolitum, denegat, pœnam capitis conſtituit, ſi qvis ſupremam poteſtatem Pontifici adſcribat; Poſtremò Eccleſiaſticos tàm Angliæ, qvàm Hiberniæ, Sacramentô adigit, ut ſe, tanqvam Eccleſiæ caput à Chriſto proximum, agnoſcant. Ut ut verò diſciplinam & ordinem Eccleſiæ immutarit, doctrinam tamen Romanenſium retinuit, Lutheranos æqvè & Calvinianos è regno ſuo proſcribens. Præterea ad ſecunda vota perrexit, Henricus, duxitqve Annam Thomæ Boleni eqvitis filiam, nuper Marchioniſſam creatam, qvæ in Galliis & in Anglia ferè infamis erat. Teſtantur enim, ſed Pontificii Scriptores, Annam hanc fuiſſe concubinarum Henri-

ci

ci adhuc viventium, alterius qvidem sororem, alterius autem filiam, imò à nonnullis ipsius Henrici propria filia habetur: qvò referunt illud, qvod Rex qvodam tempore à Francisco Briano, domestico suo, qvæsiverit, qvale peccatum videretur, matrem primùm, deinde filiam cognoscere? Cui Brianus (Vicarius inferni cognominatus,) responderit; tale, ô Rex, qvale gallinam primùm, deinde pullum ejus gallinaceum comedere. Qvam profanam vocem dicunt magnô risu Regem excepisse.

Postqvam verò Anna Bolenia filiam Elisabetham enixa est, haud diu in gratia Regis permansit; Accusabatur enim, qvod ante nuptias cum plurimis esset fornicata & post Regis nuptias etiam cum fratre suo concubuisset, qvorū criminū causa, à judicibꝰ ad hoc negotium delectis (inter qvos Thomas Bolenus, qvi pater Annæ dicebatur, sedebat) adulterii & incestus damnata, & Conjugis sui Henrici jussû, securi percussa est, id qvod accidit anno Christi 1536.

Conscripsit de his gestis peculiarem

virulentum tractatum Nicolaus Sanderus Anglus, Doctor Pontificius, sub titulo: De origine & progressu Schismatis Anglicani. Vide etiam Thuanum l.1. Sleidan. l.IX. Chytræi Saxon. lib. VIII.

Redimus ad Germaniæ noſtræ res: Proteſtantes itaqꝫ poſt finita Auguſtana Comitia, cum metuerent infenſos ſibi Imperatoris & aliorum Statuum, pontificiæ religioni addictorum, animos, de neceſſaria defenſione cogitare cœperunt, initô inter ſe fœdere, de mutuis auxiliis ferendis, adverſus hoſtem communem, qvod fœdus Smalcaldicum communiter vocatur, ideò, qvod Smalcaldiæ, oppido in Haſſiæ confinibus ſito, Proteſtantes id iniiſſent haud tantùm, ſed & anno 1537. & ſeqq. ibidem confirmaſſent etiam.

Cæſar verò qvò firmiorem redderet ſuam ſuorumqꝫ primatum & autoritatem; de Ferdinando in Regem Romanorum coronando, conſilium iniit. Animadvertebant tunc temporis Germaniæ proceres vaticinium Trevirenſis impletum iri, qvi prædixerat, Carolorum nihil non pro retinendâ Imperatoriâ dignitate penes fami-

familiam suam ausurum esse. Hinc etsi Johannes Saxoniæ Elector, per filium Johannem Fridericum, adversus electionem hanc, ut Aureæ Bullæ contrariam, protestatus sit, aliis item Imperii oridmibus displicuerit, prævaluit tamen Cæsaris autoritas. Qvare Ferdinandus Coloniæ electus, & paulò pòst Aqvisgrani coronatus, sed à Saxoniæ Electore, Johanne Friderico (qvi in locum parentis sui Johannis, Anno 1532. demortui, successerat) diu post, certis conditionibus, ut Rex Romanorum, agnitus est. *Sleid. l. VII. & IX. XV.*

Cæterùm qvod timeret Imperator Turcicam Tyrannidem, Protestantibus porrò ægrè facere non audebat tunc temporis, qvin potius interventu Alberti Moguntini & Ludovici Palatini pacem cũ iis iniit, factam Suinfurti, promulgatam Norinbergæ, duraturam verò ad proximum usqve consilium.

Post hæc Turcæ, dum prædâ graves, reditum è Pannoniâ ad suos parant, à Cæsaris exercitu profligantur, fugitivos Cæsar proseqvi noluit, sed in Italiam

abiit cum Pontifice Paulo III. acturus de Concilio, qvem etiam permovit, ut primùm Mantuæ, pòst Vincentiæ id indixerit, callidè prospiciens, ne cogeretur ullibi E- xistimant enim Pontifices, per concilia tantum de amplitudine sua detrahi, qvantum ex disciplinæ emendatione, auctoritatis & ornamenti Ecclesiæ accedit, cujus rei gratiâ non liberum, sed Pontificis tyrannidi subjectum, neqve in Germania celebrandum, indixerunt. Intereà Lutherus articulos in concilio offerendos, Smalcaldicos dictos, circa hæc tempora conscripsit. *Luth*. T. *VI. Jen. Germ*. Thuanus. *l. 1, Sleid. l. VIII. & IX.*

Hæc dum agebantur, seditiosa Anabaptistarum turba cristas denuò erigere incipiebat, qvi motus Westphaliæ præprimis exitiosus fuit. Nam Johannes Leidensis, operâ Rotmanni & Knipperdolingi usus, & è Sartore subitò Rex creatus, Monasterium, Episcopalem civitatem, diripuit, omnia pro lubitu suo ibidem ordinavit, Magistratum pristinum abrogavit, duodecim Apostolos sibi elegit, iisdem Ducatus, & Episcopatus assignans, in qvos ipse

ipse qvidem nullum jus habebat. Polygamiam introduxit & alia nefanda facinora perpetravit. Tandem tragicum exitum habuit fabula; civitate enim ab Episcopo & confœderatis, obsidione per 15. menses cinctâ, ad extremam famem redactâ, demum ex insidiis captâ, novus Rex cum Sociis qvibusdam, igneis forcipibus laceratus & posteà suspensus est. *Sleid. L. X. Osiand. Cent. XVI. Videatur etiam Anton. Corvin. de hoc tumultu Epistola apud Boxhornium p. 56.*

Uti verò Ecclesiæ Reformationem, feliciter à Luthero cœptam, maximoperè promovit Scripturæ Sacræ in Germanicam lingvam, & jussu Ducis Litvaniæ Nicolai Razevil, in Polonicam translatio, qvarum illa anno 1534. hæc verò anno 1540. absoluta est; ita novum ordinem, Jesuitarum nempe, cujus auspicia in hæc tempora incidunt, AntiChristi Regno in subsidium misit Satan. *Matthes. in Vit. Luth.*

Ordinis hujus autor fuit Ignatius Lojola, Hispanus, è truculento milite, post

infortunium, qvo utriusq; pedis facili & conformi usu privatus est, subitò religiosus factus, qvo minus mirandum Jesuitarum ingenium est, ad nil magis qvàm sangvinolenta pronum facinora.

Refert Hospinianus Histor. Jesuit. lib. 1. cap. 1. Jacobum Crusium Landspergensium Jesuitarum Rectorem dixisse: Miles esse debuit nostræ Societatis pater, qvia ut militis est, totis viribus in hostem irruere, nec desistere, donec victor evadat; ita nostrûm est in omnes irruere, qvi Pontifici Romano resistunt, illosq; consiliis, dictis & scriptis, invocato etiam seculari brachio, hoc est, igne & ferro, tollere & abolere: sicut Pontifex & nostra vota, contra Lutheranos suscepta, volunt & mandant.

Qvod à JESU Ordinem suum denominari voluit Ignatius, ejus rei causam Pontificii hanc fingunt: Apparuisse aliqvando Ordinis autori B. Deiparam, portantem in ulnis puerulum JESUM, eumqve, ut in filii sui honorem societatem seu Ordinem institueret, hortatam esse. Qvâ visione permotum fingunt Ignatinm, Societatem Jesu primùm instituisse, qvæ

posteà,

postea, non obstantibus Cardinalium qvorundam votis, religionum numerum minuendum esse svadentium, à Paulo III. approbata est. *Scripserunt de hac Societate ejusdemq; Autore Maffejus, Hasenmüllerus, Rodolphus Hospinianus, B. Chemnitius, Aug. Thuanus lib. XXXVII. ad annum 1564. aliiqve.*

Intereà Cæsar compositis qvodammodo in Germania, Italia & Hispania rebus, expeditionem in Africam adversus Turcam, svasu & auxilio Pontificis suscepit, ut hac ratione eundem à cura Pannoniam invadendi retraheret, vel certè ad plura redderet intentum. Jam enim in interiore Persia qvoqve cum Thoma Ismaelis filio confligebatur. Itaq; ingentem classem adversus Hariadenum Barbarossam, Exercitus Turcici præfectum, ex Hispania & Italia duxit Cæsar, Tunetum versus, Mauritaniæ metropolin, cujus Regem Muleassen paulò ante è regno expulerat, qvi etiam in Cæsaris comitatu erat, restitutionem suam avidè sperans.

Et ab initio qvidem expeditio hæc pro-

ſperè proceſſit, Tunetum enim à Chriſtianis, qvi captivi ibidem detinebantur, occupatum eſt, dum Barbaroſſa in aperto campo cum Chriſtianis dimicabat, claſſis item Tunica Chriſtianis loco prædæ fuit.

Poſteà verò Andreâ Doriâ rem ſegnius & imprudenter agenti Barbaroſſa, collectis novis viribus reverſus anno altero victor evaſit, claſſe navali Pontificio-Veneto-Cæſareanâ ad Actiacum promontorium diſſipatâ. *Leuenclav. Chronic. Turcic. pag. 50. Onuphrius in Paulo III. Thuanus l. 1. Sleidan. l. IX.*

Cæſar ex Aphrica redux novi Belli, cum Galliarum Rege Franciſco denuò gerendi occaſionem invenit. Obierat enim Franciſcus Sfortia Mediolani Dux, ſine maſcula prole; Qvare Cæſar Ducatum Mediolanenſem ſibi, ut feudi Domino, adjudicabat; Franciſcus verò hanc provinciam ad ſe jure hæreditario pertinere urgebat. Unde funeſtiſſimum bellum obortum eſt, in Pedemontii præprimis & Sabaudiæ confiniis. Tandem Pontificis interventu, qvi Regi Angliæ & Proteſtantibus exitium mi-

naba-

nabatur, induciæ decennales Imperatorem inter & Regem, initæ sunt. *V. Lamberti Vander-Burchii Sabaudorum origines p. 240. seqq.*

In Italia hoc tempore, anno nempe 1538. cœpit mirabile illud agri Puteolani, aqvis calidis & lutoso sulphure abundantis, incendium. Fuit hæc regio bienniô fere magnis terræ motibus agitata, ut pleraqve ædificia, qvæ solo non æqvata erant, ruinam tamen minarentur. Post freqventissimos terræ motus, tandem magnus illius agri tractus, qvi inter radices montis, qvem Barbarum incolæ appellant, & juxta mare Avernum jacet, sese erigere visus est, & montis subitò nascentis figuram imitari, eodemqve die iste terræ cumulus, aperto veluti ore, magno cum fremitu, ignes evomuit, pumicesqve & lapides, cinerisqve fœdi tantam copiam, ut qvæ adhuc extabant Puteolorum ædificia operuerit, fugientibus per tenebras Puteolanis & Neapolin sese recipientibus. Cinis ad LX. passuum millia, exhalationis vi, projectus est, propè voraginē siccus; procul verò lutosus & humidus cecidit. Mons item circa

voraginem, ex pumicibus & cinere, plusqvam mille passuum altitudine, unâ nocte congestus est. *Vid. Simonis Portii Neapolitani de hoc incendio Epistolam apud Marcum Zuerium Boxhornium Histor. Univers. p. 66.*

Dum Italiæ Regio flammis consumitur, ferrô & igne contra Antagonistas Romanensium in Galliâ & Angliâ agitur tantâ crudelitate, ut Regem Galliæ facti sui paulò post pœnituerit, vel ad minimum id simulaverit. *V. Epistola Regis ad Protestantes, apud. Sleid. l. IX.*

Cæsar qvoqve à Pontifice permotus multa in exitium Protestantium meditabatur, qvod hi maturè animadvertentes, se suaqve necessaria defensione tueri cogitabant, cujus rei gratiâ aliqvot conventus, ut Francofurti, Brunsvvigæ & alibi instituti sunt, multi qvoqve in fœdus Smalcaldicum recepti, inter qvos fuit Christianus Daniæ Rex, qvi tamen non ut Rex, sed ut Holsatiæ Dux admissus est, Johannes item Brandenburgicus, Magistratus, & incolæ urbis Rigæ in Livonia &c. *Sleid. lib. XII.*

Simul-

Simultates inter Cæsarem & Protestantes multùm augebat Concilii indictio, ad diem 23. Maji 1537. à Pontifice facta. Cæsar enim ut & Pontifex per Legatos suos, seriò jubebant Protestantes, ut in eodem comparerent. Hi verò excipiebant, nullô modo sibi hac ratione satisfieri, cum vitiosa sit indictio Concilii à Pontifice facta; Locus, Mantua nempe suspectus, & contra promissum Cæsaris; Deniq; forma agendi in Bulla Papali expressa, contra æqvitatem, qvæ eundem & reum & judicem esse prohibeat. Ad eundem modum ferè adversus hanc indictionem, scripsit Henricus VIII. Angliæ Rex, & se hujus concilii decreta recipere nolle, protestatus est. *Scriptum Protestantium de causis declinati Concilii.*

Status qvidam Pontificiæ religioni addicti, audientes de Protestantium fœderibus, qvæ inibant mutuò, ipsi qvoq; Norinbergæ fœdus fecerunt, præsente atqve id urgente Cæsaris Legato. Primarii erant Georgius Saxoniæ, Wilhelmus Bavariæ, Ericus & Henricus Brunsvvicensium Duces, qvorum ultimus Præfecti instar

instar erat. Inter alia dum Landgravius Hassiæ, è literis, qvæ à Brunsvicensi ad Electorem Mogunt. & Legatum Cæsareum datæ erant, insidias sibi suisqve structas maturè cognovit, tunc temporis eædem irritæ fuerunt, atqve publicæ tranqvillitatis causâ, usqve dum pax perfectè iniri possit, induciæ qvindecimestres factæ sunt. *Sleidan. l. XII.*

Cæterùm multum nocuit Romanensibus Georgii Ducis Saxoniæ repentina mors, qvæ anno 1539. accidit. Qvia enim hic ipse Lutheranorum acerrimus hostis, sine mascula prole, mortuus est, Fridericô filiô paulò antè & præmaturè fatis concessô, HENRICUS frater, jure hæreditariô, regiones Georgii occupavit, qvi Lutheranam Religionem amplexus templa Evangelicis subitò aperuit. Ita factũ est, ut cum Pontificii in Paschatis festo Lipsiæ docuissent plebem, in festo Pentecostes ex iisdẽ suggestibus, verba fecerint Protestantium Theologi. *Sleid. ibid.*

Eodem tempore nova Secta LIBERTINORUM sive ANTINOMORUM inno-

innotuit, autore Johanne Agricolâ Islebio, qvi prius orthodoxam Ecclesiarum Saxonicarum doctrinam approbavit, & aliis qvoq; studiosè inculcavit, comitiis item Augustanis interfuit. Caput erroris erat à Manichæis mutuò sumptum, nempe legem Mosaicam in Vet. Testam. à Deo latam ad nos neqvaqvam pertinere. Unde seqventes doctrinæ Antinomorum flosculi erant: *Lex verbi divini titulum non meretur. Lex ad Curiam, non suggestum pertinet. Ad patibulum cum Moyse. Evangelium in propriissimo suo, maximeq; specifico usu ac officio est concio pœnitentiæ, atqve ideò ad contritionem & agnitionem peccati non opus est lege &c.* Qvia verò B. Lutherus hos errores nervosè confutavit, Islebius tunc temporis palinodiam canere visus est. *De Antinomis videatur B. Luth. T. VII. Jen. Germ. Formul. Christ.* Concord, *art. V. & VII.* Osiander Centu. *XVI. l. 3. c. 62. qvi testatur, se audivisse, Johannem, etiam in provecta admodum ætate, homini epicuræo, qvam pio Theologo fuisse similiorem. B. Hutter. in Form.* Conc. *p. 467. Hornbeck in summa* Controv. *Relig. pag. 688. qvi hanc hæresin adhuc*

adhuc hodie in Belgio multos fautores habere testatur, optans, ut eorum numerus minui possit.

Qvo tempore Ecclesiam turbabant Antinomi & alii Hæretici, Politicum regimen infestabant Anti-Christi asseclæ. Afflictis itaqve Germaniæ rebus, qvò maturè succurreret Cæsar, itinere per Galliam feliciter & magna cum pompa instituto, mulctatis item Gandaviensibus atq; in memoriam rebellionis extructa arce Cæsarea Wormatiæ conventum instituit, Protestantium & Pontificiorum, qvos & conferre secum invicem, atq; colloqvi jussit. Nulla enim medicina gravissimo Germaniæ vulneri videbatur salubrior, qvàm religionis unitas. At cùm metuerent Pontificii, ne natio Germanica, si aliqvid seorsim in fide statueret, à reliqvis schismatis cujusdum argueretur, fine suo caruit colloqvium. *Chytræus ib. XI.*

Exceperunt idem Anno 1541. Comitia Ratisponensia, ante qvorum auspicium colloqvium de religione continuari cœpit, at sine utilitate, cum Pontificii in erroribus

ribus suis constantissimè perseverarent, ad futurum concilium provocantès. In comitiis ipsis Henrici Brunsvvicensis adversus Protestantes consilia detecta sunt, arguentibus illum Saxone & Henrici ipsius fratre germano Wilhelmo, qvem ille per biennium captivum tenuerat. At Turcarum irruptione aliò distracti sunt Procerum animi, & qvò feliciùs adversum communem hostem agi deinceps posset, decretum, de toleranda utraqve Religione stabilitum est R. A.

Mortuo enim Johanne, Ferdinandi Germaniæ, Bohemiæ & Hungariæ Regis acerrimo æmulo, Buda, Regni Metropolis, Barbaro dedita est, cujus auxilium Johannis vidua, unà cum Sobole, adversus Ferdinandum implorabat. Turcarum Imperator, retentâ Budâ, Johannis posteros in Transylvaniam ire jussit. *Teucrius Annaeus, Compend. Rer. Hungar. pag. 29. Resp. Hug.*

Cæsar intereà qvò Barbarorum copias distraheret, ex Hispaniâ in Africam movit ad Algeriam. Sed infeliciter :| exortis

tis

tis enim tempeſtatibus, laceram claſſem exhauſtumqve militem in Hiſpaniam reportare coactus eſt. Putant nonnulli cladem hanc non omninò præter opinionem Cæſaris accidiſſe, rati minore virium & famæ diſpendiô ſe cum ventis & tempeſtatibus conflictaturum, qvam ſi cum Solymanni copioſiſſimô exercitu pugnans, omnium fortunarum aleam unô præliô ſubiiſſet. Omnem tamen calamitatem evitare non potuit, irritâ & infelici expeditione, annò ſeqventi in Pannoniam ſuſceptâ. Strigonium enim & Albam qvò minus expugnarint Turcæ, impedire non potuit.

Cæterum qvo tempore Cæſar bellum adverſus Turcam reſtaurare conabatur, novo bello cum Galliæ Rege implicari cœpit. Franciſcus enim Galliæ Rex, cùm Mediolanenſem Ducatum à Cæſare non reciperet, uti qvidem ipſe expectaverat, Legatos item ad Imperatorem Turcicum à ſe miſſos, Fregoſum & Rinconem, in ditionibus Cæſaris occiſos eſſe, audiret, inducias ſubitò abrupit, atqve Caroli terras qvinqꝫ

ſimul

simul locis adortus est, majori tamen conatu, qvàm rerum suarum incremento. *Chitr. LXII.*

Fuit hoc bellum præ reliqvis Christiano orbi noxium. Nam omnia consilia recuperandi à Barbaro occupata loca, tunc facta sunt irrita. Etsi enim Hungaris suppetias miserint Germani, & divi Mauritii præprimis, Saxoniæ Ducis, Henrici filii, eminuerit virtus, qvi militis cujusdam rarâ fide servatus, vix evasit Turcæ immanitatem, infaustum tamen hunc conatum reddidit Cæsareanorum defectus.

Sed & aliæ nationes bello Gallico-Hispanico implicabantur, ita ut totius Europæ propemodum res videri potuisset. Gallo enim auxilia subministrabat Christianus III. Daniæ, & Gustavus Sveciæ, Reges, Dux item Clivensis Guilielmus, cui Cæsar Geldriā concedere recusabat. Cæsarē verò, præter multos Germaniæ proceres & inter hos laudatum modò Mauritium, juvabat Henricus VIII. Angliæ Rex, post mortem materteræ cum Cæsare reconciliatus. Ad hæc Imperatoris Turcici Præfectus

fectus Barbarossa, à Gallo, uti putant, ad id evocatus, Nicæam Subaudiæ civitatem & portum præstantem expugnavit, qvô factô æqvè irritatus in Gallum fuit Pontifex atqve in Hispanum, qvi cum Rege Angliæ fœdus inierat.

Dum reges potentissimi inter se digladiabantur, Germani in propria viscera sæviebant. Henricus enim Brunsvvicensium Dux, Protestantibus infestus, Goslarienses & Brunsvvicenses oppidanos, fœderis Smalcaldici socios, miserè vexabat; qvare Johannes Fridericus Saxoniæ Dux & Elector, nec non Philippus, cognomento MAGNANIMUS, Landgravius Hassiæ, frustrà priùs tentatis pacificæ transactionis mediis, vi tandem & armis Henricum oppresserunt, ditiones ejus occuparunt, Ducē deniqve terga vertere coëgerunt. Calamitate hâc miser qvidem, non melior tamen Henricus factus est; Protestantes enim apud Cæsarem primò in Italia, post anno 1544. in Spirensibus comitiis (ob Cæsaris, Ferdinandi Regis & omnium Electorum præsentiam, augustissimis) gravi-

graviter accusavit. Qvia verò tunc temporis opem Protestantium implorabat Cæsar, Elector qvoq; Saxoniæ gratiam Ferdinandi demeruerat, qvod eum Romanorum Regem salutasset, irritæ fuerunt Brunsvvicensis technæ & pacem servare utriqve parti mandatum.

Paulo post hæc ipsa comitia, cùm Cæsar, Imperii Germanici succinctus viribus, Galliam miserè vastaret & populabundus non procul à Lutetia regni capite abesset, Anglus qvoq; Bononiam occupasset, pax inter Galliæ Regem & Imperatorē inita est, his conditionibus ferè; ut Sabaudia pristino restitueretur Domino, oppida, qvæ huc usqve à violatarum induciarum tempore capta fuerant, utrinq; redderentur, & adversus Turcicam Tyrannidem, item ad oppugnandos Pontificiæ religionis osores, communibus armis ageretur; Deniq; conventū est, ut Carolo Aurelianensi, Francisci filio intra biennium Cæsar filiam Mariam in matrimonium daret, dotisq: loco Mediolani Imperiū attribueret, sin filiā non posset, Ferdinandi fratris filiā

&

Belgium pro dote traderet. *Sleid. lib. XV. Thuan. l. 1.*

Hoc ipſo tempore variæ pietatis, & ingenuarum artium officinæ exſtructæ & apertæ ſunt. Mauritius enim, ut ut fœderi Smalcaldico renunciaſſet, orthodoxam fidem nihilominus ſedulò propagavit, & Miſniæ, Grimmæ, portæ illuſtres Scholas inſtituit. Academiam item Regiomontanam Albertus Brandenburgicus, Magiſter Ordinis Teutonici, anno 1544. aperuit. *Sleid. loc. cit. Middendorpius Academ. l. V. p. 333.*

Poſt pacificationem Imperatoris cum Rege Galliæ anno 1545. Wormatienſia comitia habita ſunt, reſtaurandi belli Turcici causâ, in iisdem animus Romanenſium adverſus Proteſtantes non parum innotuit, fruſtrà enim hi pacem, non adſtrictam Concilii Papalis arbitrio, petierunt, unde ſuſpiciones de futuro bello haud è vano invaluerunt, qvas vehementer auxit Caroli V. Imperatoris factum, qvi cum Turcâ potius fallaces inducias, qvam cum Proteſtantibus firmam pacem inire voluit. *Sleid. l. XVI.*

Cæterum ne ansa criminandi Protestantes Pontificiis deesset, tandem anno 1545. d. 15. Decem. sub Paulo III. Conciliū, nomine OECUMENICUM, reverà autem PAPALE, an. 1542. indictum Tridenti haberi cœpit, omnia pro lubitu & privatô arbitriô decernentibus *Pontificiis*, neqve in eodem veritatis, Scripturæ dictis stabilitæ, ratio habebatur, sed fastus & autoritatis *Papæ*. Concilium hoc cum interruptum sit sæpius, duravit usq; ad annum 1563. circa cujus finē, finisqvoq; concilio impositus est, cujus acta *Pius* IV. anno seqvente confirmavit.

De Concilio Tridentino *peculiarem librum conscripsit Paulus Servita Venetus, sub nomine Svavis Polani, qvem Scipio Heinricus in Messanensi Academia Doctor Theologus, refutare conatus est. Vide etiam B. Chemnitium, qvi decreta hujus concilii è Scripturâ Sacrâ erronea esse probavit, Sleidanum L. XVII. Osiand. Centur. 16. & alios ejus temporis scriptores.* Modum agendi in concilio à Pontificiis approbatum, gnaviter & in compendio descripsit *Andreas Dudithius Episcopus Qvinqve Ecclesi*-

clesiensis in Epistola ad Maximilianum II. Cæsarem, cujus sequentia verba sunt: Quid profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiæ? Si causâ, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, vicera-mus, quamvis pauci, magnas copias adversariorum: sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longè inferiores futuri fuissemus; in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrûm centenos de suis Papa potuit opponere: ac, si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaq; videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex majori parte barbatulos adolescentes, luxuq; perditos, Tridentum volare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentiâ & audaciâ utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserant, tum verò victrix exultabat iniquitas, neque decerni jam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam, luxumque de- [illegible] *sen-*

fendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliqvis vir gravis & eruditus, qvi tantam indignitatem ferre non poterat, hic, ut non bonus Catholicus, terrore, minis ac insectatione à Concilio ad probandum quæ nollet, traducebatur. In summa, in eum statum res est adducta, istorum, qvi illuc facti instituti q; venerant, improbitate, non ut jam Episcoporum, sed larvarum, non hominum, sed simulachrorum, qvæ nervis moventur alienis, ut Dædali statuæ fuisse perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Episcopi illi conductitii pleriqve, ut utres, rusticorum musicum instrumentum, qvos, ut vocem mittant, inflare necesse est. Nihil habuit cum illo conventu Spiritus S. commercii, omnia erant humana consilia, qvæ in immodicâ, & sanè quam pudendâ Pontificum tuendâ dominatione consumebantur. Illinc responsa tanqvam Delphis aut Dodona expectabantur, illinc nimirum Spiritus ille S. qvem suis Conciliis præesse jactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur: qvi qvod admodum ridiculum est, cum aliqvando, ut fit, aqvæ pluviis excrescebant, non ante advolare poterat, quam inundationes desedissent.

sent. Ita fiebat, ut Spiritus non super aquas, ut est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosam & singularem dementiam! Ratum nihil esse poterat, quod Episcopi, tanquam plebs, sciscerent, nisi Papa autor fieret &c.

Belli Smalcaldici, post auspicium Tridentinæ Synodi adversus Lutheranos instituti, prodromus fuit Waldensium clades, quæ unô annô ferè priùs accidit. Waldenses vocati sunt, qvi Petri Waldi Mercatoris Lugdunensis, (unde Pauperum de Lugduno nomen) annô 1160. *Ecclesiæ* Pontificiæ heterodoxiam & abusus taxantis, doctrinam propugnarunt, atqꝫ iidem in Pedemontio, Bohemia, Hungaria & alibi consederunt, & qvamvis Pontificii eosdem perseqverentur atrociter, adusqve tamen hæc tempora in magna copia Pedemontium & finitimas regiones incolebant. Hos itaqve Rex Franciscus, Trivultii, Pontificis Legati & Aqvensis judicis Minerii permisit tyrannidi, à qvibus nihil omninò intermissum est eorum, qvæ vel ab ipso Diabolo, DEO permittente, peragi potuissent.

Fi-

Fidei Waldensium summa capita à Paulo Perrino, Ænea Sylvio, Chronici Waldensium autore, Sleidano l. XVI. Johanne Henrico Hottingero Histor. Ecclesiast. part. 3. recensentur hæc: (1.) *Solis literis sacris esse credendum in iis, quæ ad salutem pertinent, & nulli præterea homini, aut scripto, firmiter sentiunt. 2. Sacras literas integrè continere omnia ea, quæ ad salutem sunt necessaria: eoq; nihil penitus recipiendum in religione esse, nisi id solum, quod nobis DEUS in sacris literis præcepit, indubitanter credunt. 3. Unum tantum esse mediatorem, nec esse invocandos sanctos ullâ ratione, statuunt. 4 Purgatorium nullum esse, sed omnes homines vel per Christum justificatos in vitam æternam, vel non credentes in æternum exitium abire: tertium aut quartum locum superesse nullum, ajunt. 5. Tantùm duo Sacramenta, Baptismum ac Communionem, recipiunt ac probant. 6. Omnes missas & præcipuè eas, quæ pro mortuis canuntur, impias, adeoque abolendas penitus esse affirmant. 7. Omnes traditiones humanas rejiciendas, vel certè pro necessariis non habendas esse:*

eaq; tollendum esse cantum ac recitationem officii, jejunia ad certos dies alligata, superflua festa, discrimen ciborum, tam varios gradus ac ordines Sacerdotum, Monachorum, ac Monacharum, varias benedictiones seu consecrationes creaturarum, vota, peregrinationes, & aliam omnem turbam rituum ac Ceremoniarum, ab hominibus inventarum seu excogitatarum, antiqvandam esse. 8. Primatum Papæ super omnes Ecclesias, inprimis potestatem ejus supra omnes Politias, seu utrumqve ejus gladium penitus pernegant: nec censent alios gradus sacerdotales in Ecclesia retinendos esse præter Sacerdotum, Diaconorum & Episcoporum. 9. Communionem sub utraq; specie & piam esse & necessariã, utpote à Christo ordinatam & præceptam, asserunt. 10. Romanam Ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi, Papam esse omnium Errorum fontem, & verum Antichristum, contendunt. 11. Indulgentias quoq; rejiciunt. 12. Conjugium Sacerdotum pium ac necessarium in Ecclesia esse, docent. 13. Verbum Dei audientes & rectè sentientes, Ecclesiam ejus esse, eiqve Ecclesiæ claves à Christo datas, eoqve eam posse ac e-

tiam

tiam debere lupos fugare, & veros bonosque Christi pastores vocare, & eorum vocem audire, ac ab illis Sacramenta percipere &c.

Circa hæc tempora Henricus Brunsvicensis denuò classicum adversus Protestantes cecinit. Sed infeliciter: dum enim ditiones suas, hactenus à fœderatis retentas, (astu Gallum deludens, cujus pecuniâ in conscribendo milite utebatur) recuperare voluit, libertatem etiam amisit, & captus à Landgravio Hassiæ, cohortium fœderatarum duce, est. Et qvamvis Henricus mandata Cæsaris violasset, Protestantibus tamen dira qvævis minabantur Pontificii, ob retentum in captivitate Ducem. Ipsemet Cæsar publicæ pacis violatæ pœnam Henrico & sociis irrogare recusabat, & Landgravium potius, ut dimitteret copias, hortabatur severè. Qvare fœderati, cum animadverterent Romanensium conatus, Francofurti convenerunt, deliberaturi de securitate publica, & unanimi consensu decreverunt, à Pontificiis illatas sibi injurias vindicandi, & adversus injustam vim, arma capiendi.

In tam periculoso statu cum essent Germanorum res, B. Lutherus ad supera & cœlestia evocatus est, eô ipsô tempore, qvô Islebiæ, à comitibus Mansfeldensibus evocatus, & arbiter delectus, ut dissidium, de finibus & hæreditate inter consangvineos obortum, componeret, degebat. Finem vitæ non inopinatum, uti Pontificii criminantur, sed provisum nactus est; cum enim extrema jam imminere sibi intelligeret, conversis in cœlum oculis, verbis seqventibus est usus: *Mi cœlestis pater, misericors Deus, gratias tibi ago, quod manifestasti mihi filium tuũ Jesum Christum, quem confessus sum hactenus, quem amavi & colui, quem item Papa Romanus cum asseclis suis persequitur, & ignominiâ afficit. Orote, JESU CHRISTE, suscipe animam meam. Certò confido, me post excessum è corpore, tecum in æternum victurum esse. Itaq; in tuas manus me commendo &c.* Hæc ferè verba precatus Vir Dei obiit & sui desiderium piis omnibus post se reliqvit annô 1546 die 18. Februar. ætatis 63. *Vide Mathesii vitam Lutheri. Sleidan. L. XVI.*

Ut

Ut redeamus ad belli Smalcaldici semina, Protestantes eqvidē insidias sibi à Romanensibus strui ę locis qvamplurimis certiores fiebant, Cæsaris tamen cum Landgravio colloqvium annô 1546. Spiræ habitum, belli metum aliqvantulum minuebat, qvippe cum Cæsar animum ad pacem pronum profiteretur. *Sleid.l.15.*

At paulò pòst planissimè detecta est Pontificiorum fraus, qvando ad comitia Ratisponensia perventum est. In iisdem enim Moguntinus & Trevirensis cum Coloniensi Hermanno, Romæ proscripto, & Palatini, Saxonis, ac Brandenburgici, Septem-virorum Legatis, minimè consilia, uti fieri assveverat, cōmunicarunt, sed Cæsaris voluntati, qvi, sub pietatis schemate, Pontifici obsecundabat, morem gerentes, continuò concilium Tridentinum approbarunt, & Cæsarem, ut illud tueri vellet, hortati sunt. Postularunt item, ut Protestantes Tridentum venirent, atq; Synodi decretis cæcâ qvadam obedientiâ subscriberent. *Sleid. lib. XVI. Th. l. 2.*

Præterea Cæsar, Rex Ferdinandus & Papa Romanus militem conscripserunt velociter, dissimili tamen usi schemate ac titulô. Pontifex enim Religionis causam palam prætendebat, atq; in literis ad Helvetios eandem apertè indicabat. Supplicationes item publico diplomate indicebat, pro felici successu ejus belli, qvod contra pravæ doctrinæ in Germania sectatores, à se & Cæsare, communibus copiis ac sumptibus, suscipere decreverit. Cæsar verò & confœderati ejusdem protestabantur, se neqvaqvam ob solam Religionis causam, publicam tranqvillitatem turbare velle; Tantum inobedientiam qvorundam, qvi neglectâ autoritate Cæsaris, Principum qvorundam ditiones occuparint, coërcendam esse. Bellum igitur se suscepisse ajebat Cæsar, juris & æqvi conservandi, Imperatoriæ dignitatis & Germanicæ libertatis recuperandæ causâ, per seditiosos homines oppressæ. Atqve hac ratione factum est, qvod multi, qvi orthodoxam doctrinam amplectebantur aliàs, castra tamen Cæsaris secuti sint. Inter qvos erant Mauritius, & Augustus Saxoniæ Duces,

Jo-

Johannes item Brandenburgensis, qvi amicitiam soceri Henrici, in Hassia captivi, fœderi Smalcaldico anteponebat.

Johannes Fridericus Elector Saxoniæ & *Philippus* Hassiæ Landgravius, qvod certi essent omnem bellicum apparatum contra se fieri, delectus & ipsi habuerunt, atqve tunc percommodè accidit, qvod Gallus cum Anglo pacem iniisset, Germanorum enim plurimi hinc inde dimissi, Protestantium signa secuti sunt.

Tandem annô 1546. die 20. Julii emisso diplomate, Elector Saxoniæ & Hassiæ Landgravius à Cæsare proscripti sunt. Ipsi vicissim bellum Cæsari denunciarunt & crimina, qvorum accusabantur, diluerunt graviter.

Sed cùm scriptis hinc inde apologiis nil perficeretur, unicum in armis erat præsidium. Annotarunt eorundem temporum Historici, Protestantium parti nil nocuisse magis, qvàm Ducum, æqvali potestate gaudentium, æmulationes & dissidia; unde lentè admodùm in eorum

caſtris omnia gerebantur. Nam plurium æqvato imperio, univerſi ſegnes erant, & qvid agendum eſſet, ferè incerti. Qvod oportunum maximè Cæſari accidit, qvi dum copiæ ex Hiſpania, Italia, Belgio & aliis regionibus convenirent, hoc unum ſatagebat, ut tempus duceret, & ſuſpenſos hoſtium animos, ne qvid interea molirentur, teneret.

Per multùm qvoq; nocebat Proteſtantium rebus potentiſſimorũ Regum, Franciſci Galliæ, & Henrici VIII. Angliæ obitus, qvi unô eodemq; tempore ferè mortui ſunt. Uterq; n. cavere erat ſolitus, ne Cæſaris potentia nimium excreſceret.

At omnium vehementiſſimè Proteſtantium fortuna per ſimultates, inter Principe Evangelicos obortas, deſtruebatur. Mauritius enim Dux Saxoniæ, qvod putaret, Cæſarem de Religione ſibi ſatis caviſſe, metueret item partis adverſæ potentiam, & ditionis ſuæ, Electorali hinc inde immixtæ, ruinam, unà cum Ferdinando Bohemiæ Rege, anno 1546. Electoris Saxoniæ terras invaſit atq; oppida omnia ferè, exceptâ Wittebergâ, & aliis qvibusdam munitiori-

nitioribus, factâ deditione, occupavit. Qvare intestinis bellis vexatâ Saxoniâ Protestantiũ res inclinere cœperunt, cùm Johannes Fridericus Elector Saxoniæ in suas ditiones redire cogeretur, & Hassiæ Landgravius Philippus, adversus generum suum Ducem Mauritium copias ducere recusaret.

Paulo post discessum fœderatorum principum è superiori Germania, sine difficultate eam Cæsar recuperavit, Duci Würtenbergico in genua coram se prostrato veniam indulsit, propositis durissimis pacis conditionibus, qvibus etiam plerasqve civitates recepit Imperiales.

Elector Saxoniæ ad suos reversus, non tantùm qvæ Mauritius occupaverat oppida, facilè obtinuit, sed hostis etiam sui regionem vastavit, Albertum Marchionem Brandenburgensem cepit & præter Lipsiam, frustrà obsessam, & Dresdam, omnes ferè Mauritii civitates ad obseqvendum sibi adegit. At paulò pòst inopinata accidit catastrophe; Cæsar enim postqvam suas copias cum Ferdinando &

Mauritio conjunxerat, Electorem, Wittebergam properantem, insecutus & inventô vadô in Albis flumine assecutus qvoq; est, non procul à Mulbergo oppido, & cum viribus prævaleret, fortissimè pugnantem, atq; in sinistra maxilla vulneratum cepit.

Accidit hæc clades die 24. April. annô 1547. cum Sol per integrum qvatriduum in Germania, Gallia & Britannia tristia minatus esset. Misenæ item cum Canonici horâ septimâ matutina cantû Augustini; Te Deum Laudamus, ob captum Electorem, cecinissent, fulmen horâ qvintâ pomeridianâ ædem illam incendit, tres turres dejecit, tectum, organum, & campanas ignis absumsit. Qvam vehementem tempestatem miraculosam fuisse, inde colligitur qvod nullum aliud tonitru vel præcessisset, vel secutum esset, *Fabric. Sax. lib. 2. pag. 325. Chytr. Dresserus mill. 2.*

Captô Electore, sine difficultate Witteberga occupata est, ipsô Electore milites ad id dorante; Captivo etiam Electoralis dignitas adempta, & cum plerisqve

qve oppidis Mauritio concessa est, qvi Comitiis Augustanis paulò pòst habit inspectante Johanne Friderico, solenni tu, in collegium Electorale introducti Archimarschalli insignia obtinuit.

Ut ut autem mortem ipsam captivo i terminaretur Cæsar, qvem regionibus si privaverat, eundem tamen ad id adduc re non potuit, ut vel signum unicum imp tientiæ ediderit, subinde potius hæc rep tens : *Qvid ob illa angerer, qvæ qvando potestate nostra sua non sunt, ad nos minin pertinere existimare debemus?* Multò min ad id se adigi est passus, ut fidem abneg rit, & in concilii Tridentini decretis se a qviescere velle promiserit.

Paulò pòst cū animos demisissent fœd ris Smalcaldici socii, Hassiæ Landgraviu qvi ferè solus restabat, propositis durissi mis pacis conditionibus, à Mauritio gen ro, & Johanne Brandenburgico persvas est, ut ad Cæsarem supplex venerit. . longè aliter, qvàm Landgravius opinat erat, evenit. Cui enim libertatem spopo derant Mauritius & Johannes, idqve

Cæs

Cæsaris promissum, is nihilominus captivus est detentus, repertô vocabulô, qvod pró NULLA captivitate, NON PERPETUAM sonaret. Hoc ipso facto, non parum offensi sunt Mauritius pariter atqve alii, qvi in castris Cæsaris militaverant. Invidiam augebat, qvod sub Hispanorum custodia Duces captivi, qvasi in Germaniæ opprobrium ducerentur, unde non triumphum ex victoria, sed truculentissimum odium ex triumpho reportavit Cæsar. *Sleidan. lib. XIX.* T*huanus l.4.*

Post hæc Ferdinandus Rex Bohemus suos bellô petiit, qvod Electoris partes, ob fœdus mutuum, seqvi maluissent, qvam fidem exuere. In durissimam igitur servitutem tunc redacta est gens olim libera. qvæ enim Regis arbitrio se permiserat, privilegiorum & immunitatum exempla & documenta omnia exhibere coacta est, è qvibus, qvæ voluit, Ferdinandus abrogavit.

Dum hæc agebantur in Germania, Evangelii doctrina vires in Anglia accipiebat. Extincto enim Henrico Rege, qv

huc i

hucusq; mores, non doctrinam Romanensium impugnaverat; EDUARDUS novem annos natus, successit, qvi Annô 1548. Pontificios Doctores regnô ejecit, Evangelicos verò recepit ac defendit. Gaudium qvoq; Pontificiorum, de subactis Protestantibus, in magnam tristitiam, per ea, qvæ in Comitiis Augustanis annô eodem 1548. agebantur, conversum est. Cæsar enim vehementer offensus, qvod Pontifex concilium Tridenti habendum, Bononiã transtulisset, instigatus item à Germanis, in Comitiis comparentibus, Pontificem per Legatos suos graviter increpuit, neqve concilii; sed conventûs titulum Bononiensibus tribuit. qvorum decretis obligandi vim omnem denegavit.

Pontifex verò Paulus III. cùm in sententia permaneret & conciliorum curam ad Cæsarem non pertinere, insolentius responderet, aliam conciliationis viam Cæsari inire placuit. Delegit nempe Julium Pflugium Naumburgensem Episcopum, in locum Ambsdorfii nuper restitutum, Michaelem Sidonium, & Joannem Agricolam Islebium, qvi Antinomorum

rum sententiam olim defendere cœperat, omnesq; adeò Schismaticos, & qvi religionem venalem esse putabant. Hi triumviri formam Interreligionis conscripserunt, qvæ vulgò INTERIM dicitur ideò, qvod comprehenderit doctrinam, qvæ INTERIM, dum concilium legitimum instituatur in Germania, doceri debuerit è Mandato Cæsaris, qvi die XV. Maji anno 1548. fœtum hunc qvodlibeticæ Religionis publicè produxit & omnes fovere eum jussit. Autores item ejusdem magnis præmiis remuneravit, Michaelem Sidonium Mersburgensi Episcopatu, reliqvos aliis reditibus. Unde Protestantium dicterium: *Ob id illos chrismatis & sacri olei usum tueri, qvod inde caput unctius referrent.*

Extat liber pestilentissimus in Recessibus imperii sub titulo, Declaration der Religion/ & complectitur ea, qvæ maximam partem Pontificiorum propria dogmata sunt, nisi qvod Sacerdotum conjugium non penitus in eodem damnetur, nec carnis & sangvinis CHRISTI sub utraqve specie communio omninò rejiciatur.

Utrum-

Utrumq; enim tolerandum esse dicitur, donec de tota re è concilii sententia decernatur.

Evulgatô librô Interim varia Judicia de eodem observasses. Ex una parte Cæsar canonizabat librum, Moguntinus, non exqvisitis ordinum sententiis, publicô, nomine, pro eodem gratias egit Joachimus Septemvir & Palatinus, itemqve alii, metu inducti, subscripserunt. Ex altera parte Pontifex Romanus liberalitatem Cæsaris damnabat prorsus, asserens, Matrimonium sacerdotum & communionem sub utraq; specie indulgendi potestatem, nulli competere, præterqvam Romano Pontifici. Imò verebantur Pontificii, ne Cæsaris hoc factum esset procemium tragœdiæ, qvalem nuper in Anglia excitarat Henricus. Protestantes verò, exceptis paucis in neutralitate hac minimè acqvieverunt, unde Theologi solum vertere coacti sunt, *Principe* verò gravissimam Cæsaris iram in se concitarunt, Dei honorem anteponentes propriæ utilitati. Etsi enim Johannes Fridericus à Cæsare, per Granvellanum, solicita-

licitatus fuerit, ut subscriberet huic formulæ, factâ etiam libertatis spe, à sententia tamen dimoveri non potuit. Qvamobrem cum neutri parti sufficeret hæc formula, brevi tempore admissa est, non sine omine INTERIM vocata, qvæ indefiniti qvidem, ut plurimum tamen brevissimi temporis, nota est. *V. Svavis Concil.* Trid. *Hist. l. III. p. 329.* Thuanus *l. V.*

Neq; felicior fuit Cæsar in morum Ecclesiæ emendatione, cujus formulam à præsulibus, aliisq; collectam, publicè proposuerat; qvod enim emendatio hæc autoritate Cæsaris fierit, Pontificiis exosa erat, juxta pronunciatum illud, loco principii à Romanensibus habitum; *à Secularibus, cujuscunq; sint dignitatis, aut sanctimoniæ, fas non est, Clero leges præscribere, in qvemcunqve, etiam optimum finem.*

Dissoluta tandem comitia sunt, promissione de concilio Tridentino redintegrando prius factâ & tentatis frustrà Electorum animis, annon loco Ferdinandi fratris, filium Cæsaris, Philippum, ut Regem

gem Romanorum agnoſcere mallent. De qvo negotio in Comitiis proximis, itidem Auguſtæ celebratis, pluribus diſputatum eſt.

Finitis comitiis, bellum Saxonicum citiùs, qvàm concilium, redintegratum eſt. Civitates enim Saxoniæ penè multæ, decretum Religionis, nuper evulgatum, repudiarunt, & inter has Magdeburgenſes præprimis, qvi qvòd Cæſaris indignationem priſtinam nondum eluiſſent, à Cæſare proſcripti ſunt, & cura oppugnandi eos, novo Electori Mauritio demandata eſt, qvi poſt obſeſſionem qvindecimeſtrem ferè, urbem, factâ deditione, occupavit, poſtqvam promiſerant victi, mulctam Cæſari ſolvendam; Victor ex adverſo, Religionis & libertatis jura ſalva fore pollicitus erat.

Cæterùm qvod bellum Magdeburgenſe lentum fuerit, anſa Proteſtantibus data eſt, Cæſaris trophæa amovendi. Mauritius enim jam dudum ægrè ferebat, fidem Socero ſuo, Haſſiæ Landgravio, datam, ſe, ob diſſenſum Cæſaris, ſolvere non poſſe; Acceptâ hinc occa-

ſione

ſione retinendi conſcriptum militem, ſine Indignatione Cæſaris, cum Henrico ſecundo poſt exceſſum Franciſci, Galliæ Rege, clanculum fœdus iniit, pro LIBERTATE GERMANICA; uti habebat titulus, ut Socerum, & alios captivos *P*rincipes reſtitueret, & vim religioni illatam amoveret.

Cæſar intereà viciſsitudinum humanarum parum memor, nihil omninò metuebat; & de *P*hilippo filio ſolicitus, relictâ Germaniâ, in Belgium contendit, operam daturus, ut Belgæ *P*hilippo filio fidem & obſeqvium jurejurando profiterentur.

Dum in Belgio commorabatur Cæſar, & Belgicæ *P*rovinciæ *P*hilippo fidem præſtabant, de inqviſitione Hiſpanicâ adverſus infideles olim inſtitui ſolitâ, jam contra Lutheranos qvoqve, & qvoſvis ab Eccleſia Romana diſſentientes, in provinciis hiſce adhibendâ, conſilium iniit. Qvi violentus conſcientiis imperandi conatus, poſteà omnium turbarum in Belgio cauſa fuit.

Qvia verò Cæſar, ad componendas in

Germa-

Germania, de Religione, lites, concilium indesinenter à Curia Romana postulabat, Julius III. qvi annô 1550. Paulo III. successerat, tandem Tridenti illud restituit, emissâ indictionis bullâ; perqvàm asperis verbis constante, & tàm Romanenses, qvâ Catholicos offendente. *Svavis Hist. Concil. Trid. L. III. Onuphrius in Julio III.*

Mauritius verò Saxoniæ Dux, toties à Cæsare, ob Soceri sui liberationem, elusus, ne conatus, libertatem Germanicam vi & armis aliqvando asserendi iterum, immaturè Cæsar animadverteret, denuò humiliter pro captivo intercessit, & ut Cæsaris voluntatem per omnia seqvi videretur, simulavit, ac si Theolog[illegible]s suos Tridentum mittere, in animo haberet; Cujus rei gratiâ Philippum, aliosqve è suis, jusfit, ut doctrinæ capita, in concilio posteà exhibenda, conscriberent. Petit deinde à toto concilio salvi conductûs instrumentũ, qvale à Concilio Basileensi Bohemis fuerat concessum; Qvod postulatum urserunt etiam Wirtenbergenses Oratores, & Argentinenses Legati, Sed frustrà; Cùm Pontificii, non obstan- [illegible]

te

te Cæsaris indignatione, hæc omnia Protestantibus denegarent. Intereà Mauritius Elector, Albertus Brandenburgicus, & Duces Megapolitani, duræ servitutis pertæsi, Annô 1552. contra Cæsarem movent, cujus regiones jam dum vastabat Gallus. Dux ipse Mauritius per fecialeá Cæsari bellum denunciat, & simul infert. Augustam civitatē post qvatriduanam obsessionem occupat. Post hæc superata parte Alpiū Rhæticarū, captâq; Ehrenbergâ arce, tantum Imperatori metum incutit, ut noctu, accensis funalibus, *unà* cum fratre Ferdinando, Oenipontem, ubi belli Parmensis & concilii causâ tunc agebat, relinqveret, & se Villacum versus in Carniolam reciperet. Sed nec Tridentini Patres tunc in tuto esse videbantur, qvare in fugam versi, Concilium, Decretô suspensionis recitatô, tunc iterum *solutum* est.

In Diplomate, seu manifestatione caussarum belli, annô 1552. ab Electore Mauritio emisso, allegabantur seqventia: (1) Religionem, adversariorum artibus, & contra fidem datam, in Germania convel-

velli & labefactari, ex occasione dissidii religionis, stratâ ad insolentem dominatum viâ. Jam exactos liberis civitatibus concionatores, non legitimi concilii expectatô exitu. Augustæ propositam confessionem passim aboleri, & rebellionis obtentô crimine, vim mentibus & conscientiis inferri. (2) Hassiæ Landgravium Socerum suum, cavillatoriâ arte, carceri, jam totos qvinqꝫ annos, mancipatum, à Mauritio, Palatino & Brandenburgico, filios captivi jure reposcere. (3.) Communem libertatem indies opprimi, externô milite, contra Imperii leges, in Germaniam inductô, & novis subinde emulgendæ pecuniæ commentis propositis, nullius ordinis aut principis, ac ne ipsorum qvidem Septemvirorum rationem haberi. Tandem Europæ totius Monarchiam, Carolum meditari &c. Eadem ferè objiciebantur Cæsari ab Alberto Marchione Brandenburgico, & Henrico II. Galliæ Rege.

Cæsar de fuga sollicitus, anteqvàm Oeniponte discederet, Johannem Fridericum Saxonem è custodia qvinqvenna-

 li di-

li dimittere qvidem voluit, præreptâ hac hosti gloriâ, qvod existimationis suæ interesse arbitraretur; ne coactus potiùs, qvàm sponte captivum dimisisse videretur. E contrario Elector captivus, Germaniæ principibus potiùs, qvàm Cæsari, libertatem suam acceptam ferre voluit, qvamobrem dimissus è captivitate, Imperatorem nihilominus secutus est. *Sleidan. Thuan. L. X.*

Dum verò hæc in finibus Alpium, à fœderatis agebantur, diversâ parte Galliæ Rex, uti convenerat, bellum adversus Cæsarem movit, & Tullū, Metimqve nec non alia oppida subitò occupavit.

Eodem igitur ann. 1552. die 20. Julii, Passavii, Ferdinandi Regis interventu, Pax toti Christianismo saluberrima, inita est, dimissô & libertati pristinæ restitutô Hassiæ Landgraviô, proscriptis in gratiam receptis, & stipulatione mutuò factâ, ne religionis causâ, cuiqvam periculum creetur. Eandem verò pacem Galliæ Rex & Albertus Brandenburgicus, qvamvis certis conditionibus comprehensi in eâdē fuerint, à Mauritio initam esse, ægerrimè tulerunt.

Mau-

Mauritius, pace initâ, cum exercitu in Hungariam descendit, ut Ferdinando adversus Turcam opem ferret, qvi ob expugnatam à Cæsarianis Leptim urbem, violatis induciis, Pannoniam invaserat. Sed fessus cladibus Ferdinandus, pacem à Solimanno emercatus est. *Thuanus l. XI. Levenclav. Chytr. l. 17.*

Mauritius itaqve è Bello Hungarico redux, adversus Albertum Brandenburgensem, qvi Tyrannidem exercebat, pace Passaviensi non contentus, copias suas educit, easdemq; cum Henrico Brunsuicensi conjungit. Committitur tandem annô 1553. d. 9. Julii, juxta Peinam, in agro Luneburgensi, atrocissimum prælium, cùm tanta animorum utrinqve concitatio fuerit, ut vix dum instructis ordinibus, confusi, tanqvam ad mutuam lanienam, hostes concurrerent. Dux ipse Mauritius, singulos appellando, hinc inde discurrens, globuli ictu in latere dextro, ad ilia, lethaliter vulneratus est. Occisi qvoqve sunt Carolus Victor & Philippus Henrici Brunsuicensis filii, Fridericus Luneburgicus & XIV. Comites

Victoria nihilominus à parte Mauritii stetit. Ipse verò Gloriosissimus victor tertiò die post commissum prælium obiit, annô ætatis XXXII. longævâ vitâ dignissimus Elector, nisi Deo aliter placuisset. Libertatem enim Germaniæ restituit, pacem Religionis confecit, contra Turcas fortiter pugnavit & in ditionibus suis sincerum DEI cultum, cum variis artium & pietatis officinis, instituit. Fratri mortuo successit Augustus. Albertus verò, restauratô bellô, ab Henrico Brunsvicensi & Ferdinando Rege, post multiplices *casus, luens* tyrannidis pœnas, tandem omni ditione privatus est exulatumq́ abiit ad Regem Galliæ.

Eô tempore, qvô de ditionibus suis diversis bellis implicabantur Reges & Principes, in Ecclesia qvoq́ variæ mutationes evenerunt, qvorum aliqvot hic nominandæ magis, qvàm recensendæ prolixiùs sunt. *Franciscus Spiera*, Causidicus qvondam in ditione Venetorum è Pontificio Lutheranus, atq́ ex hoc, legati Pontificii minis territus, Apostata factus, ob imensos conscientiæ suæ cruciatus, horrendas despe-

desperationis voces emisit, cibos respuit, ut inediâ sese conficeret,& tandem inter acerrimos corporis atq; animæ dolores, annô 1548. infelicem animam emisit, suô exemplô edocens posteros, qvanta calamitas seqvatur, mittit, eũ, qvi Deo nuntiũ & Apostasiæ committit crimen. *V. Historia Franc. Spiera Latinè & Germanicè edita.*

Cæterùm, qvod *Petrus Paulus Vergerius*, *Episcopus Justinopolitanus*, cujus sedulâ operâ Clemens VII. & Paulus III. per Germaniam usi fuerant, freqventer Spieram adierit, consolari eundẽ studens, propensum in orthodoxiam animum celare amplius non potuit, qvare cum Fratre suo Johanne Baptista Vergerio civitatis Polæ Episcopo, Ecclesiam secus, atq; Romanenses hactenus fecerant, informavit. Sed cùm hac ratione varii in Italia tumultus excitarentur, tandẽ Italiã omnẽ reliqvit, & ad vicinos Rhætos pervenit, apud qvos in Telina valle aliqvandiu Lutheri doctrinam professus, postremò à Christophoro Wurtenbergico Tubingam evocatus, atqve ibi-

ibidem liberaliter sustentatus est, *Thuanus l. V.*

Ex adversô *Phil. Melanchthon, Georgius Major*, & alii qvidam Theologi Cæsaris potentiâ perterriti, adiaphoristicum bellum, uti vocant, inceperunt, vanissimâ spe inducti, fore, tu Cæsar cũ reliqvis Pontificiis hâc ratione acqviesceret. Hinc illi flosculi: HOMO PRÆCIPUE JUSTUS ET ACCEPTUS EST CORAM DEO, FIDE PROPTER MEDIATOREM. BONA OPERA SUNT NECESSARIA AD SALUTEM &c. *Vide acta Synodalia de hac re edita, Osiand. Cent. XVI. l. 2. c 72.*

Cœpit eodem tempore ferè Osiandrica controversia. Nam *Andreas Osiander* in Academia Regiomontana erroneas qvasdam, de arduis fidei articulis, opiniones proponebat, præprimis asserens, hominem justificari essentiali Dei justitiâ, Christum secundum divinam naturam tantùm esse nostram justitiam, justitiam esse id, qvod nos impellat ad justè agendũ &c. *Videatur Wigandi Osiandrismus, & Andreæ filius, Lucas Osiander, Centur. XVI. l. 3. c. 1.*

In

In alio errore, qvoad fundamentum suum, Osiandrico adversô, fuit *Franciscus Stancarus Italus, à Mantua oriundus*, hic desertô Romanensium coetu, in Germaniam, cum uxore & liberis, migravit, & cum in Prussia offenderet Osiandrum, justificationem ad solam divinam Christi naturam pertinere contendentem, in aliam erroneam æqvè opinionem prolapsus est, cum Sententiarum Magistro, vulgò sic dicto, Petro Lombardo nempe, asserens; Christum esse mediatorem tantùm secundum humanam naturam. Et cum moneretur à secus sentientibus de errore, omnes Antagonistas suos contumeliosè contemsit, usus inter alia his verbis: *Plus valet unus Petrus Lombardus, qvàm centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bulingeri, qvadringenti Petri Martyres & qvingenti Calvini, qvi omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ* Theologiæ. Tandem è Prussia pulsus, in Poloniam venit. *Videatur Stancari Scriptum contra Tubingenses, & ex adversariis ejusdem Bellarminus, qvi l.V. de Christ. c. 2. con-*

tra Stancarum disputat, qvasi verò Scholastici Doctores aliter sentirent.

At præ omnibus reliqvis hæreticis, eo tempore ortis, Christianismo nocuit *Michael Servetus Hispanus*, qvi ab anno 1531. usqve ad annum 1553. Arii blasphema & olim damnata dogmata interpolavit, Saracenicæ lingvæ ob id studiosus, qvò Alcoranum, lingvâ istâ conscriptum, legere & intelligere posset. Fecit Antitrinitarius hic discipulos multos, *Valentinum Gentilem*, *Johanem Alciatum*, *Georgium Blandratam*, *Bernhardinum Ochinum &c.* Tandem Genevæ, accusatus à Calvino, cum resipiscere nollet, sed nec in carcere à tetris in Deum blasphemiis & horrendis convitiis in ministros Ecclesiæ, abstineret, annô 1553. d. 27. Octobr. combustus est. *Calvinum in eo, qvod accusarit Servetum & suppliciô affici curavit, rectè fecisse, præ aliis Beza probare conatus est.*

Inter ipsos Serveti discipulos eminuit *Lælius Socinus Senensis*, qvi pestilentissimas hæretici istius opiniones, suas per omnia fecit, & Calvinum, ob accusatum

Ser-

Servetum, crudelitatis & impietatis accusavit. A qvo hæreditariò jure qvasi, unà cum libris & supellectile, contagiosum morbum accepit *Faustus Socinus*, *Alexandri, fratris Lælii, filius.* Ab his deinceps hæretici hi *Sociniani* vocati sunt. *Videatur Johannis Cloppenburgii Socinianismus.*

Uti verò per alias hæreses fides orthodoxa oppugnata, ita in Anglia per Pontificios ferè expugnata est. Eduardus enim ejus nominis VI. Angliæ Rex, Pontificiæ religionis hostis acerrimus, diu regno non præfuit, sublatus astu (uti nonnulli putant) Johannis Dudlæji, Ducis Nortumbriæ. Hic qvia certus erat, Regem paulò pòst moriturum esse, de excludendis à regia successione Edvardi sororibus, cogitavit, eò, qvod ambæ, *Maria* & *Elisabetha* ob nataliũm vitia (altera enim ex illegitimo matrimonio, altera è matre impudica, nata dicebatur) succedere vix possent, & ab utraq; metuendũ esset, ne religionem orthodoxam impugnarent. Permovit itaqve Regis animum Dudlejus, ut testamentum

 fece-

fecerit, qvô ab hæreditate exclusis duabus sororibus suis, Johannem Suffolciam, natam è regio Stemmate, & uxorem Filii Dudleji hæredem instituit. Enimverò Johanna in ea dignitate diu non permansit, Mariâ Catharinæ filiâ, ad regium solium evectâ. Atq; eadem Johannam Suffolciam, Dudlejum & multos alios, qvi divortium Patris approbaverant, interfici jussit. Episcopi verò & Doctores Pontificii, expulsis secus sentientibus, restituti sunt. Accidit Anglicana hæc catastrophe annô Christi 1553. Gravissima tunc in Anglia persecutio orta est, præprimis obid, qvod Romanensium partes, nuptiis Philippi, Hispaniarum Regis hæreditarii, & Mariæ hujus ingens augmentum sumerent. Ita accidit, ut modicô temporis spaciô, multa hominum millia perierint. Frustrà enim Pontificii hanc felicitatem perpetuam fore confiderant, qvod conjugium Philippi & Mariæ sterile fuerit, & Elisabetha, Ann. 1558. Sorori succedens, Religionem Pontificiam per integrum regnum iterum abrogarit. *V. Thuanus l. XII. qvi etiam allegat historiam*

de

de Henrico Gatto, proxima, qvam ad mortem à Regina damnatus est, nocte, repentè incanescente.

Cæsar intereà, utut bellum adversus Gallum magnô conatu restaurarit, ab eo tamen tempore, qvô Protestantium Duces, Religionis Defensores, in dura captivitate detinuit, & conscientiis inferre vim voluit, vix prosperè qvicqvam gessit. Germaniæ munitissima claustra, Metim in Mediomatricibus, Tullum in Leucis, ac Virodunum in Sclabis, Gallus occupavit, & adhuc hodiè oppida hæc retinet. Ad hæc initô cum Turcis fœdere, Corsicam Insulam ferrô ac rapinis exhausit. Metim, exercitu centum hominum millium ad urbem admotô, frustrà iterum tentavit Cæsar, desideratis in ea obsidione non paucioribus qvadraginta suorum millibus. In Italia qvoqꝫ cruentô & infelici bellô Parmam & Mirandulam exagitavit, Senam civitatem amisit, qvæ ob extructam à Cæsarianis in urbe sua arcē, defecerat ad hostes. Sed hanc Cosmus Florentinus annô 1555. expugnavit & ducatui suo, permittente Cæsare, ad-

junxit. *Rationes, ob qvas Galli civitates Imperii, qvas antè nominavimus, retinuerint, recenset Thuanus L. XI.*

Qvare cum videret Cæsar omnium rerum esse vicissitudines,& metueret adversam magis fortunam, ingravescente etiam indies valetudine, res suas unà senescere videret,invitatus exemplis Diocletiani,Anastasii II.Theodosii III.& Lotharii Ludovici Pii filii, Imperio se abdicavit, & ut mortis beneficium anteverteret,regna hæreditaria in Philippum filium, Imperii verò summam in Ferdinandum fratrem transtulit, retentis, ex immensis opibus, centum aureorum millibus tantum. Itaq; annô 1556. ad Divi-Justi Hieronymianum cœnobium,in Lusitaniæ, Castellæqve finibus, haud procul à Placentia situm, delectum jam diu sedem,se contulit. Hoc Mausoleum fuit, cui invictissimus olim Cæsar, qvi Pontificem Maximum, Regem Galliæ potentissimum, Electorem Saxoniæ magnanimũ, Duces aliqvot Serenissimos, captivos detinuit, captivum qvasi seipsum inclusit. Ubi littus Hispanicum attigit,

(id

(id Carolini annotarunt ſcriptores) in terram proſtratus, oſculum eidem fixit, & *Salve*, inqvit, *mihi optatiſſima mater, nudus ex utero matris exivi, nudus ad te, tanquam alteram matrem redeo; & quod unum poſſum, pro tam multis in me meritis, corpuſculum hoc & oſſa mea, do dedicoq́ʒ.* Famianus Strada de Bello Belg. l. 1. Thuan. l. cit.

Monaſticam verò vitam ita tranſegit Carolus, ut retentis apud ſe XII. miniſtris & unicô eqvô, jam colles obeqvitarit, modò areolas in horto diviſerit, nunc fabricandis horologiis operam dederit, Janellô Turrianô præceptore, mirô harum rerum artifice uſus. Fecerunt ambo ferreas molas, per ſe verſatiles, tantæ ſubtilitatis, parvitatisq́ʒ, ut manicâ occultatas, Monachus facilè tulerit, cùm tamen qvotidiè molerent tantùm tritici, qvantum hominibus octo in ſingulos dies alendis, ſufficeret. His itaq́ʒ & ſimilibus exercitiis, tempus fallebat Eremita, qvi nuper Imperator fuerat.

Potiſſimam tamen curam animæ impendit ſuæ, qvæ etiam feliciſſimè ceſſit.

GNIFER SANCTÆ CRUCIS, EXEMPLUM PATIENTIÆ ET CONSTANTIÆ, HÆRES VITÆ ÆTERNÆ, MORITUR MENSE MARTIO, an. 1554. Hæredes habuit duos filios, Johannem Fridericum II. & Johannem Guilielmum, qvi inter se convenerunt, ut ditiones, post bellum Germanicum sibi residuas, per decennium unus post alterum gubernaret. Ante omnia etiam fœdus hæreditarium, cum Augusto Electore Saxoniæ, Joachimo II. Electore Brandenburgico & Philippo Hassiæ Landgravio renovarunt, & in amicitiæ Symbolum Johanni Friderico II. Agnes Hassiaca, Mauritii Electoris vidua; data est cōjunx; qvæ statim, post sex mensium cohabitationem fatis concessit. Jenensem Academiam, piâ & religiosâ Parentis curâ, occasione libri *Interim*, ante decennium institutam, annô demum 1558; solenni ritu & pompâ introduxerunt. *Vid. Joh. Strig. carmen & Epist. de inauguratione hac ad Marium Siculum.*

1 Ut redeamus ad Imperii Universi negotia; annô 1555. denuò Augustæ, augustissima comitia indicta & habita sunt, atq; in iisdem Carolus morbo impeditus, & qvod

qvod alias abdicationem Imperii meditaretur, per Ferdinandum Regem animum suum pacis & tranqvillitatis studiosum esse declaravit, auxilia item adversus Turcarum conatum vehementer petiit, eademqve, ut impetraret maturè, Transactionem Passaviensem confirmavit. Qvare post varias deliberationes, tandem decretum promulgatur, cujus hæc præcipua capita; ut libera permittatur qvibuscunqve Augustanæ Confessionis professio, neminiq; propterea vis fiat, simulqve bonis, vectigalibus, facultatibus ac possessionibus pacatè uti frui liceat Protestantibus. Religionis dissidium non aliis, qvam amicis rationibus componatur. Vicissim Confessionis Augustanæ socii erga Romanenses, se moderatè gerant, Religionem non impediant & possessiones eorundem pacatas relinqvant &c. Qvi non sint alterutrius religionis vel Lutheranæ, vel Pontificiæ, hoc decretô non comprehendantur. *Vide* Reichs-Abschiede.

Pace in Germania stabilitâ, Italia, Gallia & aliæ regiones bello ardebant, cui Pa-

Papa ipsemet implicabatur. Nam post Julii mortem Marcellus II. electus qvidem est, sed vigesimô secundô Pontificatûs die ex hac vita migravit. Successit itaqve annô 1555. Paullus IV. novi ordinis Clericorum Regularium autor, qvi qvod Neapolitanus, & Cæsarianis diu offensus esset, regnum Neapolitanum avidè affectans, Philippo Regi Hispaniæ bellum intulit, ope usus Johannis Carafæ fratris filii, qvem Ecclesiastici Exercitus imperatorem creavit. Dum verò à Gallo auxilia petiit Pontifex, & per Guisium impetravit, qvinqvennales induciæ illæ, qvas Reges modò inierant, denuò ruptæ sunt. *Onuphrius in vita Pauli IV.*

Bellô itaq; restauratô, ex una parte Pontifex & Henricus II. Galliæ Rex; ex altera verò Philippus Hispanus, Anglicanæ copiæ, Emanuel Philibertus Sabaudus, *Henricus* Brunsulcensis &c. seriò rem egerunt, atq; in Italia qvidem Ecclesiasticæ ditiones ferè omnes, per Ferdinandum Toletanum, qvi tum pro Rege Philippo, regenũ Neapolitanum obtinebat, vastatæ sunt. Qvod Pontifex ægrè ferens, & eô se bellô

parum

parum proficere animadvertens, tandem pacem cum Philippo iniit & neutri parti sese in posterum addicere velle, promisit.

Multum permovit pacis studium Philippi, ad Sanctum Qvintinum, de Gallis victoria, annô 1557. qvâ omnis ferè Gallica nobilitas cecidit. Interturbavit tamen Hispani lætitiam subsecuta Galliæ Regis de Anglis victoria. Captô enim summâ celeritate Caletô, (qvem portum Galliæ portam appellare consveverant Angliæ Reges; qvô qvamdiu potirentur, tamdiu gestare sese à cingulo claves Galliæ dictitabant,) qvicqvid Gallis ereptum, ducentos per annos, Angli obtinuerant, in continenti ora, paucorum dierum spatiô, Galliæ regno restituere coacti sunt. *Thuanus l. XXI. Strada. l. 1.*

Alternas itaqve belli vices experti Reges, Cameraci pacem iniverunt, qvæ opera Christiernæ Lotharingicæ confecta est, Gallis qvidem probrosa semper visa, qvod à Rege ducentæ civitates ferè Hispano & Sociis restituendæ fuerint. Cæterùm ut foedera firmiora manerent, Philippo

lippo post mortem Mariæ Anglicanæ viduo, Elisabetha undecennis, Henrici Regis filia, desponsata est, & Sabaudus Emanuel Philibertus Henrici sororem, Margaritam uxorem accepit, unà cum urbibus, qvibus illum Franciscus I. & Henricus ipse mulctaverant. At nuptiarum hilaria nunqvam Gallia peregit funestiori catastrophe. Inter reliqvas enim voluptates, eqvestris decursio indicta est, qvam Hastiludium vocant, & ad hunc ludum totius Europæ hastas Gallia provocaverat. Rex ipse unô alteroq; die decurrerat, palmari semper laude, dum verò repetitô tertium campô cum Prætorianæ cohortis Præfecto Gabriele, Comite Mongomerio, galeâ præproperè non satis occlusâ, congreditur, ab adversæ hastæ fragmento, apertam bucculam irrumpente, transfossô dextrô oculô, ictoqve inde cerebrô, inspectantibus Reginis, Regiisq; liberis, illicò exanimatus, & qvinto pòst die mortuus est, annô 1559. Atq; ita ante oculos infinitæ multitudinis, qvam ipse ad funus videlicet suum ambitiosè convocaverat, ad vivum egit, extra scenam & fabulam, humanæ tra-

goe-

gœdiam felicitatis. Fuere, qvi justô Dei judicio id factum putarunt, qvod Rex ejus generis tormentis perierit, qvalibus Lutheranos affecerat. Regi mortuo successit Franciscus II. qvindecim annorum Juvenis. Mongomerius verò, qvod Religionem Pontificiam deseruisset, & Reginam irratam haberet, annô 1574. capite truncatus est. *Vid. Thuanus LXXII. Meteranus l. 1. Strada l. 1.*

In Anglia eodem tempore Religio Pontificia denuò abrogata est, sub auspiciis Elisabethæ, Mariæ defunctæ sororis, & Annæ Bolenæ filiæ.

In Germania an. 1558. comuni Electorum consiliô, Ferdinandus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Imperii diadema solenni ritu accepit; Transmiserat enim Carolus ad Francofurtensia comitia coronam, sceptrumqve, per Guilielmum Orangii Principem, inter legatos primarium. Hunc ferunt initiò detrectasse legationem hanc, dixisseqꝫ Cæsari: *Meliora sibi à superis optanda, qvam ut Imperii insignibus, è Domini sui capite deponendis, atqve ad alium* de-

deportandis, ministerium ipse suum adhiberet.

Cæterùm Ferdinandus Imperator factus, Pacem Religionis servaturum se, sanctè promisit, qvô pacificô institutô gravem Pontificis indignationem promeritus est. Gusmannum enim, Cæsaris ad Pontificem Paulum IV. Legatum, & novæ dignitatis nuntium, indignè tractavit Papa, qvod eidem cum domo Austriaca non conveniret, inter alia respondens: *Acta Francofurti nullius esse momenti, ob defectum autoritatis Pontificiæ, qvæ non intervenerit. Huic claves cælestis ac terreni Imperii concreditas esse, sine qvibus nec Carolus legitimè Imperio solutus, nec Ferdinandus rectè in Imperio successisse, dici qveat. Rem omnem denovo inchoandam & Pontificis arbitrio committendam esse.*

Atqve

Atq; in hac sententia morosus senex permansit, ad finem vitæ usq; Ferdinandi Legatos, pro Cæsarianis agnoscére, recusans. *Thuanus L. XXII.*

Sed & alia insolenter egit Paulus, inqvisitionis acerrimus propugnator, qvi auctor olim fuerat, ut inqvisitionis tribunal Romæ institueretur, exosus hoc nomine jam dudum. Unde *Onuphrius* ipse refert, *Paulum IV. Pontificem coronatum esse, magna & universali hominum, qvi ejus severitatem timebant, mæstitiâ.* Ab eodem *Index librorum Prohibitorum* publicatus est, à successoribo deinceps auctus. Diu verò tyrannis non duravit, eodem Pontifice annô 1559. Pontificatûs qvartô, decedente è vivis. Dum animã agebat Paulus, apertæ sunt statim, vetere institutô, omnes urbis custodiæ, & à populo, qvi tyrannidis pertæsus erat, cum Tabulariis, incensus est Carcer novus inqvisitionis, iis, qvi teô enebantur, emissis. Alia etiam in contumeliam Pontificis perpetrabant Romani. Successit eidem

dem Pius IV. qvi Imperatoriam dignitatem, à Cæsare in Ferdinandum fratrem translatam, ratam habuit, & ejus, tanqvam legitimi Imperatoris, Legatos honorificè excepit, concilium Tridentinum restauravit, & ad finem perductum, confirmavit Bullâ de hac re editâ, annô 1564. VII. Kal. Februar. *Petrus Svav. l. III. Onuphrius in vita Pii IV.*

Circa hæc tempora, annô nempe 1559. & seqventibus, Livoni à Mosco vexati, ab Imperio verò deserti, tandem Sigismundo Poloniæ, Revalienses verò Erico Sveciæ Regibus se dederunt, cum ordo Livonicus CCCLVIII. annis perdurasset. Dithmarsi qvoqve, gens olim libera, à Friderico II, Daniæ Rege, & Adolfo Holsato, devicti & subacti sunt.

Intereà Franciscus II. Galliarum Rex cœptam à patre persecutionem adversus Romanensium antagonistas, dum continuabat, & Annam Burgium, nobilissimum virum ac Senatorem Parisiensem, cum multis aliis neci dabat, XVII. annos natus, Annô 1560. mortuus est, utrum inter bonos malosve principe numerari de-

deberet, ob Imperii brevitatem & ætatem infirmiorem in incerto relinqvens, eoqve magis, qvod non suô, sed Guisianorum ingeniô regeretur. Fratri mortuo Carolus IX. successit. *Thuanus l. XXVI.*

Ortum est eô tempore *Hugonotorum* nomen, Cæsaroduni Turonum primo natum, qvô vocabantur, qvi Reformatæ religioni erant dediti. Appellationis origo, uti vulgò tradunt, hæc ferè fuit: Singulæ urbes apud Gallos peculiaria nomina habent, qvibus lemures, manducos & cætera hujusmodi monstra inania, anilibus fabulis, ad incutiendum infantibus ac simplicibus fœminis terrorem, vulgò indigitant. Cæsaroduni ergò Hugo celebrabatur, qvem noctu pomœria urbis obeqvitantem, inqꝫ obvios euntem, pulsantemqꝫ, commemorabant, qvem item ad terrendos infantes solebant nominare. Cum itaqve Reformati, qvorum complures tunc Cæsaroduni erant, circa eadem pomœria nocturnos cœtus agerent, (Nam interdiu id non licebat, factum est, ut tanqvam nocturni lemures, digitô monstrarentur pu-

 eris,

eris, atq; ab Hugone Hugonoti, ridiculô simul & odiosô nomine, vocarentur. *Thuanus l. XXIV. Strad. l. III.*

Utut autem adversus eosdem Hugonotos gravissimæ persecutiones in Gallia instituerentur, opprimi tamen omninò non potuerunt, qvin potius Regii Sangvinis principes, Borbonii & Condæi, eorum partes secuti sunt, qvibus cum se opponeret Gvisiorum factio, maxima in Galliis bella, qvæ religionis titulô velabantur, reverà autem obtinendæ summæ autoritatis causâ gerebantur, orta sunt. *Thuanus.*

Dum hæc agebantur in Galliis, belli in Belgio deinceps gesti, semina spargi cœperunt, Philippus enim Rex in Hispaniam abierat, ut bellum Africanum promoveret, & certum domicilium figeret. E naufragio verò (in qvo ingentis pretii supellectilem amiserat, ut vulgò dicerent, *ipsum & Carolum patrem, exuviis ferè totum terrarum orbem spoliasse, ut inde Oceanum ditarent*) vix ipse salvatus, votum fecit, de Lutheranis extingvendis, qvorũ multos cru-

dei,

deli ſuppliciô affecit. Sed ne[illegible] [illegible]tatis erat; Commiſerat enim Belgicum Imperium Rex abiturus Sorori nothæ, Margarethæ Parmenſi, eidemqve conſiliarium dederat Antonium Perenottum Granvellanum, Pontificiæ Religionis acerrimum defenſorem, & ideò paulò pòſt Cardinalem factum. Hic contemptis Belgii Principibus, Hiſpanorum favorem unicè anhelabat. Accedebat ad hæc, novorum in Belgio Epiſcopatuum inſtitutio, auctoritate Pontificis Romani & Philippi facta. Nam qvod iidem ex Abbatiarum proventibus ſuſtentandi eſſent; & vulgus inſuper, Epiſcopalis cenſuræ titulô, Belgis obtrudi carnificinam & tormenta Hiſpanicæ inqviſitionis, ſibi non ex vano perſvaderet, omnia in deterius vergere cœperunt. *Meteranus lib. 1. Famian. Strada, l. 1.*

Intereà annô 1564. Ferdinandus I. rebus humanis ereptus eſt, cùm Imperio per ſex annos præfuiſſet, atqve eidem filius Maximilianus II. ſucceſſit, tum in regnis Hungariæ & Bohemiæ, tum in Imperio. De Hungariæ qvidem regno ei-

dem[illegible]ndit Johannes Sigismundus Transylvanus, Solimanni fretus patrociniô, sed qvod Solimannus in frustranea insulæ Melitæ oppugnatione occupatus esset, Transylvano opem in tempore ferre non potuit; Johannes igitur à Maximiliani copiis in ordinem redactus est.

Sub hoc Imperatore variæ & penè multæ mutationes in Republica pariter atqve Ecclesia acciderunt. Recruduit bellum Saxonicum, ideò qvod Johannes Fridericus II. Guilielmum Grumbachium & Christianum Bruck, ab Imperio proscriptos, apud se detineret, qvare ipsemet Dux qvoqve proscribitur, & ab Augusto Electore, jussu Statuum Imperii, arx Grimmenstein, in qvam proscripti se receperant, unà cum oppido Gotha, obsidetur, & annô 1567. expugnatur. Grumbachius & *Bruck vivi in* qvatuor partes sunt dissecti, Johannes Fridericus autem in Austriam abductus est, nec ad suos unqvam rediit. *Chytr.*

Sed & aliorum Regum ac Principum, circa hæc tempora, funestus fuit exitus.

Ma-

Maria enim Scotiæ regina, nefandô facinore, Henricum Stuartum consobrinum suum, cui post Franciscum II. Galliæ Regem nupserat, per insidias annô 1566. occidit, qvæ tamen, post viginti annos demum, parricidii pœnas dedit, dum in Anglia securi percussa est, & successorem habuit Jacobum.

In Suecia qvoqꝫ motus ingentes fuere. Ericus enim Suecia Rex, qvi Gustavo successerat, non tantùm vicinorum omnium odia in se concitavit, sed suorum irritavit animos, qvando Johannem Fratrem, Finlandiæ Ducem, qvem putabat fœdus contra se, cum Polono Sororio, iniisse, in custodiam dedit, & plerosqꝫ ipsius familiares suppliciô affecit. Post qvinqvenium verò Ericus ipse, fortunâ vices alternante, ob multa vitia populo exosus, regnô exutus & carceri perpetuo mancipatus est, qvod accidit annô 1568. Successorem habuit fratrem suum Johannem. *Thuanus.*

In Gallia haud minor accidit mutatio. Pace enim Religionis, qvam Carolus IX. sanxerat, hac lege: *Nobiles in sedibus suis,*

arcibusque, populus in templis suburbanis, sacra libere in posterum peragunto, à Guisiis turbatâ, ad bellum perventum est, & alter qvidem Dux Gvisius tormenti globô trajectus, alter Ludovicus Condæus captus, & contra fidem occisus est.

In Belgio autem omnium vehementissimè armis agi cœpit: Philippus enim Rex, sanctam Ligam, qvam vocarunt, cũ Gallo Bajonæ iniit, de Religione Catholica, per omnes ditiones suas, asserenda. Hinc in Belgio Leges seqventes promulgatæ sunt: 1. *Edicta Caroli V. contra receptæ religionis Romanæ hostes, observantor.* 2. *Quæsitores fidei admittuntor; & si opus, brachiô seculari juvantor.* 3. *Concilium Tridentinum omnes recipiunto, ejusq; autoritatem in omnibus sequuntor.* Hoc edictô exacerbati Belgarum animi, clandestinas conjurationes instituunt, libellum supplicem Margaritæ Parmensi offerunt, & legatos in Hispaniam mittunt.

His pacificis mediis cùm nil efficeretur, & Ferdinandus Toletanus Albæ Dux

Dux, cum ingentibus militũm copiis in Belgium missus, *Concilium Sangvinis* instituerer, Comites item Egmontium & Hornanum caperet, paulò pòst trucidandos, deniq; proceres Belgas ad Duodecimvirile illud concilium vocaret, ut regii Procuratoris accusationes, expostulationesqve audirent, seqve ab objectis criminibus explicarent, palam ad arma ventũ est, & bellum illud diuturnum incepit, qvô didicerunt Reges potentissimi, reverentiam & obseqvium non violentiâ obtineri semper, sed clementiam sæpè adhiberi tutius; hostem item, qvamvis viribus inferiorem, contemptim habendum non esse; Qvi cenim à Carolo Comite Barlamontio, in sermone ad Gubernatricem, Gheusii, Gallicâ voce, seu mendici vocati sunt, nullâ armorum vi opprimi posteà potuerunt. *Strad. l.7. Meteranus.*

Accidit post Albani ex Hispania discessum, memorabilis illa Caroli, Regis filii, captivitas & cædes. Philippus enim parens Carolum hunc, viginti duos annos natum, jamjam discessurum, noctu oc-

cupavit & custodiæ inclusit, in qva post sex menses, cùm nullis, aut Europæorum principum legationibus, aut Hispanorum precibus placaretur immotus pater, extinctus est. *Quô mortis genere interierit, æquè, ac qva de causa, in propria viscera sævierit Rex, incertum est. Alii tradunt ex morbo, ob alimenta, partim obstinatè recusata, partim intemperanter ingesta, nimiamq; nivium refrigerationem; super animi ægritudinem, eum mortuum esse. Alii vim adfuisse putant. Sic de causa captivitatis diversi diversimodè sentiunt, aliis opinantibus Carolum Patri insidias struxisse, quò Ovidianum illud applicatum est, mortis annum exprimens:*

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

Aliis, qvod ostendisset sibi displicere crudelitatem, qvam Albanus in Belgio exercebat, Aliis, qvod Religioni Pontificiæ nuntium mittere, in animo habuerit, qvam causam Rex ipse allegare visus est, qvando Pontificis nuncium edocuit, qvod Religionis, populorumve conservationem; sangvini, suo præhabere voluerit

filium

coactumq; propterea se filium sibi unicũ eâ ratione propemodum sacrificare. V. Meteran. l. 3. Strad. l. VII.

Uti verò Pontificia Religio in Hispania, Gallia & Belgio vi & armis propugnabatur, ita orthodoxa doctrina in Germania vires indies sumsit. Henrico enim Brunsuicensium Duci, acerrimo Lutheranorum hosti, annô 1568. successit Julius, qvi statim Ecclesias emendavit & paulò pòst annô nempe 1576. Helmstadiensem Academiã, à nomine suo Juliã dictam, introduxit, Davidis Chytræi, Martini Chemnitii & Timothei Kirchneri operâ in hoc negotio usus. *Chytr. Saxon. l. XXIII.*

Post colloqvium Maulbrunnense (annô 1564.) inter Lutheranos & Calvinianos, Altenburgense annô 1568. haberi cœpit inter Wittenbergenses & Lipsienses Theologos, de Syncretismo cum Calvinianis & Pontificiis suspectos, ex una, & Jenenses ex altera parte, cujus Acta publicè edita sunt.

Intereà Maximilianus Imperator, virtute Svendii usus, Selymum & Transylva-

vanum adegit, ut pacem petierint, annô 1568. hac lege initam, ut unusqvisqve qvæ occupaverat retineret, magnô Maximiliani commodô. Munitæ qvoqꝫ tunc temporis Ungariæ arces & civitates sunt, qvæ ditionibus Turcæ erant conterminæ (Grentz-Häuser / vulgò vocant.)

Idem Augustinus Imperator non parum suam firmavit potentiam, dum [*anno 1570.*] duas filias suas potentissimis Regibus nuptum dedit, alteram qvidem, Annam nempe, Philippo Hispanorum Regi, post Isabellæ Gallicanæ obitum, viduo, Elisabetham verò, Caroli Regi Galliæ.

Sed nec Selymus Turcarum Imperator fines regnorum suorum ampliare destitit, ruptô enim fœdere, cum Venetis antè initô, Cyprum postulavit, & Nicosiam atqve Famaugustam, olim Salamin dictam, cruentâ obsidione occupavit. [*An. 1571.*] A qvo tempore Cypri regnum Turcico imperio subjectum permansit, qvamvis Turcarum Imperator paulò pòst ingenti clade in sinu Corinthio afficeretur. Pax tandem, post varias clades, inter Turcas & Venetos

netos initur, annô 1574. invitis licet Hispanô & Pontifice, qvi auxilia non satis ex fide Venetis miserant, & Hispani simul è tota Africa ejiciuntur.

In Italia eô tempore Pius V. annô 1572. qvi Pio IV. anno 1556. successerat, mortuus est, de qvo seqventes circumferuntur versiculi:

Papa Pius Qvintus moritur; Res mira, tot inter
Pontifices tantum Qvinq; fuisse pios.

Successit Gregorius XIII. qvi posteà, annô nempe, 1582. Calendarium novum, à se Gregorianum vocatum, ope Liliorum confectum, edidit. *De hoc Calendario eruditum libellum scripsit Sethus Calvisius, quem refutare conatus est Guldinus. Præterea oppugnarunt ejus structuram Franc. Viega, Scaliger, Mastlinus, Crugerus &c. Ipsemet C. Lavius in Defens. Antonii Possevini, si Calendarium, inquit, Gregorianum denuò oppugnare vis atq; evertere, demonstrandum tibi erit, in eo alios errores, præter QVATUOR, reperiri. Sed Johannes Baptista Ricciolus, in præfatione Almagisti, Calendarium hoc*

per omnia approbare videtur; refert idem, quâ ratione miraculis confirmatum sit Neapoli, coram Januarii Martyris capite, item per arbusculam in Svevia, nocte, D. XXV. Decembr. antecedente &c. Vide, si placet, Computisticam nostram, & Antonii Cicarellæ librum, de Vita Pontificum Romanorum.

Annus 1572. præ reliqvis ob nuptias Parisienses famosus est. Siqvidem Carolus IX. Galliæ Rex, à Regina matre, ut tantam crudelitatem perageret, animatus, ad nuptias Margaretæ Valesiæ, sororis suæ, & Henrici Borbonii Regis Navarræ, invitaverat plerosqve Reformatæ Religionis principes & socios, ac sublatâ prius Joannâ, Henrici matre, Evangelicæ veritatis studiosissimâ matronâ, (venenô, uti putant, qvô chirothecæ, dono transmissæ, tinctæ fuerant,) eosdem ipsô nuptiarum tempore, D. Bartholomæi nocte (unde Bartholomæanarum noctium nomen) inauditâ crudelitate trucidari mandat. Qvô fraudulentô facinore, in aliis Galliæ oppidis repetitô, intra paucos dies, multa hominum millia interierunt; ita ut Carolus

IX.

IX. in literis ad Pontificem gloriatus sit, se paucis diebus ad septuaginta millia Evangelicorum occidisse. Inter occisos fuerunt Caspar Colignius Castellonius Galliæ Amiralsius, Joannes Corasius Jurisconsultus & Professor Publicus Tholosæ, Consiliarius & Cancellarius Navarræus, Augustinus Marloratus, Petrus Ramus aliiqve. Sævitiæ accessit mendacium, qvô interfecti, conjurationis in Regem, Reginamqꝫ rei dicebantur. At criminis locô Reformatæ Religionis studium fuisse, satis ex eo apparet, qvod Pontifex Romanus egerit in D. Ludovici templô, qvò ipse, institutâ supplicatione, se contulit, Deo grates; editô amplissimæ indulgentiæ diplomate, ad Regi, regnoqꝫ cœlestis opem Numinis implorandam. Neqꝫ inter Gallos fuit, qvi crimen, Reformatis objectum, verum esse crediderit. Thuanus certè, homo Gallus, per totam vitam Bartholomæi diem detestatus est, illos Statii Papini versus, indispari re ad eundem accommodans:

Excidat illa dies ævo, ne postera credant
Secula, nos certè taceamus & obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Thuanus l. LII. Osiand. Centur. XVI. l. III. c. LXIX. Strad. l. VII.

Eodem anno 1572. nova stella in Cassiopeja apparere cœpit, qvæ anno 1574. demum omninò disparuit, qvod extraordinarium cœli jubar, Tychonem Braheum, nobilissimum virum, ad observationes Astrorum freqventiores invitavit, qvi & deinceps Astronomiam feliciter restauravit. *Vide progymnamtaa Brahei, ejusdemq; vitam à Petro Gassendo descriptam.*

Post funestas illas nuptias, Lutetiæ celebratas, & Sigismundi Poloniæ Regis, sine prole decedentis, mortem, Henricus Valesius, Andegavensium Dux, Caroli IX. frater, Polonorum Rex electus, & à Legatis, ut in regnum veniret, invitatus est.

At

At Regno Poloniæ Henricus diu non præfuit, anno enim 1574. Carolus IX. post graves & longos dolores, ita ut se mori diu ante mortem senserit, decessit. Et cum successorem Henricum nominasset, clanculum hic è Polonia abiit, hæreditarium regnum electitio præferens. In auspicia verò regni bellum, idqve civile, incidit. *Thuanus l. LIX.*

Postqvam Henricus III. Galliarum Rex Poloniam reliqverat, de alio Rege eligendo deliberare cœperunt Poloni. Et cum ab aliis Maximilianus Cæsar, ab aliis Stephanus Batorius, (extinctô nuper Johanne Sigismundô,) Transylvaniæ princeps eligeretur, Cæsar fortunam cunctando frustrari visus est. Stephanus itaqꝫ eum antevertit, ductaqve Annâ, Sigismundi, Regis mortui Sorore, Poloniæ regnum obtinuit.

Deniqꝫ annô 1576. Maximilianus II. in ipsis Comitiis Ratisponensibus, qvæ belli Turcici causâ instituerat, fatis concessit, sui ingens desiderium posteris relinqvens. Erat enim pacificus & tranqvillitatis publicæ amantissimus Imperator, cujus

cujus dictum egregium communiter laudari solet: GRAVISSIMUM SCELUS EST, CONSCIENTIIS VELLE DOMINARI. ID VERO EST, COELI ARCEM INVADERE. Successit optimo Parenti Rudolphus II. filius.

Dum verò pacem reliqva Germania adhuc colebat, in Belgio turbæ, ob tyrannidem Pontificiam, majores indies excitatæ sunt. Nam Arausionensium Princeps Wilhelmus, collectis in Germania copiis, libertatem Belgarum fortiter asseruit. Exules item Belgæ, in Orientali Frisia, classem compararunt & occupatâ Brie'â, qvi celeberrimus Hollandiæ portus est. adversus hostes suos fortiter decertant. Albanus interea omnibus exosus, postqvam sævissimi Tyranni titulum, factis suis promeruerat, à Rege evocatus est, successore datô Ludovicô Reqvesenio, magnô Castellæ Præfectô, qvô ipsô paulò pòst mortuô, Joannem Austriacum Rex Hispaniarum Belgio præfecit, atq; is fraudem violentiæ addens, ansam Belgis dedit, in auxilium Matthiam, Rudolfi fratrem evocandi. Acciderunt sub indicatis Ducibus duæ potissimùm

ob-

obsidiones, Harlemensis columbarum servitiô; & Lugdunensis, aggerum perfossione, memorabiles.

Cæterùm distractæ sunt Hispanorum copiæ, qvando an. 1580. exercitum in Portugalliam duxerunt. Fuit expeditionis ejusdem occasio hæc ferè: Sebastianus Lusitaniæ Rex Juvenis 24. annorum ad Muhamedis Mauritaniæ Regis preces in Africam trajecerat ann. 1578. ut Muhamedem à patruo suo Abdelmelecho, auxiliis Turcicis pulsũ, in regnum reduceret. At infeliciter comissô, prælio in qvo tres Reges, Sebastianus nempe, Muhamed & victor Abdelmelechus interierũt, Lusitania ipsa Rege suô privata est. Successit itaq; Patruus magnus Henricus Cardinalis, qvô post annum mortuô, Philippus II. Hispaniarum Rex, operâ Albani, hactenus exulis, Lusitanos discordes, fugatô æmulô Antoniô Emanuelis filiô Nothô, in sua verba adégit. *Videatur Duardi Nonii Leonis liber de vera Regum Portugalliæ Genealogia, Ciccarella de vita Gregor. XIII. Campanella de Monarchia Hispanica, aliiqve.*

Enu-

Accedebat ad calamitatem Ecclesiæ augendam, infelix illa Vinariensis Disputatio, annô 1560. inter Victorinum Strigeliũ, Synergistam, & Matthiam Flacium, coram Ducibus Saxoniæ, habita. Hic enim in disputationis fervore, Manichæorum opinionem amplectebatur; peccatum Originis substantiam asserens, qvem errorem posteà Flacius corrigere noluit, eundemqve discipuli, qvos fecerat, Rupius, Schefferus, Irenæus & alii novis commentis auxerunt.

Qvare cum aliud medium, tranqvillitatem Ecclesiæ restituendi, non suppeteret, freqventes Principum & Theologorum conventus ac disputationes instituebantur, & in causa Flacii colloqvium Argentinense annô 1571 Lindaviense annô 1575. & alia habita sunt. Crypto Calvinianorum autem sententiæ in Synodo Dresdensi annô 1571. in Conventu Torgensi annô 1574. Lichtenbergensi annô 1576. Disputatione Langensalzensi annô 1578. Colloqvio Herzbergensi annô 1578. examinatæ sunt. Præprimis autem annô 1577. in Conventu Bergensi, prope Magde-

deburgum, jussu Serenissimi Electoris, à sex Theologis, D. Jac. Andrea, D. Musculo, D. Cornero, D. Selneccero, Chemnitio & Chytræo de Libro Concordiæ, à diversis Ecclesiis & Doctoribus collecta judicia expensa sunt. Unde demum annô 1580. aureus libellus CHRISTIANÆ CONCORDIÆ in lucem prodiit, subscriptione Electorum, Principum, Comitum &c. & Theologorum, item Ministrorum verbi & Ludimoderatorum, ultra 8000. approbatus.

Publicatô hoc scriptô, virulentas censuras ediderunt adversarii haut tantũ, sed ex iis qvoqve, qvi Lutheranorum affectabant nomen, nonnulli à doctrina Libri Concordiæ defecerunt; Qvos inter Tilemannus, Heshusius, & Daniel Hofmannus contra omnipræsentiam carnis Christi disputare cœperunt; Horum gratiâ annô 1585. colloqvium Qvedlinburgi institutum est, sed irritiô conatu. Posterior, nempe Hofmannus, etiam de aliis qvæstionibus, à communi Orthodoxorum sententia recessit, & errorem Flacii defendere satagit; Ast convictus tandem, annô, 1601.

in

in Academia Julia publicè ſpalinodiam cecinit.

Alia item colloqvia, circa finem ſeculi præcedentis, habita ſunt, MOMPELGARTENSE, inter Jacobum Andream & Theodorum Bezam, ann. 1586. BADENSE, inter eundem Jacobum Andream & Piſtorium Apoſtatam. RATISBONENSE, inter Jacobum Andream, Heilbrunnerum, Hunnium ex una; Hungerũ, Gretſerum, Tannerum, ex altera parte. Similiter contra Samuelem Huberum, è Calviniano Lutheranum, & ex hoc, univerſalis Electionis patronum, ab ann. 1592. diſputari cœpit. *Videantur acta colloqviorum, qva citavimus, & de cauſa Huberi, Polycarpi Lyſeri ſcriptum.*

Dum Scriptis de Religione inter ſe agebant Theologi, armis de hoc negotio agebatur in Belgio. Arauſionenſis *Dux* deteſtatus aliam pacem, qvam ſalvâ conſcientiæ libertate initam, seriò adverſus *P*ontificiorum egit tyrannidem, & mortuo Johanne Auſtriaco, adverſus Alexandrum Farneſium, *Parmæ* & *P*lacentiæ Ducem, qvem Hiſpanus Auſtriaco ſuffecerat,

arma

arma movit. Atq; in auxilium vocato Francisco Alenconio, Gallorum Regis fratre, eundem belli Ducem certis conditionibus seu legibus adstrictum, constituit,

Hispani, cum virtuti Wilhelmi Arausionensis obsistere non possent, *Principem* optimum insidiis è medio auferre cogitarunt. Nam an. 1582. Cantaber qvidam decoctor, Hispanicis inescatus præmiis, per adolescentem, sacrificorum excantatum præstigiis, sclopeto pene occidit Ducem, utrâqve ejus maxillâ perforatâ, sed qvòd vulnus lethale non fuerit, ex eodem iterum convaluit. Qvare anno 1584. Wilhelmus denuò, per Balthasarem Gerhardum Burgundum, à *Parmensi* & Jesuitis conductum, inqve Ducis famulitium nuper receptum, Delfis, sclopeti ictu petitus & occisus est, succedente in locum Mauritio filio. Franciscus verò Gallus, postqvam nil laude dignum in Belgio peregerat, eodem anno, propè Lutetiam, veneno potatus, interiit. *Thuanus.*

Feli-

Felicior fuit Elisabetha Anglorum Regina; Rata enim, qvod res erat, Hispanos, perdomitô Belgiô, Angliam oppugnaturos esse, Belgis succurrit, & missâ sub Duce Francisco Draco in Americam classe, Hispaniolam & finitimas regiones diripuit, atqve iteratô conatu in Gadibus victrix per Dracum, omnia terrore nominis sui complevit. Deinde pace cum Sveciæ Rege, ob cædem matris suæ qvodammodo offensô, initâ, ingens Hispanica classis, sub imperio Alfonsi Peresii Medinæ Sidoniæ Ducis, (qvâ nec Hispania qvicqvam operosius in maritimis expeditionibus aliqvando elaborasse, nec superbius aliqvid Oceanus vidisse ferebatur, cum oppida potiùs, qvàm naves pelago innatare viderentur,) ab exiguis Anglcrum copiis dissipata est, Annô 1588. in qva clade duo deviginti millia desiderarunt Hispani, naves ferè octoginta amiserunt. *Strad. Dec. 2. l. 9. Thuanus l. 89. Meteran.*

In Gallia hoc tempore mira fuit rerum facies; Factio enim Guisiana, postqvàm Parisiensem lanienam consiliô suô peregit

egit, ne pietatis studio hoc factum esse qvis opinaretur, jam ipsum Regem Henricum III. in ordinem cogere conabatur. Qvare animadvertens Rex, insidias sibi strui, & autoritatem Regiam non parum à proditoribus istis minui, prævenire, qvàm præveniri, maluit, dissimulataqꝫ paulisper indignatione, Gvisios fratres, ad se evocatos, subitò occidi mandavit, conjuratis reliqvis in carcerem conjectis. Qvo facto tanto dolore affecta est Catharina Medicæa, Regis mater, sangvinaria fœmina, & ob id qvarta Francorum Furia dicta, ut paulò pòst, anno 1588. mœrore confecta, è vita decesserit.

Ad Gvisiana factio clade sociorum exacerbata magis, non deleta omninò, vindictam meditari cœpit. Parisienses enim Carolum Maynium, Gvisiorum fratrem, Gubernatorem Lutetiæ dixerunt, & Francorum insulæ, Regiqve bellum inferre pararunt; Qvi, Navarræi & Nobilitatis accinctus viribus, seditiosam plebem fame ad officium redigere dum conatus est, à Sicario qvodam, Jacobo Clemen-

te, Monacho Dominicano, venenatô cultello, per ilia immisso, intra XIV. horas decessit, hærede constitutô Navarræô, olim Henricô IX, jam IV. nuncupatô. Sicarius autem eodem cultrô, qvô Regem interfecerat, à moribundo occisus est. Accidit parricidium hoc an. 1589. Kalend. August.

Cæterùm, qvod Navarræ & recens electus Galliæ Rex Pontificiam Religionem jam dudum detestatus fuerat, ob id olim à Sixto V. excommunicatus, Romanensibus exosus erat. Qvare à factione Pontificia, prætextu hereseos, qvâ Rex laborabat, magnô conatu bellum civile instaurari coeptum est, ad qvod deinceps Alexander Farnesius, Parmensis Dux, qvoq; accessit. Posteaqvam autem varias clades hinc inde dederât & acceperant partes, superiore tamen utplurimū manente Rege, postqvā item Gregorii XIV. Bullam, qvâ Regem denuò hæreticum pronunciabat, Galli, per carnificis manum, combusserant, Rex, à nobilitate permotus, Pontificiam Religionem ultrò amplexus est, & an. 1593. d. 15. Jul. amictu candidô ac prælucente cereô, absolutionem à Sacrificulo qvodam, in templo

plo D. Dionysii, petiit, qvam etiam, fremente licet Pontificis Legatô, facilè impetravit. *Thuanus lib. 107. Cicarella de vitis Sixti V. Gregorii XIV & Clementis VIII.*

Priusqvam hæc in Gallia gesta sunt, Elector Saxoniæ Augustus an. 1586. apoplexiâ mortuus est, incomparabilem, ob sancitam concordiam, & restauratam Academiam Wittebergensem, gloriam promeritus; In cujus rei memoriam, imagini ejus, qvæ Wittebergæ, in monasterio Augustiniano, ad portā Elistrin, extat, verba seqvētia leguntur inscripta: ACADEMIAM WITTEBERGENSEM JOHANNES FRIDER. DEI BENIGNITATE DUX SAXONIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ELECTOR ET ARCHIMARSCH. LANDGRAV. THUR. MARCHIO MISNIÆ ET BURGGRAV. FUNDAVIT: FRIDERICUS INCHOAVIT, JOHANNES CONSERVAVIT, MAURITIUS BELLO DISSIPATAM INSTAURAVIT: AUGUSTUS EXORNAVIT, AMPLIFICAVIT ET CONFIRMAVIT. *Middend. de Academ. lib. V. p. 310.*

Successit Electori optimo Christianus I. qvi tamen & ipse diu non præfuit, nam anno 1591. ætatis 32. decessit iterum, tres filios impuberes post se relinqvens, qvare Fridericus Wilhelmus, Dux Saxoniæ, Pro-Elector & Pupillorum tutor factus est.

Huic post DEUM acceptam ferimus Ecclesiarum Saxonicarum, è fermento Calvinistico, purgationem, & orthodoxorum Exulum in integrum institutionem. Immiscuerant enim sese Academiis & Ecclesiis nostris Crypto-Calviniani qvamplurimi, à qvibus etiam Exorcismi ritus abrogatus jam erat. In conventu igitur Torgensi, & visitatione Ecclesiarum Saxonicarum ac Misnicarum, cùm exponeret Pro-Elector, se nullam doctrinam aliam præter eam, qvæ in verbo DEI, Confessione Augustana & Lutheri Libris tradita, ac in Concordiæ libro repetita esset, tolerare velle, nonnulli, & inter hos *Petrus Wesenbecius, Juris-Consultus, ac Janus Gruterus Philologus*, sponte solum verterunt, alii ejecti sunt. *Nicolaus Crellius* verò, *Cancellarius*, qvem in funere Electoris tota Nobilitas, & civitates etiam, custodiæ mandari

petie

petierant, capitis supplicio scelera, quorum postulabatur, luit. *Chytraeus lib. XXIX. Chronic. Lipsiense.*

Circa hæc tempora mutationes variæ ac multiplices in Polonia, Svecia & vicinis regionibus acciderunt. Stephanus enim *Batorius*, Polonorum Rex, dum bello opprimere Livoniæ Metropolim Rigam, vel Moschoviam potius, (uti in ejusdem Epitaphio legitur) parabat, subito extinctus est, anno nempe 1586. Qvare anno seqvente, in Comitiis Warsaviensibus, dum e qvatuor Candidatis, Piasto, Moscho, Austriaco, & Sveco, novum Regem eligere student Poloni, in duas scinduntur partes, aliis Sigismundum, Johannis III. Svecorum Regis & Catharinæ Jagellonicæ filium, eligentibus, aliis Maximilianum Austriacum, Rudolphi Imperatoris fratrem, nominantibus. At prævaluit tandem, qvæ pro Sigismundo pugnabat, Polonorum factio, & belli Dux Zamoscius, Poloniæ Archicancellarius, Maximiliani copias, ad Cracoviam usqve progressus, & urbem obsidentes,

depu-

depulit, multis interfectis ac tormentis etiam occupatis, qvamvis parum abfuerit, qvo minus Sigismundus Esthoniam, vehementer à Polonis postulatam, cedere nolens, regiô titulô privaretur.

Post confirmatum in regno Sigismundum, adversus Maximilianum Austriacum, Poloniã infestis signis adhuc tentantem, exercitus eductus est, atq; ipsemet ArchiDux, cæsis Polonis, in oppido Silesiæ qvodam, Bitsino, cum multis aliis generosis personis obsessus, captusq; est. Accedentibus verò Rudolfi II. Imperatoris precibus, titulo Regis Poloniæ, & omni in regnum juri renuncians, libertatem suã Maximilianus impetravit, qvod accidit annô 1589. *Chytr. l. 28.*

Cæterùm, qvæ Johannes III. Sigismundi Regis Poloniæ pater jam antea metuerat, fore nempe, ut cum detrimento proprii regni, alienum aucuparetur filius, id re ipsâ paulò posteà evenit. Parente enim annô 1592. defunctô, Sigismundus, ad capessendum Regnum hæreditarium, Sveciam ingressus est qvidem; sed qvod Pon-

Pontificium Legatum secum haberet, neq; solius Augustanæ Confessionis professionem, ab initiò liberam esse vellet, avertit à se multorum animos. Qvare eodem in Regnum Poloniæ reversô, conventus ordinum regni, sub Duce Sudermanniæ, Carolo, Sigismundi patruo, habiti sunt. Qvod cum ægrè Sigismundus ferret, primùm per Legatos, deinde præsens, lites inter se & Carolum dirime conatus est. Pax qvoq; post repetitum Sigismundi in Sveciam ingressum, inita qvidem, sed malè servata, tandemqve Carolus, initiô hujus seculi, Rex Sveciæ electus & confirmatus est. Unde bella illa, qvæ nuper visa sunt immortalia, inter Sveciæ & Poloniæ Reges originem suam habuerunt. *Chytr. l. 30. & seqq.*

Iisdem temporibus Turcicus Imperator Hungariam vastabat, atqve Jaurinum post & Canisium à præsidiariis (qvorum Duces, ob præproperam deditionem, capite mulctati sunt) malè defensum, occupabat. Jaurinum verò, vulgò Raab, postqvam Turca per qvatuor annos ferè

fortalicium illud obtinuerat, annô 1598. ab Adolpho Schvvartzenburgico, non sine ingenti commodo Reipublicæ Christianæ, recuperatum est. *Vid. Gotardi Artus Histor. Pannon.*

Circa finem hujus seculi varii qvoqve in Transylvania motus acciderunt; Sigismundus enim, Transylvaniæ Princeps, jugô Turcicô excussô, fœdus cum Imperatore Rudolpho II. iniit, & adversus Turcam fortiter rem gessit, Moldaviam & finitimas regiones occupans. Commutatis item ditionibus suis, Silesiæ Princeps declaratus est, mox tamen pœnitentiâ ductus Transylvaniam repetit. *Vid. Eund.*

In Hispania eodem tempore ferè Albertus Austriacus, Cæsaris frater, Belgio Hispanico præfectus est, & è Cardinali cōjux factus, Isabellam Clarā Eugeniam, Philippi II. Hispaniarum Regis filiam, uxorem duxit, Burgundiâ & Belgii ditionibus pro dote acceptis, qvæ tamen, qvod sterile esset matrimonium illud, paulò pòst ad Hispaniæ Regem redierunt. Occupavit hic Caletum, Galliæ portum, restitutum tamen mox, initâ inter Gallum & Hispanum pa-

pace. Oſtendæ item celeberrimam obſidionem, qvæ perindè qvadraginta menſes duravit, & in qva ultra CXLIV. hominum millia ferrô, morbis, fame & inundationibus interiiſſe dicuntur, annô 1601. incepit. *Vid. Meteran. lib. 22. 23. 24.*

Finis hujus ſeculi finem vitæ qvoqve attulit Philippo II. Hiſpaniarum Regi, qvi, dirâ morborum correptus confluge, verminante ſemper per totum corpus pediculorum eluvie, triſtem animam, an. 1598. vitæ LXXII. emiſit. Succeſſit Philippus III. è conjuge Parentis qvarta, Anna nempe, Maximiliani Imperatoris filia, genitus. *Thuanus lib. CXX.*

Annô 1601. Chriſtianus II. Chriſtiani I. filius, natu maximus, ætatis ſuæ an. 18. Electoratûs Saxonici gubernationem ſuscepit finitâ tutelâ & adminiſtratione Friderici Wilhelmi, Saxoniæ Ducis. *Supplem. Chytræi.*

Paulò pòſt, annô nempe 1603. Eliſabetha, Angliæ Regina, ſeptuaginta annos nata, obiit, & ſucceſſorem dixit habuitq;

Jacobum VI. Scotorum Regem, magnæ autem Britanniæ I. amitæ suæ pronepotē. Sic Scotia & Anglia sub uno eodemq; Principe conjunctæ, & Regnum Magnæ Britanniæ appellatum est.

Regni auspicium periculosum habuit Jacobus; Qvidam enim dignitati suæ timentes, insidias struxerunt Regi, pulverem pyrium, in effossam sub Parlamenti aula humum, inferentes, qvô Rex & soboles regia, & Procerum optimi qviq; ac maximi, unô momentô è medio tollerentur; At, divinô prorsus ductu, insidiæ detectæ, & proditores qvamplurimi suppliciô affecti, Jesuitæ qvoqve & reliqvi Sacerdotes Pontificii, conscii nimirū sceleris, è regno ejecti sunt. *Meteran. lib. XXIV. Thuanus lib. CXXXI.*

Eô tempore Christianus IV. Daniæ Rex, Svecô & finitimis reliqvis belligerantibus, pacis fructus peramplos vidit; Siqvidem regnum ipsum non tantùm insignibus passim arcibus, ædificiis & scholis exornavit, sed Groenlandia qvoq; à Danis lustrata est. Inter Symbola industriæ & felicitatis Regiæ excellunt Arx Friderici II. (Fried-

richs-

richs-Burg) splendidè exornata, Christianopolis ad fines Sveciæ, in Bekingia, Tychopolis in Stormaria, & Christiania in Scania. Hamburgum qvoq; an. 1604. Regi, ut Holsatiæ Duci, homagium, magnô apparatu, præstitit.

Infeliciores verò Brunsvicenses tunc fuerunt, qvippe ab Henrico Julio ferè oppressi. Hic enim, majorum jura prætextens, primò insidiis, paulò pòst apertô bellô, contra civitatem egit. In supremo autem periculo cùm versarentur Brunsvicenses, undis afflicti, ventus aggerem, ab Henrico Julio, ad perniciē civitatis, in Onacro fluvio extructum, disrupit, & flumen undas, qvæ restagnaverant hactenus, resorpsit. Tandem bellum ad inducias, atq; inde ad arbitros, Cæsare imperante, deductum est. Odium tamen inter Principes & oppidanos altissimas radices egit.

In Muscovia circa initium hujus seculi res mira sanè accidit, qvæ Russis ac Polonis innumeris exitium attulit. Johannes Basilides, vernacula Russorum Ivan

Vasiolvvitz dictus, & bellis, cum Polonis, Svecis, Turcis ac aliis finitimis, diutius gestis clarus, an. 1584. obiit, relinqvens post se filios duos, qvorum alter Fœdor, alter Demetrius vocabatur. Et ille qvidem post Patris obitum Russiæ gubernator factus, hic verò insidiis Boris Gadenovv interemptus est. Mortuô Fœdore, Boris Magni Ducis accepit titulum. At Monachus qvidam, Griska Utrepeja dictus, Demetrium se esse ajebat occultatum in cœnobio, qvem Boris occisum putarit. Persvasum qvoq; Palatino Sendomiriensi, & per hunc Regi Poloniæ est, monachum hunc magni Ducatûs hæredem esse legitimum. Hinc, postqvam promiserat, se, Ducem factum, Religionem Pontificiam in Russia promoturum, instructus Polonicô exercitu in Russiam abiit, & oppida qvamplurima, favore nominis, & qvod Borisii tyrannidem aversarentur Russi, sine difficultate occupavit. Boris verò, rei novitate perculsus, subitò mortuus est, ejusdemqve filius, Fœdor Borissovvitz, successor Patris declaratus, in manus personati Demetrii traditus, ab eodem

eodem occisus est. Demetrius itaq; Russiam occupavit annô 1605. & seqventi annô Sendomiriensis filiam uxorem duxit. At, qvod à balneis, somnô meridianô, & aliis Russorum consvetudinibus, abstineret, autore Zuski, ipsis nuptiarum solemnibus, occiditur, cui tamen mox alius Demetrius, prioris impostoris induens personam, succedere laborat, occisis Russorum qvamplurimis. Russi itaqve videntes, recens à se electum Ducem, Zuski, Rempublicam parum feliciter administrare, Uladislaum, Regis Poloniæ filium, eligunt, qvem ad ipsum posteà repudiant, non sine ingenti damno; Dicuntur enim Moschorum interiisse ducenta millia, Metropolis ipsa combusta, arx direpta, & incredibiles thesauri in Poloniam abducti sunt. Successit tandem annô 1613. Michael Federovvitz, qvi præ reliqvis à clementia & pacis commendatur studio. *Vide Olearii Itinerar. Persic.*

Inter hos tumultus annô 1605. Clemens VIII. Romæ mortuus est, & posthabitis Cæsare Boroniô ac Robertô Bellarminô,

Cardinalibus, Alexander Medices, Leo XI. dictus, electus qvidē est, sed post XXV. dies decessit iterum; Successit itaq; Camillus Borgesius, qvi se Paulum V. nominavit, cujus tempore bellum inter Curiā Romanam & Venetorum Rempublicam, instinctu Jesuitarum, exarsit, hac occasione ferè, uti id è Bulla Pontificis apparet: Renovaverant Veneti leges qvasdam, fraudibus Jesuitarum oppositas, ut: *Bonorum immobilium alienationes in favorem personarum Ecclesiasticarum, sine Senatus licentia, fieri non debere; Ecclesias, monasteria, hospitalia, atq; alias religiosas domus, & pia loca, sine speciali licentia, erigere, illicitum fore, &c.* obtenderant item, *licere Duci ac Reipubl Ecclesiasticas quoq; personas, ob crimina commissa, carceri mācipare,* qvo jure in duabus personis Eccle-

clesiasticis usi erant. Hac de causa, dirâ excommunicationis formulâ, Venetos omnes, an. 1606. proscripsit Pontifex. Ad qvam excommunicationem Leonhardus Donatus, Venetorum Dux, cùm Senatu respondit: *Breve illud Pontificium esse injustum, indebitum, invalidum, irritum, & fulminatum illegitimè, & de facto, nulloq; juris ordine servato.* Cæterùm, qvod Jesuitæ hujus litis autores, Pontificis dicto parentes, varia molirentur, & ad seditionem excitarent plebem, Magistratus Venetus eos, ex omnibus ditionibus suis, ejecit. Tandem, post literariam pugnam Baronii & Bellarmini, ex una, Francisci Pauli Servitæ & Johannis Marsilii, ex altera parte, ad arma ventum est, opem ferentibus, Pontifici qvidem, Hispanis, Venetis verò, Hollandis. Galliæ Rex medias egit partes, & traditis à Venetis captivis, legum qvoqve executionem ultra Patrum instituta se extensuros in posterum non esse promitten-

tentibus, Jesuitis verò, denuò proscriptis, reconciliationis autor extitit. *Vid. Supplem. Saxoniæ Chytræi, pag. 119.*

Polonia non minus, ob pessimos Pontificiorum conatus, graviter percussa est. Jesuitæ enim, mortuô Zamoiscio, qvi eorum ausis hactenus obstiterat, Protestantibus struxerunt insidias, & occupatô Rege, ædem sacram Reformatorum, Posonii, incendiô deleverunt. Qvare à Nicolao Zebrzidovio & Jano Ratzivilio, indictis Nobilium comitiis, (à qvibus Rackosiani, id est, comitiales, appellati sunt) an. 1606. fœdus pro libertate initum est, qvod deinceps variæ clades secutæ sunt, non sine ingenti Svecorum commodô. *Thuanus lib. CXXXVIII.*

Sed & Lutheranorum res detrimentum acceperunt, qvando annô 1605. Calvinismus in Hassia vires sumsit, qvâ *occasione* Giessensis Academia, annô hujus seculi septimô, introducta est.

Uti verò in Hassia prævaluerunt Calvini asseclæ, ita in Belgio non parum turbatæ sunt eorundem Ecclesiæ. Siqvidem Jacobus Arminius, in Academia Lugduno-

no-Batava Professor Theologus, adversus horridam *Bezæ* sententiam, de absoluto geminæ prædestinationis decreto, & connexis articulis, disputare incepit, multosq; discipulos fecit, qvi deinceps ab an. 1609. qvô Arminius mortuus est, multas alias opiniones addiderunt, atqve à libello, cui nomen erat Remonstrantz/ Ordinibus Hollandiæ oblatô, nomen REMONSTRANTIUM acceperunt. Agitata Arminianorum caussa fuit non solùm à privatis Scriptoribus, Francisco Gomaro præprimis, (unde Contra-Remonstrantes Gomaristæ vocari consveverunt) Nicolao Vedelio, Petro Molinæo ex una, Simone Episcopio, Joanne Arnoldo Corvino &c. ex altera parte, sed etiam in publicis conventibus, Collatione Hagiensi, annô 1611. & similibus. Tandem annô millesimô sexagesimô decimô octavô Hollandiæ Ordines Synodum indixerunt Dordrechtanam, in qva Arminiani seu Remonstrantes condemnati & proscripti sunt. *Vide Petri Bertii orationem funebrem in obitum Jacobi Arminii, Acta Collationis Hagiensis, & Synodi Dordrechtanæ, ab utraque parte edita, Nicolai Hunnii Epistolam Dedica-*

dica-

dicatoriam ad Regiomontanos, Βαιεν. Theolog. de fundamentali dissensu doctrinæ Evangelico-Lutheranæ & Calvinianæ præfixa. Hoornbeck Summ. Controvers. Relig. lib. VIII. &c.

In locum Arminii, ab asseclis Ejusdem, vocabatur qvidem Conradus Vorstius, suspectus verò de Socinianismo & aliis fanaticis opinionibus, etsi Leidam cum familia sua jam venerat, à Belgii ordinibus; qves insuper Magnæ Britanniæ Rex Jacobus monuerat, nunqvam admissus est.

Eô tempore, qvô controversiæ de rebus fidei in Ecclesiis Belgicis, agitatæ sunt, tranqvillitatis spes Reipublicæ affulsit, qvippe cum navalem victoriam, sub Duce Jacobo Hemkerckio, in freto Gaditano à Belgis obtentam, secutæ sunt annô 1609. inter Hispanum & Provincias fœderatas, induciæ duodecennes.

At in Hungaria & finitimis regionibus novum exarsit bellum. Matthias enim Austriæ Dux, Cæsaris frater, pacem cum Botscajo Transylvaniæ Duce, & Imperator

Ru-

Rudolfus, cum Turca, vicennales inducias inierant; Qvare de aliis hostibus Matthias jam securus, Bohemiā cum exercitu ingressus est, cujus conatui Cæsar obsistere paravit. Tandem Ducis Saxoniæ interventu, pax inter fratres facta est, ut Archi-Duci Matthiæ Imperator, regnum Hungaricum & Ducatum Austriæ daret & subsidium ipsi mitteret contra Turcam. Bohemis qvoqve, Silesiis & Moravis, liberum Religionis exercitium idem Saxoniæ Elector, impetravit, Literis Majestaticis, qvas vocant, annô 1609. confirmatum, & à Matthia Austriaco, qvi annô 1611. consensu Imperatoris, Rex Bohemiæ coronatus est, repetitum.

Vix compositæ erant hæ lites, qvando novæ oriebantur. Nam Johannes Wilhelmus Dux Juliacensis annô eodem 1609. improles obierat, cui statim succedere pararunt Elector Brandenburgicus & Palatinus Neuburgensis. At Imperator Leopoldum Austriacum misit, qvi Juliacensem Ducatum tam diu gubernaret, donec de successione legitima conveniret. Varii exinde motus secuti sunt; nam & ex-

& exteri trahebantur in partes, Mauritio [illegible] opem Brandenburgico ac Neuburgensi ferente. Elector verò Saxoniæ pro se & universâ Saxoniæ domo feudum ducatuum Juliacensium, & finitimorum comitatuum, Pragæ obtinuit.

Dum verò Henricus IV. Galliæ Rex, expeditionem in alias terras, & forsitan, ut tumultui Juliacensi interesset, conscripto ingenti exercitu molitur, an. 1610. die 4. Maji, à Francisco Ravaillaco, extremæ dementiæ & impietatis homine, gemino ad cor ejus illato ictu cultri, necatur. Brulardus Cancellarius, cùm audiret Regem occubuisse, respondisse dicitur: *Nunquam mori Reges in Gallia: Henricô in casum dato, sta[illegible] Ludovicum, cujus saluti prospiciendũ non [illegible]; sed auctoritatẽ & consiliô. Principes, qua homines, sunt, vitâ destitui: Rempublicam æternam esse.* Successit itaq; in locum Regis occisi, *Magni* agnomine, Ludovicus XIII. filius, *Justi* cognomento, qui per ætatẽ (nam [illegible] annos tantum natus erat) gubernationi impar cùm esset, Maria Medicæa, novi Regis mater, regni Regens renunciata, & à sicario sumptum supplicium,

um, qvo candentibus forcipibus dilacerabatur, servatis in laniena hac interstitiis, infusoq; in brachia & humeros successivè sulphuris & plumbi liqvore, qvo per singula membra cruciaretur.

Etsi verò Sicarius neminem, criminis commissi conscium, allegaverit, eundem tamen per Jesuitarum hypotheses, ad parricidium committendum, inductum fuisse, nemo facilè dubitabit: Mariana enim, in libello de Regis institutione, pleraqve perperam de Summi Pontificis in Reges potestate, deq; subditorum obedientia scripserat; Qvod seditiosum scriptum pœnali judicio flammæ datum est. Damnabatur item iisdem diebus, Parlamenti Lutetiani placito, Roberti Bellarmini liber, qvem in Barclajum, de potestate Pontificis in temporalibus, pro insidiatoribus Principum, scripserat.

Parilem sortem Cæsaris Baronii Tomus Annalium XI. in Hispania experiebatur, ideò, qvod ejusdem autor Hispaniæ Regibus negarit esse in Siciliam jura, qvalia possident. Adeò lubricum est scribere de

Re-

Regum poteſtate, de Imperio & ditione ipſorum, ut regnent, ut jure vel injuria poſſideant. *Gabr. Barthol. Gramond, Hiſtor, Gall. l. 1.*

Hiſpaniam hoc tempore, qvæ alias expeditionibus bellicis, & freqventiſſimis in peregrinas terras miſſis claſſibus, ferè exhauſta erat, longe magis infreqventem fecit edictum Philippi III. Hiſpaniarum Regis, qvi annô 1609. publicô mandatô Mauros, ſeu novos Chriſtianos (qvos Moriſcos vulgò vocant) ex æqvo omnes, ſolis mancipiis exceptis, in æternum proſcripſit, hac ferè lege, ut intra triginta *dies* mobilia ſua bona vendant, & pretium illorum ſecum recipiant non in pecunia, auro, argentove, aut literis Cambii, ut loqvuntur, ſed in mercibus, qvas per leges evehere liceat, vel in fructibus regnorum Hiſpaniæ. Immobilia verò Maurorum *bona* in fiſcum ſuum redegit Rex. Conſtans fama eſt, tunc temporis, ex omnibus Hiſpaniæ regnis, nongenta millia hominum exceſſiſſe, ita ut multæ provinciæ penè exhauſtæ fuerint, & ruſticorum induſtriâ cultuq; deſtitutæ, adhuc hodiè langveat. Pro-

pter

pter hanc vastitatem Philippus IV. annô 1623. edictum publicavit, in qvo inter alia ea, qvæ seqvuntur, extant: (1) *Omnes, qui uxorem ducturi sunt, quatuor annos post nuptias celebratas, immunes erunt ab omnibus subsidiis, tributis, vectigalibus, aliisq; incommodis. Qui ante annum ætatis decimum octavum uxorem ducent, ab ipso matrimonii die, rerum suarum & uxoris, liberam administrationem sunt habituri; qui verò post vigesimū quintum ætatis annum uxorem ducent, his immunitatibus carebunt.* (2.) *Qui sex mares è conjuge sustulerint, qui simul in vivis sint, totô vitæ suæ tempore, immunitatibus supradictis gaudebunt, etiamsi posteà aliqvis liberorum moriatur.* (3) *Pauperibus certa quædam pecuniæ summa in dotem assignatur.* (4.) *Interdictum esto, ne quisquam cum tota familia, & bonis è regno migret.* (5.) *Alienigenæ, si Catholici sint, liberè in his regnis habitabunt.* (6) *Lupanaria publica quia conjugia impediunt, non toleranda &c. Vide Johannis de Laet Hispania pag. 101. seqq.*

Carolo Svecorum Regi, postqvam is Daniæ

Daniæ Regem sæpiùs lacessiverat, & naves in Livoniam atq; Borussiam tendentes interceperat, bellum à Christiano IV. per Fecialem, anno 1611. denunciatum est, qvod cruentum perqvam fuit. Calmariã enim, Sveciæ urbem, occuparunt Dani, trucidatis omnibus, qvi in arcem non confugerant. Paulò pòst urbs denuò occupatur, qvam Sveci receperant, & arx qvoq; in potestatem Daniæ Regis pervenit. Intereà Christianopolim occuparunt Sveci, & incendio urbem delerunt. Tandem, cùm Sveciæ Rex sæpiùs succumberet, Christianum IV, ad duellum indignabundus provocavit, qvòd consilium risit Daniæ Rex. Carolus itaqve, accedente ad senium mœrore, anno 1611. obiit, cui successit Gustavus Adolphus, egregiis factis suis immortalis, qvi anno 1613. pacem cum Daniæ Rege iniit, postqvam Calmariam receperat, &, titulo REGIS NORVVEGIÆ se in posterum abstinere velle, promiserat.

Eodem, qvo Carolus, anno Christianus II. Saxoniæ Elector, mortuus est, & successorem habuit fratrem germanum, Johan-

Johannem Georgium primum, Gloriosissimum libertatis Germanicæ propugnatorem.

Annô seqvente 1612. Rudolfus II. Imperator obiit, & in ejus locum electus est MATTHIAS Hungariæ & Bohemiæ rex, defuncti Imperatoris frater.

Acciderunt circa hæc tempora vehementissimi in Transylvania motus. Nam Gabriele Batoriô omnia tyrannicè agente, & Imperatori Turcico pariter atq; Romano parum fideli, proditione suorum interemtô, Bethlehem Gabor, qvi hactenus in exilio fuerat, annô 1613. Transylvaniæ potitus est.

Juliacenses & Clivenses turbas, qvarum anteà mentionem fecimus, mox aliæ secutæ sunt. Nam Wolffgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni Neoburgensis, qvi partem Ducatuum occupaverat, ductâ Maximiliani Bavariæ Ducis filiâ, Religionem Pontificiam amplexus est, institutô prius colloqviô inter Jacobum Heilbrunnerum & Jac. Kellerum Jesuitam. Qvô factô Philippus Ludovicus Pater, præ animi mœrore, mortuus est.

Circa eadem tempora Georgius Gvilhelmus Marchio Brandenburgensis, Johannis Sigismundi Electoris filius, Calvinianorum castra secutus est.

Sicuti cognati principes religione dissentiebant, ita etiam super possessione maternarum ditionum, non conveniebant. Neoburgicus qvidem muniebat Dusseldorpium, Marchio verò Brandenburgensis Juliacum: Illum juvabat Albertus Austriacus, hunc Mauritius Batavus.

In Thuringia an. 1614. Pseudo-Propheta exortus est, qvi matris suæ instinctu Emanuelem à Meden se vocavit, & pro Michaele, item substantiali Dei verbô haberi voluit, ministerium omne cum Sacramentis, Baptismo & Cœna improbavit, & alias impias opiniones defendere sategit. *Calvis. ad annum 1614.*

In Frisia Occidentali eodem anno Academia Groningensis aperta & introducta est, qvam primus omnium regere incepit Ubbo Emmius Historicus. *Videatur ipse, & Godfridi Hegenitii Itinerarium Frisico-Hollandicum.*

In Sabaudia & Mantuæ Ducatu bellum

ſum ab an. 1615. usq; ad annum 1619. geſtum eſt. Mortuo enim Franciſco, Mantuæ Duce, Ferdinandus Gonzaga, frater defuncti, è Cordinale miles factus, ditionem avitam occupabat, à qvo Carolus Emanuel Sabaudus repetebat filiæ ſuæ, qvondam Franciſco nuptæ, dotem & Montisferratenſem Marchionatum. Tandem poſt mutuas clades, pacem, Mantuanus & Hiſpanus ex una, Sabaudus ex altera parte, inierunt.

Diuturniores fuerunt Gallici motus, è qvibus conſtitit, Reipublicæ neceſſitatem vix aliam majorem eſſe, qvam ſub Rege, qvi per ætatis rationem ab aliis ipſe regitur; Principes enim Regio orti ſangvine, conqveſti; *Indigna pati ſe & confœderatos: Injurioſe habitum nuper Parlamenti Lutetiani zelum, cui ad Reges pro Republica acceſſus liber eſſe debet, & fuit ſemper: Inauditum contemptum, qvo per injuriam ſpre-*

ta monitiones augustissimi ad Regem suum Senatus: Violari fœdera Principes inter & Regem sanctè inita &c. ex aula abeunt, Condæus nempe, Nivernus, Mayenius, Longavillæus, & alii. Augebant Principum offensionem nuptiæ Regis, cum Anna Maria Mauritia Hispana Principe, & Philippi IV. cum Elisabetha, Galli sorore, dissentiente Condæô, initæ, & annô 1616. acceleratæ. Hæc origo bellorum civilium in Gallia fuit, qvæ Regis matri indignationem, Condæo captivitatem, Ancræo & *aliis* exitium attulerunt. *Videatur Gramond. l. 2.*

Per ea tempora movebatur in ulteriore Italia bellum Venetos inter, & Archiducem Ferdinandum, de terminis possessionis utriusq; partis, pax tandem, ob alias expeditiones, annô 1618. facta est.

In Germania verò, è tavillis, belli flamma, Brunsvicenses Duces inter & Brunsvicum oppidum, exuperare de novo cœpit, Fridericô Ulricô Duce oppidum gravissimâ obsidione cingente, in

qva

qva tamen è suis qvoqve desideravit plurimos. Pacem itaq; utrinq; inierunt, per tres seculares Electores, Daniæ Regem, & alios Principes impetratam, qvâ annô 1616. publicatâ, Brunsvicenses Duci suo, secundum Literas clientelares, Sacramentum dixerunt.

Annô 1617, in gratam memoriam, mirabiliter ante hos centum annos, ministeriô B. Martini Lutheri, restitutæ Evangelii lucis, ut Jubilæus peractus est, atqve id in regionibus singulis, qvæ fidem orthodoxam receperant. Intimavit tunc temporis Pontifex Romanus qvoqve Paulus V. Jubilæum, qvi, ut habet indictionis Diploma, Evangelicorum, qvos contumeliosè Hæreticos appellat, eversionem & Concordiam Principum, Pontifici Romano addictorum, intendit. *Videantur Acta Jubilei Lutherani à Saxonicis, Argentoratensibus, & aliis edita.*

Exceperunt Jubilæum annum ejulatus tricennales, cum annus 1618. is fuerit, qvô infeliciorem non vidit Germania. Origo belli Bohemici fuerunt tumultus. Pontificii enim, qvod Religionis libertatem, literis Majestaticis confirmatam

in Bohemia, Silesia, ac vicinis regionibus, multis modis læderent, Regni item Bohemici privilegia imminuere viderentur, ansam subditis dedere, de violentis mediis adversus injurias sibi illatas, cogitandi. Qvare indictis Comitiis, à Cæsare Matthia, & qvi consensu ejusdem, in Regem Bohemiæ coronatus erat, Ferdinando patruo, improbatis, qverelas & gravamina suis Consiliariis ac officiariis regni, Pragæ à Cæsare relictis, d. 13. Maji Evangelici exposuerunt. Cum verò superiorẽ judicii Præfectum Wilhelmum Slabatam, Jaroslaum Bazita à Mardinitz, aliàs Smesancium dictum, & Secretarium M. Philippum Platterum sibi reluctantes offenderent, apprehensos eos, per fenestras, è summa *Pragensi* arce, ad 27. ulnas, in pomærium raptim præcipitarunt, qvo casu tamen nullus dejectorum periit.

Cum facilè animadverterent Bohemi, Cæsarem pariter atq; Regem vehementer se læsisse, sub duce Matthia Turriano Comite, contra communes Dei, Regis, Religionis & Majestaticarum Literarum hostes

hostes sese strenuè pugnaturos esse, interposito juramento, promiserunt, atqve Ernestum Mansfeldium, cum veteranæ militiæ legione, à Duce Sabaudiæ paulò anteà dimissâ, asciverunt, qvibus cópiis *Pilsnensem* urbem expugnarunt.

Cæsar atq; Rex Ferdinandus haud segnitèr egerunt, sub Ducibus Henrico Julio Lauenburgensi, Saxoniæ inferioris *Principe*, Henrico Tampierio, Comite Bucqvojo, aliisqve, qvi aliqvoties cum Bohemis congressi sunt, jam victi, jam victores.

Illuxit hoc tempore insolens cœli jubar, Cometam vulgò vocant, è signo Scorpii, contra Signorum Seriem, in Septentrionem tendens & Booten fere totum perlustrans, de qvo varii à Mathematicis tractatus editi sunt.

Inter has turbas, anno 1619. d. 10. Martii Matthias Cæsar mortuus est, anno ætatis sexagesimo Secundo, in cujus locum Ferdinandus Secundus, Primi, è Carolo filio nepos, Bohemiæ & Hungariæ Rex jam anteà declaratus, Imperator electus est, Bohemis frustrà urgentibus, eum,

qvi Bohemiam minimè possideat, ne inter Electores qvidem tolerandum esse.

Postridiè qvam Cæsar creatus erat Ferdinandus, Bohemi regnum eidem Regæ abrogant, & Friderico Electori Palatino Regni diadema deferunt, qvi etiam, *instinctu*, uti nonnulli putant, conjugis suæ Elisabethæ, Magnæ Britanniæ Regis filiæ, regios spiritus dudum gerentis, id *facilè* accipit. Intereà Hungariam infestis signis ingrediebatur Transylvaniæ *Princeps*, Bethlehem Gabor, translataqve ad se coronâ Hungariâ, Principis Hungariæ sumsit titulum, atqve copias suas ipsis *Viennæ* moenibus admovit, majora ausurus, nisi Humanajus, Cæsarearum partium Dux, Transylvanos clade affecisset.

Dum bellum hoc anceps flagrare incipiebat, Catholici Principes, foedus inter se inizerunt, & militem conscripserunt, caputqꝫ exercitus constituerunt *Maximilianum* Bavariæ Ducem, & primum posteà in ea Ducum Bavariæ linea Electorem. Elector item Saxoniæ Joh. Georgius, gloriosæ memoriæ postqvam Fridericum Palatinū frustrà ad pacis consilia hortatus erat; à

Cæsa-

Cæſare ad id evocatus, exercitum in Luſatiam duxit, & utramqve ſubjugavit, Budiſſinorum imprimis inſolentiā urbis deletione ultus eſt. Ad hæc Ambroſius Spinola, congregatô è Belgis, Hiſpanis & Italis exercitu, Regis Hiſpaniarum juſſu, ipſū Friderici patrimonium, ſegniùs obſiſtente Joachimo Erneſtô Onoldinô, unionis Heilbronnenſis (qvæ vocabatur) Duce, diripuit.

Poſtqvam verò Bavarus univerſas vires Bucqvojo Comiti junxerat, Palatinus qvoqꝫ copias ſuas in Albo monte prope regni Metropolin Pragam eduxerat, ingens commiſſum eſt prælium, in qvo octo millia Bohemorum, duo Cæſarianorum periiſſe tradunt. Rex ipſe Palatinus neglectô diademate, & archivô, cum uxore, liberis & ſupellectile ſua in Sileſiam abiit. Dies erat VIII. Novembr. an. 1620. qvô in Eccleſiis Evangelium de reddendis, qvæ ſunt Cæſaris, Cæſari, exponebatur. *Cluver.*

Ingreſſus Pragam Ferdinandus Victor, facilè Bohemiam omnem recepit, cum qvo Sileſii qvoqꝫ in gratiam redierunt, confir-

matâ, ad Electoris Saxoniæ intercessionem, Religionis libertate. Palatinus verò & Anhaldinus, cum complicibus, proscripti sunt. Hi à Daniæ Rege aliisqve, auxilium petiere qvidem, at à nullo impetrarunt. Solus Christianus Brunsvicensis Halberstadensium Præsul, invitis aliis, conscripsit exercitum, eundemqve in ditionem Moguntinam duxit, Palatinô jam in Bataviam digressô.

Pactæ deinceps cum Transylvano induciæ veriùs, qvàm pacis perpetuæ leges sunt, Bucqvojô ad Nevvsolum occisô. Et Ferdinando Regium qvidem diadema concedebatur à Bethlehemo, qvi vicissitudinum humanarum memor, coronationem callidè distulerat hactenus, sibi verò Cassoviam, Tocajum, & alias civitates retinuit, atqve insuper Oppoliensem & Ratisboriensem, in Silesia, Ducatus, cum Principis Imperii titulo, impetravit. Sumtum posteà à qvamplurimis perduellionis supplicium est, inter qvos Joachimus Andreas Sliccius, Johannes Jessenius à Jessen, & alii fuerunt. Mansfeldius verò rescissis, qvæ cum Cæsarianis inierat, pa-

ctis,

ctis, Palatinatum inferiorem cum finitimis ditionibus, belli ſedem fecit, expertus ſæpè, atqvid cũſuo ingenti damno, belli nervum pecuniam eſſe, qvâ deſtituebatur tamen.

Dum hæc agebantur in Germania, varii motus Belgium exercebant; Nam Arminianorum factio jam arma meditabatur adverſus Mauritium, qvem anhelare Monarchicam poteſtatem tradebant. Sed Arminianorum conſiliis patefactis maturè, Barnefeldius, ſeptuagenario major, capite plexus eſt, Ledenbergius interemit ſe ipſum, Hugonem Grotium verò, perpetui carceris, cum Hogerbetio, damnatum, conjux ſua, aſtu incluſum ciſtæ, exportari cuſtodia, locariq; in tuto curavit. *Cluverus ad annum 1619.*

Marcus Antonius de Dominis Spalatenſis Archi-Epiſcopus, circa hæc tempora, Pontificiâ religione abnegatâ, Reformatam propugnare incepit, emiſſis de Republ. Eccleſiaſtica libris aliqvot. Cùm verò in Anglia verſaretur, Hiſpanicis ineſcatus pollicitationibus, Brûxel-

abiit, inde Romam petens, ut cum Pontifice rediret in gratiam, ibidem annô 1625. in carcere periit, & paulò pòst, unà cum libris suis, combustus est.

Poloniam annô 1621. vexabat Turca, qvi in Podoliam irruens, magnam edebat stragem, coactus tandem à Uladislao Regis filio hostis est, pacem æqvis conditionibus Polonis offerre. Fesunt ad duodecim millia Polonorum & Germanorum, è Turcis ad centum circiter millia, in certaminibus cæsa, totidem aliis casibus extincta esse. Pacis hæ præcipue Leges fuere, (1) *Constantinopoli Rex Poloniæ unum, more aliorum Regum, perpetuumq; Legatum habeto.* (2) *Utriusq; regni, imperiiq; subditis nullæ injuriæ inferuntor.* (3) *Commercia utrinq; licita & tuta sunto,* (4) *In VValachia nullæ militares copiæ manento.* (5) *Deserta camporum & inhabitata in similibus loca,*

loca, neq; Poloni, neq; Turcæ invadunto, adeunto, nisi venationis aut piscationis causa. (6) Nec arcem ullam, urbemve in iis condunto. (7) Si quid fortè damnorum Tartari inferant, Magnus Chamus reus apud Turcarum Imperatorem esto. (8) Ad VValachiæ principatum non nisi Christianorum lavacro tincti evehuntor, neque ulli, qui Muhametanæ Religionis admittuntor &c.

In Gallia Ludovicus XIII. svasû Pontificis Gregorii XV, & consiliô Johannis Armandi Richelii Cardinalis, gravem adversus Reformatos persecutionem instituit, qvi vicissim comitia generalia Rupellæ habuerunt & adversus hostes, ad qvorum libidinem à Rege judicari se conqvesti sunt, armis agendum esse decreverunt. Ortum itaqve bellum gravissimum est,

victoribus pariter atq; victis luctuosum, sed Rupellanis luctuosissimum, qvorum civitas, deficiente annonâ, tandem annô 1628. Victoris cessit arbitrio. Refert Gramondus L. XVIII. se vidisse Rupellanæ obsidionis in ænea tabella imaginem, in qva accuratè expressum fuerit, omne urbis capiendæ terrâ mariq; artificium. Hîc moles lapidea alveo transversalis, hîc ex submersis navibus scopuli, hîc repagulum fluctuans, hîc fossæ & munimenta circum urbem, hîc in utroq; littore distributa propugnacula, cum inscriptione, qvam manus Richelio Cardinali amica apposuerat.

LUDOVICO XIII. REGNANTE.
ARMANDO CARDINALE ADMINISTRANTE.
PRINCIPIBUS EUROPAEIS FRUSTRA IN GALLIAM CONIURATIS INIECTA OCEANO FRAENA.

RUPELLA CAPTA,
HAERESIS CONCLAMATA.

OBSTUPESCIS ET MIRACULI AUTOREM QVÆRIS?
NON EST UNIUS HOMINIS TANTUM OPUS.

DUO SUNT,

Ludovicus fecit. Armandus invenit.

Annô 1622. Philippus III. Hispaniarum Rex obiit, successorem nactus Philippum IV. sedecennem; Albertus qvoq; Austriæ Dux paulò post vitam finiit.

Cæterùm bellum Germanicum, devictâ Bohemiâ, continuatum nihilominus est, inde Tilliô Consalvô, cum funesto militum è Croatia genere; hinc Mansfeldensi, Brunsvicensi & Badensi exercitu rem seriò agentibus. Et si enim Bruxellis compositio tentata fuerit, tam lentè tamen omnia processerunt, ut Palatinus interim ditiones suas amiserit, Heidelbergâ vi, aliis oppidis deditione, captis.

Accessit ad Germaniæ calamitatem iniqva pecuniæ æstimatio, qvâ ærufcatorum neqvitiâ, nummi Imperialis valor, in non nullis locis, ad XVI. florenorum æstimationem elevatus est.

Et jam Electoribus qvoq; cum Cæsare conveniebat parum, qvippe qvi è ditionibus subactis, Protestantium Religionis

Præ-

Præcones, ex æqvo omnes, ejecit, frustrà deprecante Saxone, ne victoriæ præmium fieret Religionis Lutheranæ oppressio.

Offendebantur magis procerum Germaniæ animi, à qvo Ferdinandus in conventu Ratisponensi, annô 1623 Fridericũ, unà cum posteris suis, feudô imperiali, & Electoratûs dignitate privare conatus est, substitutô Maximilianô Bavariæ Duce. Etsi enim Elector Saxoniæ & Brandenburgensis, Regis item Angliæ Legatus urgerent, liberorum Palatini infantiam planè immunem esse à crimine paterno, si qvod commisisset Fridericus, prævaluit tamen Cæsaris sententia, qvia armis defendebatur.

Circa hæc tempora annô 1623. in vivis esse desiit Gregorio XV. Pontifex Romanus, ad qvem legationẽ splendidam, an. 1622. Rex Hispaniarum Philippus III. misit, ut decideret controversiam, magnô animorum conatu, & Ecclesiæ Christianæ scandalô inter Dominicanos & Franciscanos agitatam: Beata Virgo an cum peccato concepta sit, nec ne? At post longas tergiversationes atqꝫ moras, Legati hoc respon-

ſponſum à Pontifice acceperunt; *ſibi à Spiritu Sancto nondum revelatam eſſe categoricã hujus controverſiæ deciſionem*; Intereà præcepit omnibus, *ne in ſermonibus aut ſcriptis etiam privatis, aſſerere auderent, B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali: & ut in Miſſa & divino officio, publicè & privatim, omnes ſanctæ conceptionis nomine utantur*. At paulò pòſt Dominicanis indulſit idem Pontifex privatim inter ſe in Colloqviis diſſerendi poteſtatem de conceptione B. Virginis. Hic idẽ Pontifex ille eſt, qvi annô 1622. d. 12. Martii, ISIDORUM, Agricolam Hiſpanum, qvi vixit ante 450. & amplius annos, IGNATIUM, Autorem ſocietatis Jeſu, FRANCISCUM XAVERIUM, ſocietatis ejuſdem in India Apoſtolum, TERESIAM, Fundatricem Carmelitarum diſcalceatorum, ac PHILIPPUM NERIUM, Auctorem Congregationis Oratorii, unâ & eadem celebritate canonizavit, ſeu Divis adſcripſit. Succeſſit Gregorio URBANUS VIII. Senenſis, antea Maffeus Barberinus dictus. *Vide Luc.*

Wad.

Waddingi Legationis Hispan. descript. Vita Gregor. XV. Franciscus Carriere &c.

In Belgio duodecennalibus induciis finitis, bellum utrinqve restauratum est, ab annô 1621. sub Hispanorum Duce Alberto primùm atqve Spinola, Foederatorum autem, Mauritiô Uraniô. Anglus tunc temporis nutabat, qvod speraret conjugium Caroli filii sui, cum Hispana Principe, brevi futurum, atqve sic nepotes suos in avitas ditiones restituendos esse. Qvâ spe elusus, Henricam Mariam, Ludovici XIII. sororem, Carolus Jacobi VI. filius annô 1625. uxorem duxit, & Parens Ejusdem, magnæ Britanniæ Rex, adversus Austriacos & Foederatos Hispanos arma meditatus est, nepotibus suis opitulaturus. Decessit autem inter bellorum strepitus; laudatusqve sæpiùs Carolus successit.

Incendium Germanicum inter hæc qvotidiè augescebat, Tilliô enim & Alberto Friedlandiæ Duce, Visurgis fluvii ripam annonæ, & pecuniarum exactionibus vastantibus, tandem in societatem belli Daniæ Rex pervenit, qvi nuper, an-

nô nempe 1623. Soræ in Selandia novam Nobilium Academiam erexerat, pace felicior, qvàm bellô, cujus initium ominosum perqvàm fuit, Rege ipsô, Hamelienses lustraturô excubias, in foveam delapsô, & per triduũ inter moribundos habitô. Accessit ad Danicas & Saxonicas copias Mansfeldius Comes, qvi Mercurii instar inter Anglum, Gallum, & Batavos commearat hactenus. At qvod Danorum Rex non animi magnitudine, sed fortunæ favore destitueretur, & Cæsareani Jutiam, Stormariam atqve alias Regis Daniæ possessiones depopularentur, pace initâ 1628. ulteriori periculo se subduxit utraq; pars. Mansfeldius verò paulò antè per Silesiam & Hungariam grassatus, dum Venetias tendit, annô 1626. in Bosnia decessit, venenô, uti nonnulli tradunt, potatus.

Austriam tunc temporis tumultus agrestium turbarunt; Rustici enim supra Oenum, Austriæ superioris fluvium, arma sumserunt, jugum Pontificium, vel veriùs omne, excussuri. Sed cum Rusticorum more, id est, sine ordine, ageren-

tur

tur omnia, succubuerunt rebelles homines. Fugati tamen ab iisdem semel atqve iterum sunt Cæsarei & Bavarici milites, donec Papenhemius injurias hasce plenissimè vindicavit, & seditiosam oppressit plebem.

Cæterùm non sola Germania bellô tunc conflagrabat, sed etiam in aliis regionibus id exarsit, præprimis in Rhætia, valleq; Telinæ, Gallos inter, Venetos, Sabaudum & Hispanum. Genuenses qvoqve, qvod Hispanos juvarent, (semper enim studia Hispanis fuere Genuæ in partes suas trahendæ, qvoqvô modô.) Dux Sabaudiæ, cum Rege Galliæ, opprimere conatus est. Neqve Galli cum Anglo amicitia fuit sincera, qvod Confessionarius Reginæ sæpiùs in arcana regni inqvireret, jussus ob id, cum sodalibus, è Britannia exire. Ad id novi motus in Italia oriebantur. Vincentiô Mantuæ & Montisferrati Duce, sine liberis mortuô, & Carolô Nivernien si Gallô, ut agnatô proximô, hæreditatem adeunte. Hollandi deniqve an. 1628. duce Petro Petræô Heinio classem Hispanicam, qvæ vectigale ex Indiis argentum advehe-

bat,

bat, interceperunt, diu prædæ huic insidiati. Occuparunt iidem Cliviam, Sylvam Ducis, Vesaliam, & alia finitima oppida.

Gustavum Adolfum inter, Veciæ Regem & Sigismundum *Polonum* inveteratæ lites, eodem tempore, magno & inusitato ferè conatu agitatæ sunt. Huic enim victricibus Svecorum armis adimebatur Livonia tota ferè, Rigâ à Polonis frustrà denuò tentatâ. In Prussia item Sveciæ Rex, advectus octuaginta navium classe, jactisqve prope Pilaviam vallis, Brunsbergam, Frauenbergam, Elbingam, Mariæbergam, Strasburgum, &c. occupavit, usus in hanc rem inventis nuper à qvodam Elia Tripo, machinis coriaceis, qvæ perinde atqve æneæ, ignitos jaculantur globos. Tandem an. 1629. cum Poloni ut plurimum inferiores essent, ad instantiam Regum Galliæ & Angliæ, Electoris item Brandenburgici, induciæ in sexennium initæ sunt, retentâ à Sveco Livoniâ, cum qvibusdam urbibus Prussiæ, ut Elbinga, Memel &c.

Cæsa-

Cæsariani, freqventissimis abusi victoriis, insolenter omnia agebant; Ducibus Megapolitanis, Adolfô Friderico & Johanne, Albertô, nec auditis qvidem, perduellionis tamen damnatis, Albertus Fridlandiæ Dux, omnes Megapolitanas ditiones occupaverat, ad hæredes suos transmittendas. Pomeraniâ in solitudinem conversâ propemodum, sola Stralsundia Cæsarianis obluctabatur, repetitis acerrimis oppugnationibus invicta. Accessit tandem ad depopulationes promiscuas, in qvibus nec amici nec inimici habebatur ratio, edictum Cæsareum, Ecclesiasticorũ impulsu promulgatum, de RESTITUENDIS BONIS OMNIBUS ECCLESIASTICIS, atq; dignitatibus, post pacificationem Passaviensem, per septuaginta qvinq; annos, à Protestantibus principibus occupatis. Augustæ, Mindæ, Tremonæ, & aliis locis Augustanæ Confessionis socii ejiciebantur; Doctores Ecclesiæ, & inter hos Theodorus Thummius Tubingensis Theologus, Zeamannus, & alii, ob AntiChristum, in papatu notatum arresto Cæsaris detinebantur. Jesuitæ Dillingenses classicum canebant, & per-

& persvadere conabantur Cæsari, Doctrinam Protestantium hodiernam dissentire ab Augustana Confess. an. 1530. Carolo V. exhibita; Itaq; Principes Protestantes, & Status Evangelicos hodiernos non esse pacis religiosæ participes, cujus fundamentum sit Augustana Confessio. Frustrâ seditiosos Jesuitas, editis Pupillâ Evangelicâ, defensione ejusdem, & aliis scriptis confutabant Saxonici, qvod perniciosi homines nullas rationes admitterent. Serenissimum Saxoniæ Ducem Augustum, Electoris filium, postulatum Archiepiscopum Magdeburgensem remotum, & Leopoldũ Wilhelmum Cæsaris filium, in locum ejus suffectum volebant Pontificii. Ex his & aliis seditiosis Pontificiorum conatibus plerìq; Germaniæ Proceres Evangelici certiores fiebant, præmium exantlati pro Cæsare laboris, Bonorum amissionem vel exilium fore,

Uti verò mala consilia plerumqve in Consultoris vergunt perniciem, ita & Romanensibus tunc evenit, excitatô è Septentrionis angulo, qvi afflictis afferret

ret ſuppetias. Nam Guſtavus Adolfus Sveciæ Rex, pactis cum Polono induciis, in Germaniam tendebat, opitulaturus tum aliis Germaniæ Proceribus, qvi amiſſam lugebant libertatem, tum Stralſundiæ incolis præprimis, qvi tutelam potentiſſimi Regis imploraverant hactenus. Indicitur itaqve Cæſarianis à Rege Sveciæ bellum novum. Cauſæ belli hæ ferè allegabantur: *(1.) qvod Regi Poloniæ, qvamdiu Svecorum hoſtis fuerit, ſubſidiarios milites Cæſar miſerit, qvi regem Poloniæ ad belli continuationem animarint: (2.) Qvod Legati Regis Sveciæ, contra jus Gentium, ad Lubecenſes Danico-Cæſarianos tractatus non admiſſi, ſed contumelioſe rejecti fuerint. (3.) Qvod conſangvineos, confœderatos Regis & Religionis ſocios, Cæſar proſcripſerit, occupatis eorum ditionibus. (4.) Qvod commercia per mare Balthicum impediantur, à Cæſaris milite, Fridlandio portentoſum illum, MARIS BALTHICI GENERALIS, titulum ſibi arrogante, & Cæſareis piraticam, in mari Balthico, paſſim exercentibus. (5.) Qvod Stralſundiam civitatem, atq; finitimas, injuſtè oppreſſas ſine pacto-*

ctorum violatione, Cæsariani militis tyrannidi amplius permittere nequeat &c. Videatur Balthasaris Henckelii tract. de Bello tàm protectitio, qvàm vindicatorio Gustavi Adolphi.

Decreto semel à Svecis bello, primus impetus in Rugiæ insulam & finitimas fiebat; Qvibus occupatis, & adventante insuper Regis classe, Pomerania subacta est. Bogislaus enim, Stetino dedito, pacē cum Sveco iniit, & auxilia eidem, in tuenda utriusque ac Imperii libertate, promisit; Cui vicissim Svecus, se Pomeraniam tueri tantùm velle, neqvaqvam suo sceptro subjicere, pollicitus est.

Agebantur circa hæc tempora Ratisponæ comitia, ad alendum exercitum veriùs, qvàm restituendam pacem, à Cæsare indicta. In his ipsis Bellorum flammæ Romanenses oleum infundebant, bonorum Ecclesiasticorum restitutionem armis urgendam esse svadentes. Neqve multò pòst Christiano Wilhelmo, Archiepiscopatus Magdeburgensis administratore, in urbem reduce Parthenopolis, qvæ

 vulgò

sis, qvæ vulgò Magdeburgum dicitur, obsidione cincta est.

Etsi verò neqve Sveciæ Rex, neqve Saxoniæ Elector, neqve obsessi ipsi credidissent facilè, urbem, munitam satis, in hostiũ potestatem brevi redigi posse, arcanô tamen Dei consiliô, inclyta urbs crudelitatis Romanensium argumentum fieri debuit, qvando X. Maji die anni 1631. non sine proditionis suspicione, à Cæsarianis vi capta & expugnata est. Dubitasses, utrum horrenda urbis clades commiseratione magis, an victoris insolentia indignatione, dignior sit. Agebant enim victrices copiæ non ut homines cum hominibus, sed ut bestiæ crudeles secum invicem agere consveverunt. Nulla hic ætatis, nulla sexûs imbellis habebatur ratio. Victoria autoribus ignominiosa erat, qvod patefieret tunc, miseros victos qvidem, at victores miserrimos esse, & ne miserandos qvidem, ut qvorum flagitia inter trophæa numerabantur. Occisorum numerus exactè non innotuit; qvàm plurimis igne absumptis, cujus vehementia Cæsarianis prædam, incolis vitam, cum melioris fortunæ spe, omni-

ninò sustulit. Testantur tamen, qvorum inculpata in recensendis rebus gestis fides est, ultra viginti duo millia occisorum cadavera in Albim projecta esse, ne elementi hujus testimoniô careret crudelitas.

Dum Cæsarianæ copiæ in oppugnanda civitate occupatæ erant, Sveciæ Rex, auxiliis Anglicis receptis, Pomeraniam totam subegit, captisqve Gustroviâ & Sverinô, Megapolitanos Duces restituit. Hostem verò persecuturus, à Brandenburgico Electore, cujus sororem Mariam Eleonoram Rex ante decennium, annô nempe 1620. duxerat, duo fortissima munimenta, Custrinum & Spandoviam, petiit, & ab ancipiti atqve difficili ad tempus impetravit. Cognitô Regis adventu, Godofridus Henricus, Comes Papenheimius, qvi cineres eversæ urbis custodiebat, Johannem Tserclaeum, Comitem de Tilly, Exercitus Cæsarei & Catholicæ unionis (post exauctoratũ Fridlandiæ Ducem,) Generalem, ab excidio, qvod Hassiæ intendebat, statim

ad se redire postulabat, ut cladis nempe particeps fieret, per ingruentes noctu Svecos in castra Cæsarianorum, acceptæ.

Convenerant eodem annô 1631. Protestantium Status qvidam, deliberaturi, qvid imminente Germaniæ, à truculento Cæsaris milite, ruinâ faciendum sit amplius; Post matura consilia tandem singulis placuit, militem conscribendum esse, & adversus vim injustam ditiones Principum Evangelicorum defendendas, neqꝫ permittendos in posterum subditos suos hostium libidini.

In eodem conventu, præter deliberationes, res civiles concernentes, *unionem* Ecclesiarum tentarunt utriusqꝫ Electoris, Saxonici & Brandenburgensis, Theologi qvidam, habitô inter se privatô, de articulis fidei controversis, colloqviô, *cui* è Lutheranis interfuerunt D. Matthias Hoe, Electoris Saxoniæ Concionator aulicus, D. Polycarpus Lyserus & D. Henricus Hopfnerus, è Calvinianis D. Johannes Bergius, D. Johannes Crocius, & Theophilus Neubergerus, qvæ actio in mense Martiô instituta, uti merè privata fuit, ita hâc clausulâ obsi-

obsignabatur: Ut omnia acta, majorem, haberentur qvasi non acta, neqve alterutra pars sine alterius Consensu evulgaret qvicqvam.

Etsi verò conventus hujusmodi secum invicem Catholici Principes instituerint sæpiùs, neqve scopus ejusdem vel Imperii legibus vel æqvitati contrarius fuerit, traducebantur tamen Evangelici, ac si fœdus adversum Cæsarem inierint. Qvare, frustrà calumniam hanc deprecante Saxoniæ Electore, Cæsaris exercitus nihilominus, vastatâ Thuringiâ, Misniam ingreditur, &, occupatô Martisburgensi oppidô, Lipsiam obsidione cingit, jocularibus, ut ajunt, additis dicteriis, *Se virginem Parthenopoli seu Magdeb. accepisse, Lipsiam vestitum debere, Witteberga consecrationem peragendam, & Dresdæ nuptiale convivium celebrandum esse.*

In tanta calamitate, qvod Cæsar Evangelicorum precibus non moveretur, unicum in armis præsidium supererat; qvô Serenissimus Saxoniæ Elector uti tandem compulsus est. Initô itaqꝫ cum Sveco fœdere,

dere, atque hujus exercitui prope Wittebergam concessô in alteram Albis ripam transitu, die VII. Septembris, non procul ab Emporio Lipsiensi, cruentum committitur prælium, Cæsarianis Mariam, pro more, invocantibus, & Symbolô hôc: MARIA JESU conjuncta, utentibus, Saxonicis verò atque Svecis, uni DEO se committentibus; nam NOBISCUM DEUS eorundem erat tessera. Vidisses tunc temporis agonizantis Germaniæ, pro libertate, vita & salute sua, conatus. Palatino Electorale diadema dudum ademerat Cæsar. Saxo & Brandenburgicus Victoris insolentiam jam experti erant. Svecorum copiis vel solô nomine, qvod peregrinæ, internecionem minabantur, hostes. At triumphavit tandem, post ancipitem conflictum, bona Electoris & confœderatorum causa, fugatô Tillii exercitu, & Præfectô ipsô vulneratô. Ferunt ex utraqve parte cecidisse X.V. millia. Victores post hæc ita secum invicem convenerunt, ut Sveciæ Rex superiorem Germaniam, Elector Saxoniæ, post recuperatam Lipsiam, Silesiam & Bohemiam sibi devincendas sumerent.

Utro-

Utroqve autem victricia arma passim circumferente, Pontificiæ Religioni addicti Principes de novo cogitarunt exercitu, cui præficitur denuò Albertus Wallensteinius, Fridlandiæ Dux, socios nactus Jacobum Gallasium, & Sultzensem Comitem. Tillius qvoq; laceras collegit copias qvidem, at vulnere, annô seqvente, ad Lycum, acceptô, Ingolstadii decessit. Tandem, post varias clades, Cæsariani milites Electoris Saxoniæ ditiones aggressi sunt, Henricô Holkiô, Nobili Danô, & hostilis Exercitûs Tribunô, agrum Dresdensem vastante, & Lipsiam denuò occupante. Qvare Sveciæ Rex, de Saxoniæ periculo certior redditus, acceleravit suppetias, & prope Lutzenam oppidum, per duo milliaria à Lipsia distantem, hostem offendit. Committitur die 6. Novembris, anni 1632. post dispersas nebulas, cruentum prælium, in qvo Rex ipsemet, animosè certans, acceptis aliqvot vulneribus, incertô tamen autore, ne qvis facinoris gloriam aucupari posset; occubuit. Victoriam nihilominus Evangelici obtinuerunt, qvi, ne inultum

periisse Regem paterentur, magnam Cæsarianorum ediderunt stragem, & Pappenheimium, aciem instaurantem, cum Abbate Fuldensi, qvi spectandi gratiâ accesserat, neci dederunt, hostemq́ę è Saxoniæ Electoris ditionibus expulerunt. Commentata interim Axelio Oxensternio, Regni Sveciæ Cancellario, Christinæ, filiæ Regis septennis, cura est, exercitum verò gubernavit Bernhardus, Dux Vinariensis, incomparabilis Heros.

Eôdem 1632. annô Elector Palatinus Fridericus, qvi oblatam sibi Majestatē regiam acceperat, (unde malorum omnium origo) mortalitatis explevit leges, relictis decem ex Elisabetha Britannica liberis impuberibus, qvorum nomine frater Friderici, Ludovicus Philippus, regimen suscepit. Poloniæ item Regi Sigismundo mortuo successit Uladislaus filius.

In Germania bellorum cura primaria erat; Perseqvebantur enim Svecorum copiæ & Electorales Saxonicæ fugitivum hostem, datis hinc inde atq́ę acceptis qvoqve cladibus. Intereà Albertus, Fridlandiæ Dux,

Dux, qvem Wallensteinium vulgò vocant, defectionem à Cæsare meditabatur, vel qvod desideraret Bohemiæ coronam, vel qvod sui exauctorationem metueret, é defensore proditor factus. Infelix tamen hic ausus fuit, & in pernitiem cessit perduellium. Annô enim 1634. die 15. Februarii, Dux Fridlandiæ, Tertskius, Kintzkius & alii, Egræ ad cœnam vocati, interempti sunt omnes, Leslæô, vigiliarum Præfectô, cum Hybernis & Scotis suis, uti nonnulli tradunt, excidii hujus autore. Attulerunt iidem Ducis Fridlandiæ conatus, proditi jã, Francisco Alberto, ejusdemq; Fratri, Henrico Julio, Ducibus Saxoniæ, diuturnam captivitatem, illô ad conventum Egranum properante, hoc verò eam ob causam, pro criminis sociô à Cæsarianis habitô, qvod Alberti frater esset.

Confirmatæ porrò Cæsaris partes sunt Nordlingensi victoriâ, qvam anno 1634. nactus, Horniô ipsô, Svecorum Præfectô, & Cratziô, qvi Ingolstadii nuper Præfectus fuerat, à Cæsarianis ideò occisus, in acie captis. Cecidere tamen è Cæsarianis qvoqve non pauci, Octavius Aldobrandi-

nus nempe, Magnus Prior militiæ Melitensis, Sylvius Piccolomineus, aliiqve. Cæterùm acceptam calamitatem Protestantes qvidam consiliis Bernhardi, Ducis Vinariensis, adscripserunt, qvem svasisse referunt, ut prælio decerneretur.

Postqvam Status imperii, Religioni Pontificiæ addicti, animadverterunt, violentiâ expugnari non posse generosos animos, æqviores tandem pacis conditiones Electori Saxoniæ, nomine Statuum Evangelicorum in arduo illo negotio occupato, proposuerunt. Summa erat, intestino Germaniæ bello, victis pariter & victoribus exitioso, finem maturè imponendum esse: Ordinatis rebus plerisqve, uti an. 1627. die 12. Novembr. fuerant; à Maximiliano tamen, Bavariæ Duce, & Linea ipsius Wilhelmiana, Electoratum Palatini retinendum, viduæ Friderici restitutâ dote, & Filiis ejusdem præbitô alimentô. Megapolitanis qvoqve Ducibus regiones avitas promisit Cæsar, si hanc pacem probaverint, necnon Ducibus Brunsvicensibus Wolfferbytum, qvibus simul mandatum, ut qvater centena millia Imperialium Tilliæ-

nis

nis solvant hæredibus. Decretum insuper est, ut consentientes in hanc pacem vires & consilia conjungerent, qvò exercitus peregrinus, Svecorum imprimis, ex Imperii finibus ejiceretur, sive transactione pacatâ, sive apertâ vi, à *Cæsaris & sacri Romani Imperii Exercitu* (hic titulus erat Copiarum) adhibendâ. Conclusum deniqve est: Pacificationem hanc inter Cæsarem & Electorem Saxoniæ, pro toto Imperio initam, in nullum Imperii aut Statuum ejus præjudicium, vel exemplum etiam, cessurum esse, & qvod necessitas jam postulasset ita fieri, deinceps non nisi in generalibus Imperii conventibus perficiendum &c. His ipsis conditionibus, & similibus qvibusdam, Pax Pragæ inita est annô 1635. die 26. Maji, & paulò posteà publicè proclamata.

Etsi verò Sveci à transactione ista non omninò excluderentur, indignè tamen secum actum esse conqvesti sunt, cùm Protestantium rem tantis incrementis auxissent, & ipsissimum Regem etiam, pro Germaniæ salute fortissimè pugnan-

tem, amisissent in pugna. Qvare Pragensis pax illa nova bello ansam dedit, in Comitiis Stockholmiensibus decreto, in qvo Cæsaris & oppressas Germaniæ partes Serenissimus Saxoniæ Elector defendendas unà suscepit. Imperatori verò & Hispaniarum Regi bellum indixit Galliarum Rex, Ludovicus XIII.

Insimul Polonum inter atqve Sveciæ Status induciæ, prius initæ, ad viginti sex annos usqve prolongabantur, restitutis Poloniæ regno civitatibus, qvas, in Prussia præsertim, Sveci anteà retinuerant. Friderico, Regis Daniæ filio, Episcopatus *Bremensis* offerebatur, & Augustus, Saxoniæ Dux, Archi-Episcopus Magdeburgensis, annô seqventi, solenniter introducebatur. Belgæ cum Hispanis acriter de summa rei disceptabant, Bredam & alia munita oppida occupantes, Augusta tamen Trevirorum, unà cum Electore, ab Hispanis capta est. Ferdinandus III. Secundi filius, evehebatur in soliũ Romani Imperii, parente an. 1637. d. 15. Februarii, mortuô, adversus qvam electionem atq; coronationem Carolus Ludovicus Palatinus protestabatur.

Ducum

Ducũ Pomeraniæ linea, post successionẽ septingentorum annorum, in Bogislao XVI. eodem annô finiebatur. Poloniæ Rex cum Cæcilia Renata, Ferdinandi III. sorore; & Johannes Georgius II. Saxoniæ Dux, Dominus noster clementissimus, cum Magdalena Sibylla Brandenburgica nuptias celebrabant. Brisacum, Germaniæ claustrum, occupabat Bernhardus, Vinariensium Dux, cui Rex Galliæ aurum & milites commodabat. Sed paulò pòst, annô nempe 1638. ex hac vita decessit Heros ille belli gloriâ & rerum feliciter gestarum magnitudine clarissimus. Inter Persiæ Regem & Holsatiæ Ducem per Legatos de commerciis agebatur. Deniq; inter Svecos, Cæsaris & confœderatorum cohortes prope Demitium & Witstochium, in Pomerania item, & passim alibi, acerrimè pugnatum est.

Hispanorum res tunc temporis non parum afflictæ erant. Nam Cataloniæ principatus, claustrum atq; munimentum Hispanici Imperii contra Gallos, ob sævitiam

militis, qvi ibidem hybernaverat, cùm remedium aliqvod ex aula frustrà sperassent Subditi, tandem ad Gallos defecit, præeunte Barcelonâ, munitissimâ civitate.

Accessit ad calamitatem hanc Lusitanorū defectio, qvi excitati, ut perduelles Catalonos opprimerent, & Olivario Pro-Rege segniùs agente, arma adversus Regem Hispaniæ arripuerunt, substitutô in locum Philippi IV. Johanne IV. è domo Bragantina, (qvæ, per multas affinitates, veterum Lusitaniæ Regum Prosapiæ conjuncta erat,) oriundo. Secuti sunt continentis exemplum Atlantici & Indici Oceani *Insulæ*, qvas nomine Regis Portugalliæ Hispanus possidebat. Confirmarunt qvoq; novi Regis potentiam fœdera, qvæ cum Belgis, Gallis & Anglis iniit. Felicitatem verò turbabat non parum, qvod Edvvardus, novi Regis frater, Viennæ captivus detineretur. Accidit mutatio hæc an. 1640.

Cæterùm Galli lætitiam, qvam è detrimento hostis sui Hispani capiebat, motus in

in regno orti minuebant. Lotharingiæ enim Dux in Gallorum castris se in posterum pugnaturum Lutetiæ promiserat qvidem, magnis ob id acceptis muneribus, at paulò pòst Cæsarem secutus est. Augebat vicissitudines Joannis Armandi Cardinalis, Ducis Richelii, mors, qvo nemo majora unqvam in Galliis ausus est, nemo majora, sub auspiciis regiis, bella gessit, & sub qvo maxima foris res Gallica accepit incrementa; captâ propemodum Alsatiâ omni, Lotharingiâ domitâ, Cataloniâ in ditionem Gallorum redactâ, Belgiô Hispanorum territô, & validissimis aliqvot ejus civitatibus expugnatis. *Boxhorn.*

Cardinale annô 1642. mortuô, Rex ipse Ludovicus XIII. diu superstes non fuit, nam & ipse annô 1643. die XIV. Maji, (qvô ante annos XXXIII. Henricus, pater ejus, à Sicario confossus est) fato concessit; Successorem nactus filium primogenitum, Ludovicum XIV. cui, tres annos circiter nato, sacramentum qvidem dixerunt subditi, & matrem intereà pro Regente declararunt; Nihilominus gravissimi

motus

notus interni, qvod fieri solet sub Rege ninorenni, Galliam turbarunt.

In Germania armorum strepitus non-lum cessabat. Etsi enim Ratisponæ, anno 640. & seqvente, haberentur comitia, vix am aliud qvidē tunc qvidē peragi potuit, vàm qvod Monasterium, & Osnabru-um, Westphaliæ civitates, ad transactio-iem destinatæ fuerint. Interea Sveci arma ıa victricia passim circumferebant, Lam-ojum, hyberna in Germania qværentem, æsô ejus exercitu, an. 1642. ceperunt; *Si-sam* sub novo copiarum Rectore, Leon-ardô Torstensohnio, vastarunt, *Francis-ô* Albertô, Duce Lauenburgicô, prope vviniṫium victô & lethaliter vulneratô. Ilmizium, Moraviæ metropolim, ab Italo vodam Miniato malè defensam, sine dif-cultate occuparunt. Tandem an. 1642. lventante hyeme, in agro Lipsiensi, ven-ım est ad prælium, in qvo Sveci superio-s fuerunt. Atqve Cæsaris copiæ, sub Du-bus Leopoldo Wilhelmo, Cæsaris fratre, Octavio Piccolomineo, Comite de Ara-nia, à Svecis cæsæ partim, partim captæ & fugam actæ sunt. Culpa in eqvitatum

con-

conjecta est, qvi prærapidâ fugâ usus pedestrem aciem hostis permiserit arbitrio. Cladem hanc seqvebatur paulò pòst & arcis primùm, pòst & urbis Lipsiæ deditio. Freiberga, Hermundurorum civitas, fodinis metallicis celeberrima, diutius obstitit, & victorem frænis coërcuit, usq; dum, Cæsarianis denuò adventantibus, victo similis, obsidionem solvere coactus est.

Incidit in annum 1644. mors Urbani VIII. Pontificis Romani, qvi, postqvam per XXI. annos Pontificatum gesserat, & confirmaverat Ordinem Eqvitum Gloriosæ Conceptionis Immaculatæ Virginis, Jubilæum etiam celebraverat, & Andream Corsinum, Nobilem Florentinum, Carmelitam & Episcopum Felusanum, an. 254. ab ejus obitu, adscripserat Divis, consecraverat etiam Ecclesiam Vaticanam, pluries renovatam à Pontificibus, & multa alia gesserat, annô ætatis septuagesimô septimô, decessit. Successorem nactus Innocentium X. Romanum, dictum Pamphilium, Jansenismi oppugnatorem, uti posteà dicetur. *V. Francisci Carriere Historiam Chronologicam Pontificum Romanorum.*

In-

Inter hæc novæ in Holsatia turbæ orie-bantur; Bellum enim Hamburgensibus à Rege Daniæ denunciabatur, qvod multiplici injuriâ affecisse Regem & subditos ejusdē dicerentur. At solutâ pecuniæ summâ pacem redimere Hamburgenses maluerunt, qvàm armorum vim experiri. Neqve tamen hac ratione composita est Holsatia. Nam paulò pòst adversus Daniæ Regem, relictâ Saxoniâ, arma subitò movērunt Sveci, allegantes causas seqventes ferè: Qvod Daniæ Rex diceretur fœdus *cum* Moscho & Polono, in perniciem Svecorum, iniisse; item, qvod in freto Danico portoria seu vectigalia pro lubitu *augeret*, non sine ingenti cōmerciorum detrimento, & pacti olim initi violatione &c. Qvare Rex ipse, qvi componere Germaniæ res cogitabat, dubio implicatur bello, Torstensohniô Holsatiam & Jutlam, Hornio domesticô milite, Hallandiam, *classe* ve[illegible] navali Bornholmiam insulam invaden[illegible] & qvamvis hæc ipsa, à Danica classe, fug[illegible] ta, atqve Dux Flemingus occisus fuerit, paulò pòst tamen, Batavis, ob commune[illegible]

nav[illegible]

navigiorum causam, Svecis opem ferentibus, prope Femeram, Danica classis succubuit, multis demersis, aliqvot captis, cæteris in fugam actis navibus, qvæ Victoria Carolo Gustavo Vrangelio, Svecorum Præfecto, ingentem peperit gloriam.

Qvô tempore de maris Dominio Danum inter atq; Svecum pugnatum est acriter, Transylvaniæ Princeps, Ragotzkius, in Hungariam movit, Protestantibus opitulaturus, qvi injurias à Romanensibus patiebantur, & occupatâ Cassoviâ, aliisq; oppidis, receptis item Turcicis copiis, victor extitit, Buchemio & Getzio, Cæsaris Ducibus, inter se dissentientibus, & altere alteri parere detrectante.

In Bohemia non minus Cæsaris res calamitosæ erant; commissô enim, Pragam inter & Pilsenam, cum Svecis prælio, in qvo Getzius occubuit, Hatzfeldius captus est, Viennæ, Cæsaris sedi, terrorem incussit, Torstensohnius, ut Conjugem Cæsaris, & qvæ cuiq; carissima,

in

in Stiriam Carinthiamqve avehere timor jusserit.

Utut autem annô 1645. Austria, Ducatus Bremensis & alia loca, militum experta sint ferociam, præ reliqvis tamen eundẽ felicem æstimamus, qvod eo ipso Transylvanum inter atqve Cæsarem lites compositæ sint, pacificâ transactione initâ, qvæ Cæsari qvidem parum emolumenti afferre videbatur, sed necessitati tamen erat cedendum. Porrò Daniæ Rex exemplum Transylvani subitò secutus est, factâ, ad instantiam Statuum Regni, Bromsebroensi pace, & Svecis fines Regnorũ, vi hujus conventionis, ampliantibus. Ad hæc Saxoniæ Elector, Cæsare ipsô non abnuente, inducias cum Svecis iniit; qvod exemplum an. 1647. Bavarus secutus est, territus armorũ Svecicorum, sub Duce Vrangelio, (in locũ Torstensohnii, podagrâ & aliis morbis confecti, cæterum famæ saturi suffecto) felicitate. Nec enim Germaniæ tantùm, sed Italiæ ipsi exitium minabantur eadem, patefactis Brigantinis Alpibus, & Duce Eschero, cum multis aliis, in ripa lacûs Acronii, captis. In-

Intereà Thorunii, qvæ Borussiæ civitas est, autoritate Regis Poloniæ, de rebus fidei, colloqvium institutum, & eodem anno 1645. cœptum est, Lutheranos inter, Reformatos ac Pontificios. Et Confessus qvidem Augustanæ Confessioni invariatæ addicti Director, Theologus de universa CHRISTI Ecclesia meritissimus, Dn. D. Johannes Hulsemannus fuit, Wittebergâ ad id evocatus. Ex parte Reformatorum verò Johannes Bergius, Ecclesiastes Brandenburgicus, primas tenebat, socium nactus D. Georgium Calixtum, sed cum illa protestatione, se in materia Sacramentaria, de Prædestinatione, & aliis doctrinæ Christianæ capitibus, cum Reformatis non facere. Pontificiorum deniqve cœtui præerat Georgius Tuszkievviez, Episcopus Samogitiæ. Cæterùm felici eventu hoc institutum caruit; Neq: enim ad rem perventum est, nedum; ut adversarii, errorum convicti, eosdem rejecerint, & pacem in veritate nobiscum inierint.

Qvo tempore Religionis dissidium componi voluit Poloniæ Rex, eodem ferè auctum est; Anno enim 1646. occasione dispu-

ne disputationis cujusdam de prædestinatione, Respondente Johanne Latermannô, in Regiomontana Academia propositæ, & à B.D. Cælestino Mislenta publicè impugnatæ, ab extraordinariis verò Professoribus ibidem, D. Michaele Behmio & D. Christiano Dreiero defensæ, infelicissimæ turbæ in Ecclesiis Lutheranis excitatæ sunt, culpâ Helmstadiensium Theologorum qvorundam, à qvibus dogmata sua Latermannus hauserat, qvem etiam, ut discipulum suum, Calixtus defendere conatus *est*, neglectis Orthodoxorum freqventissimis admonitionibus & precibus etiam. Accessit erroribus reliqvis Synergistica Conradi Horneji disputatio *de summa Fidei nō qualislibet, sed qua per Charitatē operatur, necessitate ad salutem*, in qva Auctor Majoristicam phrasin: *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, defendere conatus est. D. Georgius Calixtus etiam Dissertationem de qvæstionibus: *Num mysterium sanctissimæ Trinitatis solius veteris Testamenti libris possit demonstrari; & num*

ejus

jus temporis Patribus Filius Dei in propria suâ hypostasi apparuerit, cum appendice, itemqve fanatica scripta alia ingenti cum scandalo edidit, ita, ut demonstratum sit ab Orthodoxis Theologis, non in paucioribus, qvàm LXXXIIX. Punctis, à doctrina Ecclesiæ, γνησίως Lutheranæ, Novatores Helmstadienses recessisse, atqve ideò nec dignos amplius esse, qvi Lutherani dicantur. *Confer Consensum Repetitum à me vindicatum.*

E Calixtinorum Scholis Syncretistæ innumeri egressi sunt, qvi Ecclesiam Lutheranam afflixerunt magis, qvàm professi ejus hostes. Imprimis verò Rintelenses qvidam Theologi, in Colloqvio, qvod cum Calvinianis Marpurgensibus annô 1661. mense Juliô, Cassellis habitum est, ita cum Adversariis Orthodoxæ Fidei transegerunt, *ne altera pars alteram propter dissensum in qvæstionibus residuis traducat, convitiis proscindat, aut damnet, sed*

ſed ſe mutuò ſincerâ & fraternâ charitate complectantur; Utriq; parti addicti etiam ad hoc disponantur, quò ſe invicem pro ejusdem veræ Chriſti Eccleſiæ Catholicæ membris, veræq; & ſalvificæ in Chriſtum fidei Conſortib. atque vitæ æternæ cohæredib. agnoſcãt: quod duraturæ Pacis & Concordiæ Eccleſiaſticæ ſtabiliendæ & conſervandæ verum medium & firmiſſ. vinculum futurum ſit. Quod ut tantò felicius procedat, de hoc quoque convenit, paſtores utriusq; partis controverſias iſtas pro cõcione tractare non debere. Quod ſi textus aut alia neceſſitas exigere videatur, ut ipſum dogma

tan-

tangatur & explicetur, non nisi summa cum modestia id fiat, dissentientium nulla fiat mentio, nullum ipsis verbum duriusculum excidat, quô ex eo si apud plebem fiat, minus acerbè eorum sententia exagitetur, non affingantur aliena, consequentia non agnita non imbutentur, sed simplex solum veritatis declaratio & confirmatio ex Scriptura proferatur, eaque præcipuè spectent verbi divini præcones, ut populum quæstionibus difficilioribus & captum ejus superantibus non turbent &c. *Vide Relationem de hoc colloquio editam, & Wittebergensium Epicrisin de eodem.*

Inter Pontificios non minus intestini motus oborti sunt, occasione quæstionis,

de Auxiliis & modo operandi gratiæ divinæ. Nam Cornelius Jansenius, Yprensis in Flandria Episcopus, ordinis Præmonstratensium, scripsit de *OEconomia gratiæ* tomos tres, qvibus Augustini titulum præfixit, ideò, qvod Augustini (cujus scripta omnia decies, de Gratia verò & Libero Arbitrio tricies legisse dicitur) sententia genuina in iisdem contineatur. Damnat hic Scriptor tum in genere SCHOLASTICAM THEOLOGIAM, vulgò sic dictam, qvod in eadem Epicuræa, Platonica & Pelagiana dogmata proponantur, *tũ in specie* in Scientiæ Mediæ autores SVAREZIUM, FONSECAM, MOLINAM, LESSIUM &c invehitur, ipse verò plerasqve Calvinianorum opiniones suas facit, & ex Augustino deducere conatur, *Gratiam operari irresistibiliter, esse particularem, etiam ex intentione Dei antecedente; nullam esse sufficientẽ nisi quæ*

actu

actu secundo beatitudinem consummat, Christum pro omnibus hominibus mortuum non esse &c.
Prodiit Scriptum hoc bienniô post autoris obitum, an. 1640. & non tantum à privatis Scriptoribus, Dionysio Petavio, Isaaco Haberto, Antonio Richardo, Francisco Annato, Petro de S. Joseph, Philippo de Sanctissima Trinitate, Ripalda, Brisacerio, Sebylle & aliis oppugnatum est, sed Urbanus VIII. qvoq; Bullam an. 1641. edidit, in qva libros Jansenii damnavit, qvod cōtineantur in iisdem phrases, à Pio V. in Michaele Bajo Lovaniensi, an. 1567. damnatæ. Repetiit hanc constitutionē Innocentius X an. 1653. idemq; postea fecit Alexander VII. Enimverò Jansenium defenderunt Libertus Fromondus, Successor Jansenii in Cathedra Lovaniensi, Curio, Parisiensis Theologus, & Sorbonistæ pleriqve, Archi-Episcopus item Mechliniensis, Belgii Primas, cum reliqvis Episcopis & Provinciæ Generalibus, Bullam Pontificiam ob- & subreptionis arguit; ediderunt item Jansenii fautores *de-*

fensionem Belgarum, contra Evocationes & peregrina Judicia, item: *Jus Belgarum contra Bullarum Pontificiarum receptionem,* qvæ conjunctim imprimi curavit Pseudonymus qvidam, qvi se NUMAM SEDULIUM vocat.

Sed nec Calvinianorum Ecclesiæ intestinis turbis caruerunt, ortâ præter Supralapsarios, & Suplapsarios, novâ, Hypotheticorum Sectâ; Hujus autor Johannes Camero fuisse dicitur, interpolator verò præcipuus Moses Amyraldus, qvi in *libro de Prædestinatione*, *Specimine*, & aliis, universalitatem Gratiæ divinæ asseruit qvidem, explicatam verò hoc modo: *Deum velle omnes homines salvos fieri, si credant, nolle autem eis dare, ut credant.* Qvæ sententia, cum principiis, à Calvinianis vulgò receptis, adversa sit, oppugnarunt eandem Fridericus Spanhemius, Andreas Rivetus, Petrus Molinæus & alii, tanta cum vehementia, ut Autorem ejusdem accusarint *misericordiæ divinæ conspurcatæ*

risui

risui exposita, & in immane crudelitatem atq; injustitiam mutata. Amyraldus vicissim hostes suos *capitales & irreconciliabiles inimicos Gratiæ Christi* vocat. Pax eqvidem inter partes, autoritate Principis Tarentini, confirmata videbatur; At Johannes Dalæus, editâ Apologiâ pro Alensoniensi, annô 1637. & Carentonensi, annô 1645. celebratis, de hac causa, Synodis, litem hanc de novo reliqvis Calvinianis intendere est ausus.

E Calvini Schola prodiit ante paucos annos ISAACUS PEYRERIUS Gallus, è famulitio Ducis Condæi unus, qvi librum, variis erroribus refertum, de PRÆ-ADAMITIS edidit; homines ante Adamum extitisse asserens, & huic hypothesi impias opiniones superstruens; Impressus qvidem sacerrimus liber annô 1654. demum, ac diu antè in Belgio visus est; cùm per plures annos, in condendo hoc scripto, autor laborarit. Cæterùm Autore Bru-

xellis annô 1656. captô, & in carcerem detrusô, libertatem suam, ejuratione sectæ Calvini, & Libri de Præ-Adamitis execratione, recuperare coactus est. *Vide Ejusdem Peyrerii Epistolam ad Philotimum annô 1658. editam.*

Redimus ad historiam rerum in foro gestarum. Turcicus Imperator, conscriptô copiosô milite, qvem universus timebat Christianorum Orbis, subitò & nulla belli denuntiatione prævîâ, an. 1645. Venetorum invasit ditiones, & Caneam, *portu* & munitionibꝰ celebrē insulaCreta oppidum, post bimestrem obsidionem, *nec non* alia Insulæ ejusdem fortalitia, *iisdem* ademit, variis cladibus hinc inde acceptis. Candiam tamen veterem, Metropolim nimirum Insulæ, fortiter in hunc diem usqꝫ Veneti defendunt. Ejusdem belli exitus qvis futurus sit, ignoramus, fausta qvævis, invictæ Reipublicæ, qvæ tam immani hosti per tot annos fortiter obstitit, ex animo precantes.

De Hispanis dictum est anteà, uti Cataloniam omnem ferè atqꝫ Portugalliam amiserint; in Flandria feliciores non erant,

ſtant, Grevelingâ & Duynkerkâ, nobiliſſimis portubus, à Gallis, ope Batavorum, captis. Maximè omnium periculoſi erant Siculi & Neapolitani motus, circa annum 1647. oborti. In Sicilia qvidem, Proregum Hiſpanorum ſuperbiâ, aucta vectigalia, tributa, aliaqvè onera, qvibus opprimi, penitusqve extingvi libertas, rapinæqve ac prædæ eſſe, & publicæ omnium, & privatæ ſingulorum res ac fortunæ, videbantur, Marchioni Vileſio, qvi genti huic, Pro-Regis titulô, tunc præerat, exitium dubio procul attuliſſent, niſi is diplomatis ſtatim vulgatis, de tollendis vectigalibus, tributis, & oneribus adeò omnibus, ac eorum, qvæ per tumultum geſta erant, oblivione oblatâ, pacem impetraſſet. Neapolitani, cognitô eô tam lætô motuum in Sicilia fine, iisdem de cauſis, adverſus Rodericum Pouzium, Ducem Arcoſæ, Proregem, arma ſumſerunt, autore turbarum Thoma Aniellô, Amalfiô, vulgò Mariô Aniellô dictô, qvi piſces capiendo vendendoqve alere fa-

miliam hactenùs consveverat. Centum & qvinqvaginta hominum millia fuisse dicuntur, à qvibus, imperante Aniellô, impunè ferro flammisqve, non ædiculæ saltem, in qvibus vectigalia solvebantur, cum omnibus literis, rationariis, mercibusq;, exustæ sunt, sed aliqvot palatia eorum, qvos vulgus oderat, cum omni supellectile, vastata ac eversa funditus sunt, sumptis atrocissimis de principibus civitatis viris suppliciis, qvi libertati hactenùs adversati dicebantur; coactô etiam Prorege, ut eidem in postulata plebis consentiret. Cæterùm, qvi Pater Patriæ & liberator patriæ salutabatur Aniellus, ignarus sui & prioris abjectissimæ conditionis, violenter agebat omnia, incendia Neroniana in urbe imitabatur. Tandem amentiâ fatalis ipse se omni potestate exuebat, & eqviti Neapolitano Fonsecæ, mandabat, ut Marmoreis tabulis hæc inscribenda curaret: *Aniellus, Princeps Duxque populi Neapolitani, mandat Neapolitanis omnibus, [illegible], ut posthac solius Ducis [illegible] Regis [illegible] excipiant.* Ita è piscatore Rex, è Rege nullus, immissis percussoribus, desertus ab omni-

mnibus cæsus est, capite, Regis sesqvihebdomadarii, à Lanione cultrô abscissô. Galli frustrà Regnum Neapolitanum hac occasione occupare cogitaverant, missô Gvisiô Duce, ne deesset populo rebelli, cujus imperio gubernaretur. Sed subeunte paulatim Neapolitanorum animos belli tædiô, nomine Regis Hispaniarum in gratiam, ad officiũ redierunt subditi. Gvisius autem in fuga captus ab Hispanis est.

Annus 1648. dignus omninò est, cujus perpetua conservetur memoria, & qvi in Annalibus aureis literis notetur. Etsi enim eodem arx Pragensis cum civitatis parte qvadam, ex insidiis (qvarum autor Ottenvalschius fuisse dicitur) à cohortium Svecicarũ Ductore, Königsmarckio nempe, capta fuerit; Etsi item pòst excessum Uladislai IV. Regis Poloniæ, inter fratres Johannem Casimirum & Carolum Ferdinandum, de successione in regnum, per eligentium suffragia, initiò non satis convenerit, mox tamen pacata sunt omnia, & regnum Poloniæ cessit Johanni Casimiro, ut natu majori, qvi etiam Uladislai fratris viduam, Louysam Mariam Nivernienſem,

qvam is paucis ante obitum annis duxerat, consensu Pontificis, conjugem accepit. At Germaniæ res omnium felicissimæ fuerunt, initâ & confirmaâtMonasterii paçe Belgas inter & Hispanos, qvi per integrum seculum ferè secum invicem, adversis signis, conflictati erant, neqve soli iidem, sed universa Europa propemodum in belli consortium adscita & implicata. Obtinuerunt tandem, pro qva arma sumserant, Belgæ, libertatẽ, & Leopoldus Wilhelmus, Archi-Dux Austriæ, jam adversus Gallos duxit exercitum, qvi paulò antè fœderatas afflixit provincias. Sed *nec reliqva* Germania infelicior fuit, qvando in eodem Monasterio - Osnabrugensi conventu, transactio pacifica, Cæsarem inter, ejusdemq; confœderatos, ex una, Svecos verò & armorum socios, ex altera parte, cõsumata est. Pacis leges, qvæ inter partes sancitæ sunt, Instrumentum, publicè editum, omnes edocet. Præter Amnestiã injuriarum veterum, ut pauca dicam, Octavus in Germano Imperio Elector, (ne vel Maximiliani Bavari, vel Friderici Palatini, posterorum

rorum conditio esset deterior) tunc primũ placuit. Sveci, præter ingentem pecuniæ summam, magnam Pomeraniæ partẽ cum Bremensi Ducatu obtinuerunt, Brandenburgico Electori, ad qvem Pomerania Jure hæreditariô pertinebat, Episcopatibus qvibusdam assignatis. Cæsar verò, & qvi castra ejusdẽ seciti sint, occupatas ab hoste civitates atq; regiones receperunt. Nemo non è Germaniæ halcyoneis ingens percepit gaudium, præter unum Romanũ Pontificem, Innocentium X. qvi tùm per Nuntium ad Procerum Europæorum conventum destinatum, Fabium Chisium, non semel protestatus est, pacem hanc, cum maximo Sedis ac Ecclesiæ Romanæ damno initam esse, tùm, editâ de hac re Bullâ, ostendit satis, qvàm dispar sit Pontificis atqve Divi Petri doctrina, qvorum hic ad amorem mutuum, ille ad odia perpetua, auditores suos hortatus est.

Cæterùm, qvicqvid ad consummationẽ Pacis Germanicæ faciebat, id omne in Cõventu Norinbergensi, annô 1650. & seqventi, Legati Statuum expeditũ dedêre.

Afferebant tunc temporis, quô de pace agebatur, Hornhusanæ aquæ sanitatem aliis, aliis accelerabant mortem, prout diversa erat diversorum corporum constitutio, quam cùm attenderent perpauci, non poterant non funera miscere sanis.

In Regno Daniæ Christiano IV. Gloriosissimæ memoriæ, an. 1648. successit filius FRIDERICUS III. Archiepiscopus olim Bremensis; (cujus Frater Christianus V. natu major, turbatô mortalitatis ordine, annô 1647. decesserat. Fratrum minimus Ulricus, an. 1633. sicariô globô, in Silesia trajectus, occubuit.) Is post bellum Svecicum finitum annô 1661. die 17. Octobris, Regnum Daniæ, & quæ ad idem illud pertinent, hæreditariô jure non tantùm ad Sobolem masculam, sed, deficiente hâc, ad fœmininam etiam transmittendum, ab omnibus Regni Danici Statibus accepit.

Annô 1650. mense Octobri, CHRISTINA, Gustavi Adolphi filia, ab Archiepiscopo Upsaliensi, in solenni ordinum regni conventu, coronata quidem est, sed annô 1654. regnum simul atque Religionem

Evan-

Evangelicam, pro qva optimus Parens, ad mortem usq; pugnaverat, abdicavit; Successorem nacta CAROLUM GUSTAVUM, Gustavi Adolphi, è Sorore Catharina, nepotem, Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Ducem &c. qvi hactenus exercitûs Svecorum per Germaniam Generalissimus fuerat, electus annô 1650. Svecorum, Gothorum & Vandalorum Princeps hæreditarius. Christina postea Romam abiit, & à Pontifice magnificentissimô apparatu suscepta, nec non, post ejuratam orthodoxam Fidem, Sacramentô Confirmationis, qvod vocant; signata est.

Cæterùm, qvanta Germaniæ nostræ, restitutâ pace, fuit felicitas, tam infelices ex adverso Britannici fuerunt motus, qvi CAROLO I. exitium, ejusdem Filio, CAROLO II. multorum annorum exilium, aliis ignominiam, & Auctoribus funesti facinoris æternum opprobrium attulerunt. Prima hujus mali origo, à discrimine & conflictu Episcoporum in Anglia, & Non-Conformistarum, seu Puritanorum, meritò deducitur.

citur. Cœpta nimirum sub HENRICO VIII. Reformatio est in Anglia, qvæ tamen non tam Doctrinam, qvàm Personam Papæ, concernere videbatur. Huic enim Primatûs titulus derogatus, & Regi ipsi, CAPITIS ECCLESIÆ cognomen, appositum. EDOARDUS, Successor Henrici, ope *Knoxi, Hooperi, Martyris, Buceri* & similium, ipsam etiam fidei doctrinam immutare aggressus est; Sed cùm ille an. 1553. nondùm sedecim annos natus, decesserit, MARIA, qvæ seculi sui Alecto dici consvevit, Papatum in Anglia instaurare omnibus viribus conata est. Huic an. 1558. mortuæ Soror altera, ELISABETHA successit, cujus jussu proscripti iterũ Papicolæ sunt, & ad eam formam omnia revocata, qvam sub Eduardo habuerant, id est, retenti sunt Episcopi, qvi ad nutum Reginæ, qvicqvid ad Ecclesiam pertinet, gubernabant; Cærimoniæ etiam receptæ sunt, qvæ Reformatis aliàs non placent, ut *genuflectio in Cœna Domini, Usus Baptismi & Eucharistiæ in privatis ædibus, celebratio festorum*

ultra

ultra dies Dominicos, & id genus alia, qvæ ut reliqvias & characteres Papatûs ii aversabantur, qvos *Puritanos* appellabat, itemqve *Non-Conformistas*, atq; hi Episcoporum imprimis autoritatem volebant abolitam, qvod libertati conscientiarum adversa videretur. Episcopos Regina defendebat; Cum Puritanis è plebe plurimi faciebant, sed regiâ potestate territi, qvietè tamen vivebant. Elisabethæ an. 1602. ætatis 70. regni 45. in cœlibatu mortuæ, successit JACOBUS VI. Rex Scotiæ, Margaritæ, Sororis Henrici VIII. qvæ Jacobo IV. Scotiæ Regi, nupserat, Pronepos, qvem MAGNÆ BRITANNIÆ REGEM vocarunt, qvod tria Regna, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, obtinuisset. Sub Jacobo igitur Ecclesiarum Status idem ferè permansit, qvi sub Elisabetha fuerat, nisi qvod ritus qvidam, olim liberi, necessarii fieri inceperint, qvod multò magis, sub CAROLO I. qvi annô 1625. Parenti suo successit, factum est, inprimis, qvando Rex Formulam Rituum, sub nomine LITURGIÆ edidit, usus in hac re *Guilielmi Laudi, Episcopi Cantuariensis*,

riensis, operâ, cujus temporibus totus ferè Papatus, qvoad doctrinam & ritus, in Anglia reductus dicitur, unde *Laudus* ille illaudatum nomen meruit. Scoti igitur opposuerunt se acrius; & Librum, *Liturgiæ* adversum, sub Titulo, HARMONIÆ CONFESSIONUM, ediderunt, qvem armis etiam adversus Episcopos & Regem ipsum, annô 1639. defendere cœperunt, Edenburgum inprimis, Scotiæ metropolim, ejectô Regiô milite, suæ factioni addictis copiis munientes trahentesq; in societatem armorum Anglos etiam, qvorum major pars episcopis invidebat, ferebatqve ægrè, qvod in Reginæ Gratiam, Henriettæ Mariæ, Henrici IV. Galliæ Regis filiæ, Pontificii Doctores liberalius haberentur. Et qvamvis, ut sopirentur hæ turbæ, Parlamentum seu Conventum Procerum Angliæ, an. 1641. indixisset Carolus, exacerbati tamen magis Puritanorum animi sunt. & Scoticum potius approbarunt fœdus, qvàm ut Regiæ autoritati consuluerint. Imò, cùm Parlamentum ita stabilitū esset, ut etiam Regis voluntate non posset dissolvi,

solvi, omnia pro arbitrio ejus sunt decreta, & inter hæc *Thomas Wentvvort*, Comes Staffordiæ, ac Hiberniæ Pro-Rex, ad supplicium capitis condemnatus est, cui sententiæ Carolus Rex, invitus tamen, subscripsit; Decollatus igitur Comes Staffordiæ est annô 1641. die 22. Maji, & Idem expertus supplicium *Wilhelmus Laudus* an. 1645. die 10. Januarii. Non parebat amplius Regio mandato miles, sed Parlamenti nomine *Thomas Fairfax* illi imperabat; Portus arcesqve occludebantur Regi, & Soboli ejus. Vectigalia & portoria Parlamentum ad se trahebat, ne huic deesset rerum gerendarum nervus, pecunia. Et qvamvis Rex vim vi opponere pararit, asseclas tamen, præter paucissimos, præsertim Religioni *Pontificiæ* addictos, atq; ob id vulgo exosos, non habuit, ut ita multitudine & armis prævaluerint, qvi Regi erant adversi, inprimis, postqvam Eboracum urbem, à Parlamentariis obsessam, liberare Regius miles infeliciter tentaverat.

In his igitur angustiis constitutus Angliæ Rex, cùm videret, Oxoniam, qvæ sola adhuc regiô præsidiô tenebatur, defendi à se vix posse, ad Scotorum castra transiit, qvos æqviores erga se futuros esse sperabat, qvoniam in Scotia lucem primùm viderat, & à Regibus Scotiæ descendebat. Enimverò Scoti, acceptâ à Parlamento Anglicano pecuniâ, tradiderunt Regem Anglicanæ militiæ, eâ lege, ut conditionibus æqvis cum ipso transigerent, eundemq; in dignitatem priscam restituerent. Sed alia omnia evenere. Accusatus enim Carolus, qvod Parlamenti autoritatê, excitato *bello* civili, abolere voluerit, & peregrinum induxerit militem, nec non alia indigna bonô Principe egerit, à Judicio Sangvinario, seu novo Justitiæ Tribunali (qvod dicebatur) è rebellibus & seditiosis hominibus, qvi INDEPEDNENTES appellantur, (qvoniã ipsi à nullo, sed omnes alios à se dependere volunt) intercedentibus frustrà Scotorum, Belgarum & aliorum Principum Legatis, ut Tyrannus & hostis Patriæ ad supplicium capitis condemnatus, & an. 1649. Febr. die 9. more Anglicanô, securi percussus est.

est. Qvod fatum etiam experti sunt Regiis partibus addicti. Proles Regia proscripta deinceps, & fractis Sigillis priscis, constitutoqve STATUS CONSILIO, cujus Princeps erat OLIVARIUS CROMVVELLUS, nova Reipublicæ forma indroducta, cusaqve moneta moneta est, cujus inscriptio: RESPUBLICA ANGLICANA. Subacti deinceps Hiberni sunt, profligatô *Ormundô*, Regii exercitûs in Hibernia Duce. Et qvamvis Scoti Carolum II. Regem proclamarint, eundemq; è Belgio ad se vocarint, coronarintqve Schonæ annô 1650. die II. Januarii, eodem tamen annô, superatô cæsoqve novi Regis exercitu, prope Vigornium, vix evasit exitium Carolus, qvod Cromvvellus ei decreverat, qvi per eandem victoriam novam Reipublicæ formã suamq; autoritatem non parum confirmavit, ut annô 1653. in Comitiis publicis, ANGLIÆ, SCOTIÆ & HIBERNIÆ RERUMPUBLICARUM PROTECTOR appellatus fuerit. Et qvamvis Anglorum & Scotorum plurimi Regiis partibus essent addicti,

tan-

tanta tamen Cromvvelli fuit astutia, ut conatus eorundem omnes inanes reddiderit. Immò bella etiam extra Britanniam gerebat, cum Batavis primùm, qvibus liberiorem & qvæstuosam navigationem invidebant Angli, & cum iisdem Duce *Blaeckio*, non procul ab Hollandiæ littore, an. 1652. navalem habebant pugnam, in qva Batavorum Archithalassus *Trompius* periit. Mox cum Barbaris Africanis, Gallis deinceps & Hispanis etiam, inimicitias exercebat, plerumqve, in expeditionibus suis, felicitate majori, qvàm æqvitate, usus.

Annô demum 1658. mortuô *Cromvvelliô*, etsi filius ejusdem *Richardus* magnæ Britanniæ Protectoris titulum accesserit, & *Henricus*, filiorum alter, Hiberniæ præfecturam, inclinare tamen Seditiosorum res visæ sunt, inprimis, postqvàm *Georgius Monckius*, contra Lambertum & similes, CAROLI II. causam strenuè & feliciter agere incepit. Pertæsi igitur Angli tyrannidis Cromvvellianæ, an. 1660. in pristinũ statum omnia restituerunt, & maximâ cum pompa Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem salutarunt. Annô verò seqvon-

qēvte 1661. *Cromwvellii, Iretonii & Bradshawii* cadavera inventa, da locum, suppliciis destinatū, tracta, suspensa, dilacerata deniqve sunt, capitibus aulæ Westmonasteriensi impositis. Hic exitus fuit motuum Britannicorum.

Dum hæc in Britannia agebantur, Polonia, belli flammis undiqve irruentibus, conflagravit ferè. JOHANNE CASIMIRO enim vix ad regiam dignitatem evectô, Cosacci & Tartari, durum genus hominum & atrox, Duce *Bogislaô Chmielnicio*, in Poloniam irruptionem fecerunt, & qvod numero prævalerent, (trecenta enim millia fuisse referunt) magnas ediderunt strages. Annô igitur 1649. contra eos Rex Poloniæ, exercitu non tàm copiosô, qvàm forti progressus, vicit qvidem Barbaros & confœderatos eorundem, atq; petentibus pacem, dedit eam; sed cùm Regni Hostes nihilominus exitium minarentur omnibus, an. 1651. non procul ab oppido *Beresteczko* per triduum integrum pugnatum est. Fractæ tandem Cosaccorum & Tartarorum vires sunt, qvam ad viginti millia eorundem peri-

periissent, & impetrarunt Cosacci denuò pacem, qvam humillimè petierunt. Enimverò nec eâ ratione acqvieverunt seditiosi homines, qvin potius, ruptis Comitiis Polonicis, ortisqve Regem inter & Nobilitatem Poloniæ, ob sententiam adversus Cancellarium Regni minorem latam, simultatibus, Podoliam denuò annô 1652. infestis armis ingressi sunt.

Intestina igitur Polonorum inter se bella contemplatus Magnus Moscoviæ Dux, ALEXIUS MICHALOVVITZ, qvi annô 1645. parenti suo, *Michaeli Fedorovvitz*, successerat; veterum injuriarum memor, *Ducatum* Smolenskiæ non tantū invasit, sed universam propemodum occupavit *Lituaniam* & *Vilnam*, celeberrimum emporium, anno 1655. excidit penitus.

Hanc Poloniæ calamitatem comitabatur alia, æqvè gravis. Pacti nempe annô 1635. Stumdorfi, Sveci cum Polonis inducias erant, ad annos 26. sancitâ primariâ hac lege, *ut durantibus induciis Reges, regnumq; Poloniæ, ab omni hostilitate abstineant,*

adver-

adversus Reges, Regnumq́; Sveciæ, eisq́; mediatè vel immediatè subjectas provincias, castra, civitates ac territoria, nec qvicqvã per se moliantur, aut tentent tentarive faciant, in horũ detrimentum, aut præjudicium. Hanc legẽ malè à Polonis servatam esse, conqverebantur Sveci, allegantes BOTII & CRACKOVII expeditiones, nec non tentatam fidem subditorum Regni Sveciæ in Livonia, & id genus alia. Annô igitur 1655. è Pomerania in Poloniam movit CAROLUS GUSTAVUS Sveciæ Rex, tantâ felicitate, in expeditione hac, ab initio usus, ut *Cracoviam* ipsam sui juris fecerit, & qvicqvid Poloniæ Regi in Prussia paret, exceptô Dantiscô, expugnarit. Sed qvæ fortunæ inconstantia est, paulò pòst, non justô qvidem præliô, sed ex insidiis hinc inde, aliqvot Svecorum millia Poloni neci dederunt, imprimis Duce *Zarnetskiô* hostes suos undiqve oppugnantes. Tandem an. 1656. prope Varsaviam atrociter pugnatum est, qvod certamen nox diremit.

Neq; verò Svecos inter Polonosq; tan-

tùm

tùm bellũ illud gestũ est, sed alii insuper & diversi, diversas partes secuti sunt. Elector enim Brandenburgicus, FRIDERICUS WILHELMUS, Regem Sveciæ juvabat, cui etiam mille Scotos *Cromvvellus* miserat. Ex adverso Batavi, missam in mare Balthicum, classem, prope Dantiscum consistere jusserunt. Russi etiam copiosô exercitu, in qvo centum & octoginta millia numerasse dicuntur, Livoniam aggressi, Rigam arctissimè obsederunt. Deniqꝫ Imperator Romanus aliqvot militum millia, Duce *Hatzfeldô*, in subsidium Polonis misit.

Ivit etiam in dubiam servitii *imperii*qve aream GEORGIUS RAGOTZIUS, Transylvaniæ Princeps, qvando cum qvadraginta millibus Poloniam invasit. Sed infeliciter: Oppressus enim à Polonis, iniqvis conditionibus subscribere coactus est, & in patriam redux, vastatã eam à Lubomirskio invenit, intellexitqve Turcarum Imperatorem sibi exitium minari; qvi annô 1658. Transylvaniam ingressus, obvia qvaqve depopulatus est, aliqvot hominum millia bestiarum instar abegit, duriori impositô Transylvanis jugô,

In-

Intereà annô 1657. FRIDERICUS III. Daniæ Rex, missô feciali, bellum Svecis denunciavit, ulturꝰ injurias à Svecis, ut habebant Regiæ literæ, sibi illatas. Carolus Gustavus igitur, omissâ ferê Poloniâ, Prussiâqve, in Pomeraniam primùm rediit, mox Danicas ingressus terras, latè omnia in Holsatia & Jutia vastavit, donec annô 1658. per glaciem susceptô itinere, Fioniam primò insulam, mox Lalandiam etiam, Longolandiam & Falstriam Sveci obtinuerint, ut Daniæ Rex pacem à Svecis emere, concessis Scaniâ, Bleckingâ, & qvibusdam aliis ditionibus, coactus fuerit. Neqve segniores Poloni fuerunt; Absente enim Sveciæ Rege, civitates plerasqve, occupatas ab eodem, receperunt, inprimis postqvam Elector Brandenburgicus ad eorum partes transiit.

Mox in Daniam denuò irruerunt Sveci, & Chilonio solventes, Selandiam invaserunt, *Hafniæ* minati, &, castellô maritimô *Cronenburgô* expugnatô, nihil omiserunt eorum, qvæ ad expugnandam Re-

giam facere videbantur. Sed aliter Deo placuit, qvando omnes Svecorum conatus irritos esse jusserit, donec Batavorum classis advenit, & Svecicam in freto Danico devicit, atqve Hafniam confirmavit. Poloni etiam, cum Imperatoris & Electoris Brandenburgici copiis, Svecos Holsatiâ exuerunt; Idem in Pomerania conati, obsessô, sed frustraneô conatu, Stetinô. Tandem non procul à Neoburgo in Fionia Dani, ope Germanorum, insigni potiti victoriâ sunt, deletis vel captis omnibus Svecorum, in eadem insula, copiis, ita, ut Palatinus Sulzbacensis & Steinbockius vix elabi potuerint.

Infelix per hæc tempora Jacobus, Dux Curlandiæ, fuit, qvem annô 1658. Duglassius jussu Regis Sveciæ improvisò adortus, unà cum conjuge & Sobole captivum abduxit, etsi suam & subditorum suorum securitatem pactus anteà cum eodem Duglassio fuerit.

Tot tantisqve motibus mors demum finê imponere est visa; Decessit enim annô 1660. Carolus Gustavus, Sveciæ Rex, nondũ triginta & octo annos natus, febri

uti referunt, correptus. Is cùm relinqveret Carolum filium, puerum adhuc tenellum, & Svecorum res non parum viderentur afflictæ, vel turbatæ saltem, Pax primùm annô eodem 1666. die 3. Maji inter Polonos & Confœderatos eorundem, ex una, atqve Sveciæ Regem & Regni Magnates, ex altera parte, inita est. Mox circa finem mensis Maji, intervenientibus, *Mediatorum* titulô, Regis Galliæ, Reipublicæ Anglicanæ, (qvæ tunc dicebatur) & Confœderati Belgii Legatis, Dania etiam pacata iterum est. Bahusianam tamen in Norvvegia ditionem, cum arce celebri, Scaniam item, Hallandiam & Bleckingam, Sveci retinuerunt. *Vide instrumenta utriusqve Pacis publicè edita.*

Etsi verò tempestates, Regno Poloniæ imminentes, ad eum modum clarius amoeniusqve cœli jubar discusserit, intestini tamen motus, Lubomirskiani præsertim, Cosaccorum, & qvorundam Regni Statuum, imò militiæ etiam, qvæ non semel in perniciem Regis Regniqve conjurasse visa est, usqve turbarunt

Reipublicæ Statum, ut afflictissimus is videatur, & moverunt adeò Regem *Johannem Casimirum*, ut post diversa Comitia, à Delegatis Statuum rupta, post obitum etiam Conjugis Gallicanæ, qvæ annô 1667. decessit, tandem annô 1668. regno se abdicare decreverit.

Cæterùm in Germania habita annô 1653. Ratisponæ comitia sunt, tum de aliis Imperii necessitatibus, tum de novo Germanorum Rege constituendo. Electus igitur est FERDINANDUS IV. Imperatoris Filius, qvem annô 1633. natum, annô 1646. Bohemi, & annô 1647. *Hungari*, ut Regem suum, venerati sunt. Enimverò annô seqventi 1654. turbatô mortalitatis ordine, ante Parentem, novus Rex decessit; Nam annô demum 1657. naturæ debitum FERDINANDUS III. reddidit. Electus igitur annô 1658. Francofurti LEOPOLDUS est, patre prognatus Ferdinando III. & matre Mariâ, Philippi III. Hispaniarum Regis filiâ, qvi conjugem posteâ duxit Margaritam, Philippi IV. Hispaniarum Regis Filiam juniorem, matre Mariâ Annâ, Ferdinandi III. Imperatoris filiâ, natam.

Acc

Acciderunt circa hæc tempora aliæ insuper in orbe mutationes; Nam Divo JOHANNI GEORGIO I. Electori Saxoniæ Gloriosissimo, annô 1656. die 26. Octobris, ad Superos translato, successit JOHANNES GEORGIUS II. paternæ gloriæ ex asse Hæres. Portugalliæ Regi, JOHANNI IV. eodem annô successit filius ALPHONSUS, natus anno 1643. qvi hoc annô 1668. à Conjuge Gallica, qvam annô 1666. duxerat, rejectus, Fratri Germano PETRO, conjugem pariter, & regnandi provinciam, relinqvere coactus est; Qvis harum vicissitudinum exitus sit futurus, soli DEO cognitum est. Pontifici etiam INNOCENTIO X. annô 1655. successit *Fabius Chisius Senensis*, dictus ALEXANDER VII, qvi Antecessoris sui Bullam, adversus Jansenii dogmata, confirmavit, noluitqve in tumulo ejusdem Episcopi legi hæc verba: VERUS INTERPRES DIVI AUGUSTINI, GRATIÆ DIVINÆ CATHOLICUS DEFENSOR. Auspicia hujus Pontificis, Waldensium in Pedemontio laniena cruenta reddidit, qvæ ad nutum Pontificis, à Sabaudiæ Duce, instituta dicitur;

Caussam crudelitatis nullam aliam vel ipsimet Pontificii Scriptores allegant, præter hanc, qvod antiqvas sedes, qvas jam ultra mille & centum annos Waldenses coluerant, deserere detrectarint. *Confer: Waldensium Chronica.*

Dum hæc alibi gesta sunt, intestinis motibus pariter & Hispanicô Bellô graviter afflicta Gallia est. Cùm enim LUDOVICI XIII. filius & Regnorum hæres, natus annô 1638. post mortem patris, qvi annô 1643. decessit, sub matris tutela degeret, atqve illa in gubernatione Regni externorum consiliis, præsertim *Julii Mazarini*, *Cardinalis*, plurimum uteretur, Principes, è regio ortos sangvine, non parum offendit, *Ludovicum II.* nempe, *Principem Condæum*, fratremqve *Armandum*, Principem *Contium*, nec non *Henricum II. Ducem Longavillæum*; Condæi & Contii Sororium. Hi igitur adversùs Reginæ gubernationem liberiùs locuti, annô 1650. in custodiam dati sunt, qvæ res ingentes Galliæ turbas minari videbatur, inprimis, qvod *Turenius* Comes captivos Principes armatâ manu liberare cona-

conaretur, Hostiqve Hispano accederet; Et qvamvis annô seqvente 1651. iidem Principes libertatem acceperint iterum, & Cardinalis *Mazarini*, qvem pro autore litium habebant, è Gallia ejectus fuerit, non fidebant tamen reginæ Condæi Fratres, inprimis, postqvam Cardinalis in Galliam redierat, militum copias qvasdam, Coloniæ lectas, secum adducens. Qvare, cùm Rex insuper Cardinalis caussam palam ageret, ad Hispanos *Condæus* defecit, *Contius* verò, sororqve ejus *Anna*, Duci Longavillæo nupta annô 1654. à Rege impetraverunt veniam eorum, qvæ commiserant. Tandem annô 1659. Regem Galliæ inter & Hispaniæ inita pax est, & restitutus in integrum Condæus, ministeriô in hac re fungentibus, ex parte Regis Galliæ, *Cardinale Mazarinô*, ex parte Regis Hispaniæ, *Ludovicô Mendoza de Haro*, locataqve annô seqventi *Maria Theresia*, Regis Hispaniæ filia natu major, Regi Galliæ in matrimonium est, postqvam nova nupta hæreditatis juribus in Hispaniæ Regna & Ducatus reliqvos renunciaverat. Qvæ

ipsa tamen renunciatio, itemqve solutio dotis dilata, Patris Testamentum, aliaqve, novo bello Gallico-Hispanico, annô 1667. ansam dederunt, qvod cùm implicare plures Europæos Principes videretur, & Rex Hispaniæ Philippus IV. annô 1665. mense Septembri, mortuus, Carolum II. paucos annos natum, adornando bello imparem reliqvisset successorem, Anglorum & Batavorum strenuâ operâ, subitò annô 1668. finitum est, retentis tamen à Gallo civitatibus, qvas armatâ manu in Germania Inferiori occupaverat.

Priusqvàm ultimum bellum, *qvod jam* commemoravimus, inceptum finitumqve est, cum Pontifice Romano Rex Galliæ inimicitias exercere cœpit, qvod Legatus Regius Romæ, annô 1662. à *Corsis*, qvos vocant, cùm Walonibus & Burgundis manus conserentibus *in* via publica magnâ affectus ignominiâ fuisset, sclopetis per carpentum ejus explosis. Ope tandem Principis Florentini, annô 1664. satisfactum Regi Galliæ est, armis jam insistenti Papæ Romano, atqve ejecti

Cor-

Corsi sunt, Ducibus *Parmæ* & *Modenæ*, in fœdus Gallicum receptis, promissa ditiohum qvorundam restitutio est, & Cardinalis *Chisius* deprecatum Lutetiam Parisiorum venit. Parum tamen post hæc vel Rex Galliæ Alexandro VII. vel hic Regi Galliæ fidisse visus est. Decessit autem Alexander annô CHRISTI 1667. sexagesimô nonô ætatis suæ, & decimô tertiô Pontificatûs. Nepotes divites reliqvisse dicitur. Successorem nactus est *Julium Rospigliosum Florentinum*, qvi CLEMENS IX. dici voluit. Hunc laudare in præsenti vel vituperare acerbius, temeritas foret, cùm cujusvis hominis exitus demum alterutrius argumenta suppeditet. Cæterùm non sine omine videtur esse, qvod *Alexandro Clemens* successerit; Nam est aulæ Pontificiæ solet esse conditio, ut *Alexander* non sit, qvi *Clemens* esse desiderat. Interdum tamen κατ' ἀντίφρασιν etiam *Pii* dicuntur Pontifices, vel *Innocentes*, *Benedicti* & *Clementes* etiam. *Justorum* nomen in Pontificum catalogo in hunc diem usqve deficit.

Sed redeamus ad Germaniæ res. *Maximum* periculum iminere patriæ nostræ à Turcarum Tyranno MAHOMETE IV. videbatur; Is enim, *Ragotziū* oppressurus, universam propemodū Transylvaniam occupaverat, & omnē Hungariam non tantùm, sed Germaniam etiam affligere habebat in animo, ingressus Regis Hungariæ & Imperatoris Romani ditiones cum exercitu, in qvo centum & septuaginta millia militum annô 1663. numerabantur. Et ab initio qvidem inclinare Christianorum res *visæ* sunt, *Forgatiô* in fugam actô, & munimentô ad Neutram fluvium, qvod *Arx Nova* dicitur, (ab Hungaris Uyvar, à Germanis Neuhäusel appellatur) occupatô; Et qvamvis *Nicolaus*, Comes *Serinius*, fortiter rem gesserit, & aliqvoties Turcas affecerit clade, Canisiam etiā obsidere inceperit, viribus tamē impar, obsidionē solvere coactus est, nec non extructum denominatumqve à se munimentum novum occupare hostē vidit. Advenientibꝰ tandem è Gallia & Germania subsidiariis copiis, Deoque in auxilium ardentissimis precibus vocatô, annô 1664

1664. duplici victoriâ Christiani potiti sunt, semel propè *Levam*, (vulgò Lewentz vocant) & iterum prope *Gothardum*, Summo militiæ Cæsareæ Præfecto *Raymundo*, *Comite de Montesuculi*; Qvæ posterior inprimis Turcarũ clades ad inducias petendas Hostem movit; Easdem impetravit etiam ad annos viginti, retinuitqve *Varadinum* in Transylvania, *Arcem*qve *Novam*, concessâ Christianis libertate, qvâ munitionem, Arci huic adversam, erigere illis licuit, ab Imperatore Romano *Leopoldinam* appellatam.

Circa eadem tempora civitates qvædam Germaniæ Superioribus suis arctiùs sunt adstrictæ; Monasteriensis enim Episcopus, *Christophorus Bernhardus*, Monasterium ipsum obsidione cinxit, qvod sibi *Jus præsidii, clavium, portarum, vallorum, murorum & Symboli, seu tesseræ militaris*, Cives nollent concedere, etsi in Aula Imperatoris, à delectis ad hoc negotium Judicibus, Episcopo jus illud competere,

decretum esset. Tandem igitur annô 1661. die 12. Martii, durissimis conditionib9 in deditionē Episcopi redacta est civitas, & libertatem, quâ gaudebat anteà, amisit. Idem propemodū fatum experta est Thuringiæ Metropolis, *Erfurdia*; Postquàm enim eandem *Johannes Philippus*, Archi-Episcopus Moguntinus, suo & Galliæ Regis milite, aliqvādiu oppugnaverat, nec erat, qvi succurreret civitati afflictæ, cujus Incolis aquam & ignē interdixerat Cæsar, annô 1664. dedita est, & Archi-Episcopo Moguntino homagium præstitit; Exercitium tamen Religionis, secundū Augustanæ *Confessionis* normam, semper liberum in urbe futurum esse, suo & omnium Successorum nomine, *Johannes Philippus* sanctè promisit. Bienniô post, annô 1666. *Parthenopolis*, qvæ & *Magdeburgum* dici consvevit, Electoris Brandenburgici exercitu territa, Serenissimo Saxoniæ Principi AUGUSTO, Archiepiscopatûs Administratori &c. nec non Electori Brandenburgico, Duci suo, post obitum Augusti, futuro, homagium præstitit, ad eum modum, qvi annô 1579.

obū-

obtinuerat, & ſimul militem Brandenburgicum civitas recepit, privilegiis gaviſura in poſterum, qvæ in Pacis Osnabruggenſis Inſtrumento expreſſa leguntur. Etſi verò Svecorum Exercitus, *Carolô Guſtavô Wrangeliô* Duce, BREMAM, in annô 1666. à die 30. Auguſti ad Novembris diem 15. ſimiliter obſederit, intercedentibus tamen Electorum Colonienſis & Brandenburgenſis, nec non Ducum Luneburgenſium & Brunſvicenſium Legatis, compoſita controverſia illa eſt, poſtqvam promiſerant Bremenſes, ſe usqve ad annum 1700. in futuris Comitiis, ſententiam, more Civitatum Imperialium, dicturos non eſſe, &c.

Intereà ab anno 1663. orta Anglos inter & Batavos diffidia ſunt, qvod illi in Americanis partibus, nec non ad Africæ littora, Belgarum ſubditos affligerent, & conqvererentur inſuper, Anglorum commercia, in India utraqve, à Batavis impediri. Belgæ igitur vim vi repellere decreverunt, & miſſô *Michaele Adrianô Ruytero*, qvæ in Africæ littore Angli occupaverant,


facilè recuperarunt. Pugnatum posteà aliqvoties est, atqve in præliis navalibus Batavi primùm succubuerunt, incensâ eorundē navi Prætoriâ, & cum *Obdamio*, Comite de *Wassenaar*, in aëra sufflatâ. Sed posteà meliori fortunâ usi, non semel Anglis superiores visi sunt; qvorum etiam naves bellicas prope Londinum incenderunt. Neqve verò Anglos inter Belgasqve tantùm pugnatum tunc est, verùm Episcopus Monasteriensis etiam Batavis negotiū fecit, qvando, Anglicanâ pecuniâ instructus, militē conscripsit, invasitqve Frisiæ provincias; Sed cùm Galliæ Rex militares qvasdam copias Belgis in subsidium mitteret, nec non Elector Brandenburgicus, cum aliis qvibusdā vicinis Ducibus, Exercitus suos propiùs adducerent, noluit Episcopus res suas pericli tari, sed pacē potius cum Ordinibus fœderatis Cliviæ iniit, cujus præcipua lex erat, *Omnes mutuò datas & acceptas injurias oblivioni tradendas, & loca ab Episcopo occupata*

pata restituenda esse, nec licere huic plura quàm tria præsidiariorum millia scribere. Daniæ qvoq; Rex eidē bello implicabatur, ob fœdus, cum Batavis jamdiu initum, itemqve, qvod Indicis Belgarum navibus tutum hospitium Norvvegi concessissent, portusqve Bergensis libertatem, adversus Anglorum invasiones, defendissent armis. Tandem, cùm animadverterent partes Bellonæ incommoda, LONDINUM etiam, Regum Angliæ sedes, annô 1666. mense Septembri, magnam partem conflagrarit, turbaritqve nō parum Anglorum animos infortunium illud, Svecorum Legatis rem acriter urgentibus, pax, annô 1667. Bredæ conclusa est, æqvis ex utraqve parte conditionib9, cùm unusqvisqve bellô parta retinuerit. Et qvamvis posteà Gallum inter & Hispanum ad arma ventum fuerit, qvod superiùs indicavimus, studia tamen pacis cum Lusitaniæ Regno ab Hispanis initæ Gallorum irruptio illa non parum promovit, & extin-

extincta subitò flama illa est, ut, rarissimô exemplô, universus Christianorum orbis pace nunc fruatur. Pro qvo ingenti Beneficio, in terris Saxonicis, actæ DEO solemnes gratiæ, institutæque publicæ supplicationes sunt, ut hanc felicitatem nostrã perpetuam esse DEUS clementissimè jubeat; cui etiam hac vice sit Laus & Gloria.

FINIS.





INDEX COPIOSISSIMUS TUM PROPRIORUM NOMINUM, TUM RERUM, QVÆ PARTIM IN IPSO SLEIDANO, PARTIM IN CONTINUATIONE STRAUCHIANA CONTINENTUR.

A.

Æschi-

Anti-

Asty-

Abbas

Ale-

Pax

Cæli-

C

Caro-

Caje-

Caro-

Col-

Coro-

David,

defen-

Elee-

Rex

Fran-

Fri-

G

Gela-

H

Her-

Hen-

I

Inno-

Juve-

Johan-

Johan-

vul-

Königs-

Leo

Luca-

M

Mer-

Maria-

N

Nicea.

O

Picen-

Path-

fili-

Pom-

Q.Fa-

Roma-

Reli-

Sta-

Seba-

Stral-

Titus

Trevi.

obses-

FINIS.

Conrad Samuel
C. S. SCHURTZFLEISCHII

Epitomes Historicæ

à

JO. SLEIDANO

cœpta,

Deinceps ad annum cIↃ IↃC LXIX.


producta,

Nunc ad An. cIↃ. IↃc. LXXVI.

prolatæ

Series, rerum temporumqve Ordine confecta.

CUM PRIVILEGIO ELECTORIS SAXONIÆ.



FRANCOFURTI,

Impensâ Mart. Gabrielis Hübneri, Bibliop. Dresd. A. M DC LXXXVI.



Illuſtriſſimo atq; Excellentiſſimo

DOMINO
DN. HENRICO
LIBERO BARONI
à FRIESEN,

Dynaſtæ Schönfeldii, Puzkaviæ, Graupæ, Jeſſenæ & Praſchwitzii, &c. &c.

Sereniſſimi & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Comiti, Senatus Sanctioris Principi, Heroi in toga,

Domino meo Gratioſiſſimo.

DOMINE.

DUdum existimavi, Johannis Sleidani epitomen avorum memoriâ editam, ac nuper etiam tibi inscriptam solenniterq; dicatam, nunc verò novâ insuper rerum serie à me qvodammodo auctam, atqve ad proxima deinceps tempora perductam, rectoq; ordine demum continuatam, omni jure ad te pertinere. Et maximè ad te qvidem, Domine, qvem in progressione temporum loqvitur ipsa & modestè refert, strictimq; indicat, qvâ diligentiâ & fide de communi Patria meritus fueris, qvùm sociis atqve adjutoribus sanctioris Curiæ, Principi Electori auctor esses Egrani fœderis, qvod tam felix faustumqve fuit, ut Austriæ permagnum decus, & nutanti propeqve labenti Germaniæ robur, gli-

scen-

ſcentibusq; per eam diſſidiis primum qvaſi remedium afferret. Ab his initiis divino qvodam munere duxiſti rationes Saxoniæ optimas, partesq; omnes tuas ſummis laboribus expleſti, & rebus paſſim inclinatis, magnam animi firmitudinem atq; conſtantiam demonſtraſti, & qvum facto opus eſſet, conſilio & auctoritate tuâ præſtò fuiſti, hisq; rebus effeciſti, ut habeat poſteritas, in qvem tanqvam prudentię exemplum intueatur. Qvare ſalute tua nil poteſt eſſe reipublicæ charius, & ope nil mihi evenire optatius, propterea qvod omnibus vitæ partibus bene ſapienterq; conſulis, & honeſtiſſima Patriæ inſtituta graviter defendis, & literarum ornamenta firma nobis florentiaq; præſtas, cumulateqve auges, deniq; eos, qvibus aliqvem doctrinæ ingeniiq; locum tribuis, exemplo doces, qvod animis teneant,

ant, usu vitæ confirmare oportere. Sive enim motus temporum animorumq; perturbationes sint, sive conversiones rerum & hominum oriantur, sive morum & fortunæ commutationes existant, sive voluntatum inclinationes ac dissimilitudines subseqvantur, tranqvillũ mentis tuæ idem est, & planè tibi congruit, & summæ rationi semper respondet. Qvibus rebus per se maximis prudentiam, qvæ se in omnes partes fundit, auspicatissimè adjunxisti, & decus etiam, qvod omni ætate vigeat; sum̃a cum temporum nostrorum felicitate tibi comparasti, tantamq; nomini tuo admirationem conciliasti, ut ego etiam, qvi in omni antiqvitatis genere enitor maximeq; contendo, & prisca pariter ac recentia sedulò soliciteq; perscrutor, subtimere incipiam, ne conatûs hujus fiduci-

am

am reprehendas. Sed qvia mei incepti rationes non eò pertinent, ut cogitem, qvemadmodum perſpicaciſſimæ menti tuæ, atq́; meritis im̃ortalibus ſatisfaciam, ſed ut videam omniq́; induſtria experiar, qvemadmodum tot beneficiorum abs te acceptorum recordatione duntaxat frui qveam, ſines pro tua in me voluntate, ut qvùm nullam referendæ tibi gratiæ facultatem habeam, hoc ſummæ in te pietatis ſanctiſſimiq́; obſeqvii monumentum relinqvatur. Alioqvi laudes tuas hæc epiſtola non capit, qvòd cum vim ingenii, tum modum etiam privati hominis excedunt, prorſusq́; tales ſunt, ut multitudine ſplendoreq́; ſuo aciem mentis etiam præſtantiſſimæ perſtringant, maximumqve & ſupra meas vires apparatum reqvirant, finibusq; tam amplis contineantur, ut

ple-

plenos commentarios justamq; historiam expectent. Qvamobrem pro fide obseqvii, qvo tibi conjungor, Domine, peto abs te vehementerq; rogo, hoc mihi concedas atq; tribuas, ut sub tutela præsidioq; *SAXONIS* tuâ præcipuè & Purpuratorum Illustrissimorum auctoritate constitutas vitæ studiorumq; rationes in posterum qvoq; recte ac securè habere mihi liceat, esseq; in loco clientium tuorum, qvi cupiunt, Deumq;, persanctè orant, ut qvod sancit *PRINCEPS*, qvodqve suades Tu, & Principi, & Tibi, & Reipublicæ faustum fortunatumqve esse velit, & qvod in te summúm prorsusq; incomparabile & prope immensum decus inest, atqve semper magis explendescit, serissimè sibi repetat, ut divinæ humanæqve res qvàm diutissimè te auctore floreant, feliciſſimeqve conserventur. Dabam ex Museo Non. Octobr. ANNO clↃ Iↄc LXXIIX.

Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ

Humillimâ parendi lege Cliens

CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS.



PEr hoc tempus conciliatis iterum animis prępotentium regum, qvi Europam fere in partes trahunt, Burgundia inprimis & Belgium, finitimæqve etiam Germanicæ ditionis provinciæ, recepta 1668. ex formula pactionis Aqvisgranensis tranqvillitate lætabantur. Cujus maturandæ multas & graves causas rex Christianissimus habuit, propterea qvod Angli Bătaviq; pro Hispanorum defensione annitebantur, fœdusqve cum Svedis pacti, negotium hoc summa cum cura studioq; conficiebant. Qvibus rebus etsi ille graviter est offensus, tamen fœderatorum auctoritati postulatisqve concessit, & ultionem qvieti publicæ remisit ad tempus, expectans occasionem, qva destinata exeqveretur, & in auctores ejus fœderis, qvod triplex dici cœptum est, reperto belli titulo vindicaret. Id qvemadmodum acciderit, qvibusq; consiliis assecutus fuerit, referri attinet, ut unde initia causæqve ejus belli ducendæ

sint, sine difficultate intelligatur. Etenim Galliæ rex Ludovicus XIV. haud æqvo animo ferebat, se impediri, qvo minus fructum caperet ejus juris, qvod sibi connubii nomine in Brabantiam, cæterosqve Belgii Hispanici principatus obvenisset; videbat autem Batavos securitatis suæ rationes ab Hispanorum fortuna minimè esse sejuncturos, ut qvi & suasores præcipuè & socii fœderis sibi tam suspecti maximeqve invisi fuissent. Itaqve obicem hunc amovendum *ratus*, omnes vires studiumqve eò impendit, ut regem Angliæ Carolum II. amplissimis muneribus, & multis eam ad rem oblatis conditionibus sibi conciliaret. Qvi etsi principio his destinatis obnitebatur, & suspicioni etiam locum dabat adeò, ut per legatum exqvireret, qvorsum tot tantiqve regis Christianissimi navales apparatus spectarent: tamen precibus promissisqve victus, ejus consiliis conatibusqve annuere tandem cœpit, recordatione superioris offensæ, damniqve nuper in Tamesi accepti recentiori memoria acriùs in vindictam stimulatus; & instaurandæ insuper propinqvæ domus com-

commodâ hac occasione usus. Ad hæc veteres, & tunc denuò excitatæ æmulationes controversiæqve super commerciis coloniisqve transmarinis, nec non super demissione aplustrium, piscationeqve halecum, tanqvam auctoramentis imperii maris jam dudum agitatæ atqve tunc renovatæ lites multùm ad abalienandum Angli animum valuerunt: præsertim qvòd speciosis rationibus à Colbertio hujus instituti causa in Angliam missio exaggerabantur. Inter hæc limes Rheni armis Lotharingicis hucusq; perturbatus, 1669. pacem recepit, Duxqve Carolus auctoritati Cæsaris, & voluntati regis Galliæ reconciliationem concordiæ flagitantium cessit, qvi Palatini fines hostilem in modum divexaverat, postqvam se passus est adduci ad eligendas partes belli Wildfangici, cujus hæc origo fuit. Qverebatur Johannes Philippus, Moguntiæ pariter & Wormatiæ Herbipolisqve Antistes, sumere id sibi Carolum Ludovicum, Electorem Palatinum, ut ex præscripto cujusdam privilegii homines in suis accolarumq; Principum & imperii Ordinum regionibus

proprios faciat mancipetqve: id vero magno cum suo damno conjunctum esse, & ad injuriam ditionis suæ finitimorumqve pertinere. Simul allatæ sunt rationes, cur id ferre neqveat: siqvidem nemo Principum committere debeat, ut jura certis territoriorum finibus descripta qvovismodo oppugnentur, ac populi suis legibus parentes ejusmodi onere molestiisqve afficiantur, ut sibi justum debitumqve tributum pendere ne possint. At reclamabat Palatinus, antiqvis tabulis, & usu temporis memoriam excedentis, possessioneqve nunqvam interrupta fretus. Cujus causa qvanqvam justissima erat, tamen nimis fervidè acta plerisqve videbatur, qvod hoc ejusmodi negotium esset, unde graviores motus excitari potuissent, nisi Galliæ & Svediæ reges titulo sponsorum pacis Westphalicæ, ut qva restitutio omnium Palatinatus Rhenani jurium sanciretur, commodum se interposuissent, & per legatos, qvi arbitrorum partibus fungebantur, eam tam insignem magniqve momenti controversiam decidissent. Eqvidem de-

cebat

cebat Palatinus, nil ab jure suo alienum, nec aliqvid extra, nedum contra privilegium ab se qværi: sed jus à multis seculis familiæ suæ attributum firmatumqve propugnari: tum verò privilegium mancipandi homines, qvod Wildfangiatum nominant, non ab se confictum, nec recens acqvisitum, nec dolo malo impetratum, neqve in ullius injuriam adhibitum fuisse, qvippe qvod vetustate & benignitate Cęsarum qvasi robore se tueretur: etenim jam diu ante Wenceslaum illud proditum domuiqve Palatinæ impertitum, ab eo usqve tempore certum ac stabile permansisse, atqve à Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolfo II. Matthia, Ferdinando III. & demum à Leopoldo hodierno Cæsare publicis iterum tabulis rituqve beneficiario solenniter corroboratum, & qvasi per manus à majoribus traditum, ac omni jure ad se delatum, & nomine tituloqve privilegii retentum, secureqve & citra periculum violandorum alienæ ditionis finium possessum fuisse.

Vix dum Germania, qva Rheno alluitur, discrimini erepta erat, cum aliud, idqve majoribus viribus ab rege Galliæ cœptum, ac deinde Aqvisgrani compositum bellum conversioni rerum Lotharingicarum prolusit, vicinisqve ingentem metum, neqve eo minus periculum Germanis attulit, Hispanos autem Belgasqve submonuit, uti maturè cogitarent, qvid ex ruinis finitimi Ducis Belgio Burgundiæqve expectandum esset. Utqve series rerum justis intervallis distincta, ordine temporis actorumqve sibi respondeat, priùs expeditionis in Belgium Hispanicum susceptæ summa capita attingenda duxi, qvàm de commutatione Lotharingiæ commentari incipiam. Atqvi verò Christianissimus rex omne causæ suæ præsidium in jure moribus Brabantiæ introducto, qvod devolutionis dicitur, collocabat: idqve eò spectabat, ut Mariæ Theresiæ conjugi suæ, tanqvam natu maximæ Philippi IV. regis filiæ, principatum Brabantiæ, & plerasqve alias Belgii Hispanici provincias, velut lege nascendi debitas vindica-

caret. Verum Hispani obtendebant religionem pacti jurati, qvo Maria, priusqvam regi Galliæ nuberet, omni Brabantinæ successionis jure sese abdicasset. Præterea successionem istam iniqvè peti, qvæ cum rationi juris communis, tum exemplis domesticis planè adversetur: nullum enim fœminis, maximè Principum stirpe natis, esse succedendi locum, qvoad aliqvis virilis sexus hæres superesset. Qvin etiam de hoc jure devolutionis sic existimari oportere, ut Principibus libera ejus abrogandi facultas relinqvatur; qvippe qvi id interdum pro utilitate reipublicæ mutaverint; ut minimum effectus ejus sublatus extinctusqve fuerit. Et si vel maxime aliqvid hujusmodi in Brabantia sancitum fuisset, tamen supremam de eo cognoscendi & statuendi potestatem fore penes Cæsarem atqve imperium, in qvorum fide clientelaqve citra dubitationem esset Brabantiæ ille principatus. Inde ergo intelligi, non fuisse idoneas Gallicæ irruptionis causas; nec modò Hispanorum jus, sed etiam Germaniæ, à cujus beneficio &

tutela hic Principatus dependeat, autoritatem læsam esse. Mox aliud postulati Gallici caput erat, qvòd Hispani contra pactum constitutæ dotis admisissent, qvodqve in mora ejus solvendæ fuissent, neqve præstituto tempore fidem suam liberassent. Sed Hispani omnem doli suspicionem amoliti affirmabant, omni tempore locoqve ad pecuniam nomine dotis solvendam paratos instructosqve se fuisse, dummodo Galliæ rex tempestivè, & ut moris inter cultos Europæ populos, ac præcipuè cognatos vicinosqve reges esset, rite solenniterqve se interpellasset. Dehinc controversia armis disceptata est, cui finem attulit pax Aqvisgrani conventa, ad qvam accipiendam rex Galliæ non tam ratione aliqva, qvàm metu fœderis triplicis est inductus. Dum hæc ibi agebantur, in Hungaria res Protestantium inclinatæ sunt, dantibus id operam plerisqve Episcopis, ut unâ lege religioneq; omnes continerentur. Qvod Protestantibus innocentiam obtendentibus eo graviùs accidit, qvia sacra, & bona possessionesqve ecclesiasticæ multis

& va-

& validis regum suorum diplomatis sibi addictæ approbatæq; essent. Eò Cæsaris Leopoldi opem invocabant, præfati patriæ amorem, regiqve fidem jurejurando astrictam servasse, ac id semper studuisse; ut rerum novarum studium ab se alienum esset. Apud Sarmatas Johannes Casimirus ætate curisq; fractus agitatum in animo abdicationis consilium non sine admiratione qverelaqve procerum ejus regni effectum dedit, Gallis necessitudine amicitiaq; adeò innexus, ut eum prope facti pœniteret, postqvam animo providebat, alium, qvàm ipse destinasset, successorem designatum iri. Eo regnante Cosacorum defectio opes potentiamqve Poloniæ vehementer debilitavit: hinc Tartarorum irruptio secuta, magnam calamitatem vastitatemqve attulit, cujus & molem & invidiam sustinuit Johannes Casimirus, qvippe ejus auctor impulsorqve creditus, ut alieniores Ordinis eqvestris animos in obseqvium redigeret, vimq; faceret libertati: sed istud crimen publicâ epistolâ diluit, falsasqve de se opiniones refellit. Tum Lubomirskianis

motibus, qvos ob evehendum in fastigium regni ducem Engvianum Ludovica Maria fovisse dicebatur, defunctus tandem miseriæ molestiarumqve omnium portum in Gallia, cujus commoda apud suos consectatus fuerat, qvæsivit. *Ejus in* locum suffragiis præcipuè Ordinis eqvestris promotus est Michael Korybutus Viesnievicius, Princeps rerū fortuna qvidem tenui, at suarum rerum ita satagens, ut procul omni prensatione supremum ejus regni magistratum iniret. Neq; *sic* tamen odia invidiamq; effugere potuit, qvippe domi ab æmulis, foris à Turca lacessitus: qvas res adversas magnâ vi animi constantiaq; pertulit, & affinitatem Austriæ honori esse sibi duxit, atqve incertos dubiosq; temporum suorum casus consiliis Andreæ Olso Wskii præmunitus lenivit qvodammodò ac superavit. Interim Veneti suis accitisq; ex Germania & Gallia auxiliis obsidionem urbis Candiæ sustinebant, postqvam triremibus in mare missis Turcarum vires hactenus distinuerant insulasq; Archipelagi deprędati fuerant. Sed qvia Bellifortius infelici audacia

dacia rem perdidit, & cæso eo, Galli domum repetebant, odiaqve subinde inter defensores gliscebant, & valli atq; propugnaculorum ruinæ spem animumq; Italis adimebant, & Germani etiam pugnantes deserebantur, Veneti ad ultimum tam diuturno sumptuosoqve bello non sufficiebant: deditio his conditionibus facta est, uti Respublica Veneta, præsidio deducto, de regni Cretensis possessione decederet, & sibi duntaxat haberet insulas portusqve Sudam, Spinam longam & Carabusam.

Vix Belgæ recuperatâ pace fruebantur, cum 1670. belli consilia in ducem Lotharingiæ convertuntur, qvippe qvi apud Christianissimum regem delatus, qvasi id ageret, ut consilia in perniciem regni ipsius compararet, magnum ejus odium offensionemqve incurrit. Cum enim firmandi ad Rhenum limitis, conducendiqve exercitus imperialis rationes atqve consilia per legatum in Comitiis Ratisbonæ habitis exposuisset, tum ab re id non aliter acceptum est, qvàm si fidem beneficiarii Principis fefellisset. Verùm

abalienati regis animi indicia, qvorum causæ aliunde sumtæ ostendebantur, ita leviter movebant ducem, ut invadendæ regionis suæ periculum vix suspicione assleqveretur. Præcipua capita, qvæ in disceptationem veniebant, hæc fuerunt: nempe fœdus pacemqve apud montes Pyrenæos initam violasse, neqve conditionibus clientelæ Barrensis stetisse: qvin imò de damno Galliæ inferendo cum hostibus æmulisqve ejus consilium cepisse, regisqve justa postulata respuisse: ad hæc ad disturbanda Mediomatricum vicinorumqve ditionis Gallicæ populorum commercia operam studiumqve attulisse, veteres item provinciæ suæ terminos movisse, & regis missionem cohortium militarium flagitantis auctoritati illusisse, atqve alia multa præter & contra ejus voluntatem tentasse, rebusqve his concitandorum motuum occasionem captasse. E contrario Lotharingus omni studio & multis rationibus affirmabat, sese in fide semper & sancte perstitisse, ac juris beneficiarii rationes, in qvantum nomine ducatus Barrensis

ad

ad regem pertinerent, diligenter custodivisse, nihilqve adeò lædendi regis causa fecisse: eo minùs de proferendis jurisdictionis suæ finibus cogitasse, nec nisi præter meritum termini moti, commerciorumq; & vectigalium imminutorum invidiam sese sustinere: militem qvoqve non ad maleficia injuriasqve Galliæ inferendas conscripsisse, sed in eo regi morem gessisse, qvippe qvi per legatum Aubevillium eam in sententiam se adduxisset, uti aliqvot cohortes compararet, qvæ Moguntino Erphordiam obsessuro suppetias ferrent: hoc ut amorem studiumqve demonstraret, potestate ab rege impetrata curavisse: itaqve in hujus negotii suscepti parte nil contra pacem ad montes Pyrenæos firmatam admisisse: qvanqvam nec à vera ejus interpretatione abeat, si defensionis suæ causæ arma sumat, eò qvòd sibi omni jure liceat, repellere vim regionesq; suas tutari. Nam qvod conventum esset de copiis ab se dimittendis, ad illud duntaxat tempus spectare, qvo inter Gallos Hispanosqve de pace restituenda agebatur. Demum

qverebatur, non datum sibi fuisse spatium deliberandi, nedum satisfaciendi regis postulatis, ac transigendi de rebus mutuò controversis, qvod tamen vel maximè justum atqve æqvum futurum fuisset, etiamsi aliqvid præter officium & contra pactum fecisset. Sed qvia rex occasionum gnarus, prævidebat expeditionem fore haud difficilem, & sciebat, majus bellum paraturo Lotharingiæ occupationem esse utilissimam, eò cum summo imperio misit Franciscum Creqvium, qvi eam totam subegit, Ducem ipsum in captivitatem redacturus, nisi arrepta opportunè fuga salvus ad Germanos evasisset. Cujus restitutio cum Cæsari atqve Ordinibus imperii visa esset justissima, tùm pro eo apud regem legatione publica & solenni, qvam Godeliebio Vindischgræzio Comiti mandaverant, graviter intercesserunt: at totum hoc negotium, repulsâ mox latâ, irritum, majorisqve offensæ initium fuit. Eqvidem judicabant, ad honorem existimationemqve suam pertinere, uti dux ereptas regiones recuperaret, siqvidem

dem illi, tùm propter Lotharingiam patrocinii, tùm propter Marchionatum Nomenium juris beneficiarii fructus constare deberet. Ubi autem contra evenit, qvàm sperabant, creditum est, istis rebus strui gradum potentiæ in Belgium proferendæ, Burgundiæqve universæ in imperium Gallicum redigendæ.

Cum talis esset rerum Lotharingicarum facies, præcipuè Hispanis periculum ante oculos versabatur, qvòd vires suas bello impares, diversaqve Procerum studia reputarent, qvando vel unius Johannis Austrii offensa illorum temporum statum immutare potuisset. Sed is solitudinem suam Saragossæ præsentemqve fortunam amore patriæ constanter tulit, opportuneqve tunc Johannes Dominicus Zuniga, Comes Monteregius in Belgium ditionis Hispanicæ missus, solicita ac tempestiva malorum imminentium cogitatione suscepta, lapsas prope res fide vigilantiaqve suâ instauravit, & rumorem antehac de permutando cum Gallis Hispanico Belgio nuper vulgatum adventu suo inanem esse

com-

comprobavit, qvippe non passuris Hispanis, ut hoc tali permutationis pacto fœderum clientelarumqve Germanicarum fructus inposterum sibi eripiatur. Eodem tempore rex Angliæ ob retinendam Belgii Hispanici pacem, operâ Guilielmi Templii diu expetitum fœderatæ defensionis negotium planè tandem confecit, ut periculum, qvod Hispanis impendebat, conjunctis viribus anteverteretur: sed postqvam Hispanorum rebus provisum videbatur, non eadem caussa ratioqve pro defendendis contra externam vim Batavis valuit, propterea, qvòd iis novæ subinde offensiones concitabantur, qvibus non multo post grave luctuosumqve bellum inter ipsos atqve Anglos est accensum.

Major tunc rerum mutatio Hungariæ impendebat, postqvam aliqvot istius regni Proceres in custodiam missi, atqve perduellionis postulati sunt, eò qvod regi suo insidias struxissent, & voluntate consiliisqve barbaris hostibus se conjungere studuissent, eamqve in rem à Gremouvillio sollicitati, dissidiorum causas

qvæ-

qvæsivissent, atqve patriam his molitionibus conturbatam in externum dominatum redigere conati fuissent. Qvarum destinationum auctor Franciscus Nadasdius habitus est, qvi intercepto, qvem prensabat, Hungariæ Palatinatu, offensus dicebat, jura privilegiaqve ordinum peti, unde pòst magna rerum conversio est secuta.

In Dania Christianus V. regnum pleno hæreditarioqve jure ad se transmissum auspicatus, immotus fuit contra partes, qvæ illi fœdere triplici eligendæ à generalibus F. Belgii Ordinibus offerebantur: At Svedi, cum viderent firmioribus præsidiis ad pacem opus esse, fœderi, qvo Belgii Westphaliæqve tranqvillitas propugnaretur, nomen dederunt, & altero post anno per legatum qvoqve in conventu Bilefeldiensi pronunciarunt, eam esse finitimæ Galliæ potentiam, ut hæc sola Germanis pertimescenda esset. Sed procedente tempore hæc consilia longè alium, ac fœderati sibi persuaserant, exitum habuerunt. Polonia ad res sibi propiores conversa,

comiterqve excepta Batavorum legatione, nullo foedere teneri voluit, qvòd regis dignitas peteretur Ordinum dissidiis, reiqve publicæ securitas incursionibus barbarorum convelleretur. Ac tunc qveqve apud Moschos omnis qvies tranqvillitasqve sublata erat, postqvam Stephano Ratzino obscuri generis viro, & audaciâ ultioneqve fraternæ necis incenso societas Cosacorum perduellium hanc sceleris exeqvendi viam patefecerat, ut universo illius gentis imperio exitium moliretur, & prope debellatis Casano atqve Astrachano regnis, ad invadendam Moscuam, caput rerum, magnis viribus copiisqve auctus contenderet. Neqve tunc extra discrimen fuit Africa, qvam Taffiletta qvidam torrentis instar pervadebat, metumqve pariter Barbariæ regulis atqve Christianorum coloniis clientelisqve incutiebat.

Propiùs Germaniam tangebat restitutio Comitis Nassovii Saræpontani, qvæ post longam acremqve disceptationem decreto publico imperii ad exitum perducta est, ut majoribus malis, qvæ oc-

cu-

cupata Lotharingia ingravescebant, præverteretur, comitatusqve iste unà cum castro Homburgensi verò ac pristino domino, ut jus fasqve erat, redderetur. Id qvoqve tunc ad periculum suum pertinere existimabant Belgæ, qvòd Antistes Coloniensis vicinæ urbi, qvæ jam à multis inde seculis liberæ suiqve juris fuit, novum opus nunciaret, qvasi munitiones molesqve recens structas protulisset in suos fines: sed purgare se Colonia, & contra ea, qvæ ex capite violatæ ditionis adferebantur, publicè obtestari cœpit: neqve urbis causam deseruit Cæsar, finitimiqve Belgæ huc spectabant, ut qvia ea urbs multarum rerum, præcipuè mercaturæ utilitatibus conjuncta secum consociataqve esset, præterea aditum ad suos fines patefaceret, majori præsidio firmaretur: Qvippe qvi verebantur, ne Galliæ rex, qvi vectigalia, qvæ nomine mercium Batavarum pendebantur, intenderat, ac præter morem consvetudinemqve superiorem vehementer oneraverat, bellum sibi conflaret. Eo igitur rerum statu F. Bel-

gæ

gæ securitatem urbis haud negligendam ducebant, & qvanqvam ex eo qvoqve parari sibi invidiam sentiebant, tamen periculi avertendi causa pro ea urbe summopere annitebantur, & Rhenobercam qvoqve, repugnante licet acriterq; reposcente Antistite, propter evidentem metum retinebant, ut si is forte, qvod tum suspicabantur, partium Gallicarum futurus esset, ne aperire hosti venienti aditum, bellumqve in viscera sua transferre posset. Haud minor ducum *Guelficorum* solicitudo erat, qvibus super antiqvo patrocinii clientelaris jure, qvod ratione Huxariæ, urbis ad Visurgim in diœcesi Corbejensi sitæ, qvadringentis fere annis posséderunt, lis movebatur: cujus compositio etsi qvidem *in* annum seqventem est rejecta, tamen Duces submonuit, uti propter ancipites instantium temporum casus de Brunsviga, sine qva domi tutis esse non liceret, in ditionem postliminio redigenda cogitarent, qvippe qvæ non modo patrimonii sui principalis pars esset, sed etiam ad reducendam concordiam, redinte-

gran-

grandasqve vires suæ domus, & stabiliendam inprimis *Circuli*, qvo continerentur, securitatem valeret.

1671. Verùm Galliæ rex, ubi Lotharingiam redegerat in potestatem, omnes urbes arcesqve ejus validis præsidiis firmavit, deinde civibus incolisqve universis edixit, uti omnis inposterum provocatio ad tribunal Metense fieret, nec alia, qvam regis mandata reciperentur: si contra eveniret, proditæ violateq; reipublicæ crimen esset. Postea expeditionem animi causa in Flandriam suscepit, cujus nomine ut in vicinorum suspicionem ne incideret, causam præ se tulit, qvòd cupido se incessisset videndi, qvæ ex Belgio Hispanico in suam ditionem redacta essent, cum ut cognosceret de conditione suorum finium, tùm ut curaret, si qvid ad firmandos eos reperiri compararique posset. Eo consilio ad regem Angliæ Rheniq; accolas principes dimissi erant, qvi indicarent, qvamobrem ea profectio susciperetur: idqve eò valuit, ut metum suspicionemq; amoveret, Fœderatosqve Belgas incerta pacis expecta-

tio-

tione suspensos relinqveret, qvibus hoc grave sumptuosumqve fore præsciebat. Etsi enim pacis hoc anno retinendæ significatio ipsis data est, tamen commutationem regis voluntatis, conversionemqve inseqventium temporum facilè multis indiciis præsentiebant. Neqve ignorabat novus Belgii rector Monteregius, qvid ex ea re futurum esset, si regi Dunkerkam profecturo fortuna occasionem daret, ut ex destinationum successu negligentiaqve sua animum sumeret. Sed sive id rex seriò noluit, ne si pacem Aqvisgranensem frangeret, Hispanorumqve foederatos in se concitaret, sive expeditionis ludicrum hoc esse voluit, ut futurum grave memorabileqve bellum ante significaret; sive opportunitatem in aliud tempus differendam statuit, ut urbibus præfectorum animos ad se inclinaret, fama ejus adventus non mediocriter finitimos commovit, maximeqve solicitum habuit Monteregium, ad qvem nuncii de proditione instructisqve insidiis hinc inde afferebantur: augebant periculum Creqvii cohortes, qvas ex Lotha-

tharingia progressuræ, per Belgii Hispanici fines transitum postularent, qvem tentare etiam posse videbantur. Apud Batavos æqvè salutis suæ anxios supplicationes publicæ sunt indictæ, simulqve cœptum consilium de custodiendis reipublicæ finibus, & præparandis militiæ rebus, accersendisqve sociorum auxiliis, si rex in proposito inferendi belli perseveraret. Utqve ratio defensionis expedita esset, non cessarunt Batavi sollicitare Anglum, ut fœdus, qvod ad infringendos hostis conatus aptissimum erat, non modo ratum porrò haberetur, sed etiam de integro conditionibus multò arctioribus firmaretur, sociiqve ejus ad ferenda mutuò, si necesse esset, summis viribus auxilia obligarentur. Sed qvia id ejusmodi videbatur Anglis, ut non tam ad sua, qvàm ad Batavorum commoda dirigeretur: præterea superiores, necdum obliteratæ offensæ identidem animis ipsorum occurrebant, & pacis qvoqve ex parte sua securi esse poterant, & si bellum cuperent, majora ejus præmia apud Gallos ostendebantur, regniqve il-

lius,

lius, qvod ad vicinorum fortunam permultum poteſt; ſuperior curia non peræqvè ſtudebat Batavis, ac ſpes de ea fuerat, apertiùs ſentire cœperunt, fœdus æqvamq; amicitiam ejus gentis non diuturnam fore.

In Hungaria ſtatutum eſt in eos exemplum, qvi crimen in regem admiſſum primo excuſando amoliri, deinde agnoſcere deprecariqve cœperunt, in qvorum numero erant aliqvi illuſtri loco nati proceres, Franciſcus Nadasdius, Petrus Zrinius, Franciſcus Frangepanius, de qvibus & ſocio ejusdem delicti Johanne Eraſmo Tattenbachio ſumtum eſt ſupplicium: bona partim fiſco addicta, partim aliis attributa; nominatim dynaſtia Reinſteinenſis devoluta ad Brandenburgicum, tanqvam Antiſtitem Principemqve Halberſtadienſem, à qvo antehac lege beneficiariâ pependit. Reliqvæ clientelæ, qvæ ditione Comitatus Blankenburgenſis continentur, ad Duces Luneburgicos veros antiqvosq; earum dominos redierunt: illæ verò poſſeſſiones, qvæ ad patrimonium domus Auſtriæ perti-

ne-

nebant, eodem jure tituloqve sunt à Leopoldo repetiti. Idoneos auctores habeo, istius conspirationis initia Anno M DC LV. cœpta, inde sensim paulatimqve collegisse vires, præsertim ab Anno M DC LXII. qvo fide concordiaqve maximè opus fuit ad reprimendos Turcas. Tùm qvoqve Rex Poloniæ multis difficultatibus impediebatur, qvo minùs rempublicam discordiis belloqve fessam meliori loco collocaret, siqvidem pleraqve Regni negotia tam dissimiliter tractabantur, ut conatibus consiliisqve ejus de reducenda concordia recuperandisqve Podoliæ finibus minimè eventus responderet. Etenim Doroszenkus, jam eò perfidiæ processerat; ut socios militiæ manipulorumqve ductores ad sacramentum Turcis dicendum impelleret, Tartarosqve ad incursiones faciendas instigaret atqve ut castra conjungerent, missis Constantinopolin nunciis solicitaret. Qvippe alienâ calamitate ferocior factus, consilium ceperat Polonici Imperii ex Podolia exterminandi, qvod lenitate,

qvæ ad retinendos in officio Cosacos perapta erat, firmari potuisset. Meliùs cecidit Moschis, qvod Razinum, qvi maximas turbas excitaverat, per insidias captum supplicio affecerunt, *Regnaqve* Asiæ, de qvibus supra tradidi, in fidem recepta, ditioni suæ rursus conjunxerunt. Atqve ita tandem rapinarum, deprædationumqve & cædium immanissimarum ibi finis est factus. Interim, Germania futuri solicita, de formula sanctionis perpetuæ consultabat, qvod tamen ejusmodi est deprehensum, ut propter dissimilitudinem studiorum voluntatumqve Principum confici non potuerit. Ex qvo non levis timor subiit, præsertim ubi proxima finitimaqve spectabantur, nec amplius dubitari *poterat*, qvin bellum pararetur: Batavis, commerciis & libertate Regi Galliæ invisis, eoqve majus periculum adituris, qvòd in Germania hostes pariter & amicos habituri essent, unde non posset non imminere ingens malum. Namqve inter eos & vicinos Episcopos tales qvotidie æmulationes controversiæqve

qve intercedebant, qvæ nullam ſolidam conſtantemqve amicitiam patiebantur. Itaqve periculi avertendi & pacis ſervandæ cauſa in Imperii, Saxoniæqve inferioris, qvæ proxime à diſcrimine aberat, conventu ſedulò deliberatum fuit: capitum, de qvibus tractabatur, ſumma hæc erat: uti communi ſecuritati proſpiceretur, militiæqve ratio & modus definiretur: ſpeciatim ut controverſia Huxarienſis, qvæ ſuperiori compoſitione transigi non potuit, decideretur: tum qvicqvid libertatis legibus, tranqvillitati, commodisqve publicis, ærario, vectigalibus, conficiendæ pecuniæ, rei nummariæ, conſtituendisqve reipublicæ ſubſidiis profuturum eſſet, maturè diligenterqve curaretur. Poſt in tractando Huxarienſi negotio tot tantæqve difficultates ortæ ſunt, ut arbitris ad id expediendum delectis multæ moleſtiæ exhiberentur, qvæ ſic tandem Bilefeldii ſunt finitæ, ut Luneburgicum præſidium de urbe decederet, civesqve & incolæ ejus gratiæ Antiſtitis Monaſterienſis, qvi eo tempore illic Abbatis mu-

nus gerebat, permitterentur. Ceterum Brunſwiga dedere ſe coacta, jam obſeqvens erat Principi ſuo, ad qvem jure majorum, à qvibus condita acqviſitaqve erat, pertinebat, etſi procedente *tempore* multis immunitatibus privilegiisqve *ornata* efferre ſe & prope pro libera gerere, Ducumq; civile imperium auctoritatemqve negligere cœperat, adjuta diſſidiis ſuperioribus, qvibus Principes illius familiæ ſæpenumero diſtrahebantur. Contra Lubeca ditionis ſuæ pagos, veteresqve poſſeſſiones, & Hamburgum qvoqve libertatem ſuæ urbis juraqve omnia, qvibus à poteſtate Ducum Holſatiæ exempta esſet, tabulis à Leopoldo Cæſare ſummiſſis tutabantur. Haud minor ſolicitudo fuit X. civitatum Alſatiæ, qvæ etſi ratione *obſeqvii* civilis nemini, præterqvam Imperio, obnoxiæ ſunt, tamen Regi Galliæ lege ſupremæ præfecturæ Hagenoënſis, pacto Monaſterienſi, ſalvis tamen Imperii juribus, ceſſæ attributæqve alligantur. Itaqve ab iis Rex jusjurandum in ea verba conceptum exigit, ut inter eas, & ditioni Gallicæ ſubjectas urbes,

parum

parum intereſſe videretur. Ea de cauſa arbitri utriusqve partis voluntate conſtituti, certam formulam conſcripſerunt, juxta qvam in poſterum jurejurando adſtringerentur. Verùm qvia ab Rege Robertus Gravelius cum pleno mandato ad id negotium perficiendum miſſus, nil modicum cupiebat, grave id Imperio accidit, resqve hæc infecta manſit. Nam ita jam ſe firmaverat Rex, ut ſi juri ſuo non confideret, conſilium à vi mutuari poſſet, ſubacta qvippe Lotharingia, & conciliatis ſtipendio Helvetiis, contra Auſtriæ finitimorumqve Principum metum ſatis ſuperqve munitus, qvando aliâ viâ non ſatis Alſatiæ ſuæ cautum proviſumqve eſſe exiſtimabat. Cum verò hactenus major Europæ pars inuſitatos Regis terrâ mariqve apparatus ſpectaret, tùm inter ſpem metumqve anceps, inſignem converſionem hoc præcipuè anno, qvi ad evertendas prope Batavorum res fatalis fuit, expectare videbatur. Præterqvam enim qvod fœderatum Belgium metu confuſum diſſenſionibusqve conturbatum fuerat, etiam Viennæ &

Ratisbonæ, inprimisqve Mantuæ Carpetanorum trepidatum est, cum belli Batavis indicti, & regis Angliæ in easdem partes tracti nuncius afferretur: propterea qvod Batavi, qvorum fortunæ reiqve publicæ inclinatio cum Austriæ Germaniæqve damno conjuncta erat, ad resistendum erant imparati numeroqve copiarum impares, in qvod periculum venerant partim culpâ aliqvot Procerum, qvi magis ad perniciem Auriaci, qvàm curam belli defensionemqve finium incumbebant, partim magistratuum populiqve, mutuis inter se dissidiis atqve diffidentiâ, qvæ imperiorum certè pestes sunt, nisi tempestivè evellantur ex animis penitusqve deleantur. At externi hostes ex diversa *causa* bellum cœperant, nec perinde aliqvid grave accidit regi Galliæ, ac recordatio fœderis *triplicis*, Batavorum operâ procurari, qvod eo valuit, ut metu cogitationeqve ejus rex prohiberetur, qvo minùs labenti in finibus Belgicis Hispanorum potentiæ vim faceret, novamqve calamitatem machinaretur.

Si-

Simul eum stimulabat ira erga popularis reipublicæ libertatem, qvæ more Regum, cupientium Imperia addictiùs parentium, immodica ipsi visa est, præsertim ab eo tempore, qvo utili ad pacem ratione id sibi sumsit, ut victorias viresqve præcipuorum Europæ regnorum moderaretur, operamqve daret, ut Galliæ Hispaniæqve rationes sic æqvaliter confectæ explicatæq; essent, ut neutra ex alterius ruinis parare insignius robur magnitudinemqve posset. Neqve fuit leve odium qvod erga florentia illius gentis commercia conceptum diu continuit, cui monopoliorum injustitia prætexebatur: adeo ut nil æqvè cuperet, qvàm ut institutâ apud suos Indiæ Orientalis societate, utilitates mercaturæ Batavorum iis in Regionibus diminuerentur, & qvoqvo modo impedirentur. Regi Angliæ iniqvior Auriaci fortuna, qvâ aditus ei ad præfecturam Batavam avitamqve præfecturæ militaris dignitatem præcludebatur, non inter postremas belli inferendi rationes fuit. Injuriæ, qvæ ad Regem remqve publicam spectabant, in hanc senten-

 tiam

tiam expositæ erant: nempe id propositum esse Batavis, ut frangant debilitentque Anglorum opes, commerciisque & coloniis ipsorum vastitatem inferant: docere hoc tot damna, quæ in utraque India ab iis accepissent: tùm colonos ex foedere restituendos, non modò non in integrum restituisse, sed ne ad se quidem remisisse, & si freqventer etiam interpellati remiserint, eos duntaxat inopes & paucos rediisse: præterea adversus imperii maritimi jus majestatemque fecisse, quando superiori anno classiarchi ipsorum Anglis poscentibus, ut more veteri vela demitterent, pertinaciter restitissent, Regisque antiqvum jus & simul honorem labefactassent, qvodqve satisfactionis præstandæ admoniti, conditiones ab Rege latas neglexissent, pactionemqve Bredæ nuper initam violassent, cujus vindicem oporteret esse Regem, ut firma perpetuaqve ejus atqve Regni jura conservarentur. Ex adverso foederati Belgii Ordines affirmabant, omnes satisfaciendi rationes sese inituros, cupereqve, ut super eo negotio

aeqvis

æqvis conditionibus qvamprimum transſigatur: de damno, ſi qvod illatum ſit, ſpondere ſe paratos ad reſarciendum fore: ablata ſine mora impendioqve reddituros: multa præter ſpem voluntatemqve ſuam accidiſſe, qvorum nomine purgare ſe poſſint, qvæqve ejusmodi ſint, ut in poſterum emendari debeant: Fœderis Pariſienſis cum Rege Galliæ, & Bredani cum Rege Angliæ icti magnam ſemper apud ſe fuiſſe religionem, & credidiſſe, navigationem atqve commercia feliciſſima manſura, ſi pari fide conſtantiaqve pax ſervetur. Qverelas de datis acceptisqve damnis eſſe mutuas; & ſi qvid contra fecerint pleriqve ditioni imperioqve ſuo ſubjecti homines, injuſſu ſuo feciſſe, ſemperqve ſe declaraſſe hunc animum, qvòd fœdera ſanctè cuſtodituri, & ſi qvid etiam culpâ ſuorum factum fuiſſet, nihil ſive reconciliationis, ſive ſatisfactionis cauſa recuſaturi eſſent. Verùm ea Regis utriusqve indignatio fuit, ut parùm abfuerit, qvin liber ille ſuiqve juris populus opprimeretur: Galliæ Rex, præterqvam

qvòd maritimis Angliæ viribus auctus erat, tripartito qvoqve exercitu, qvem accitis ex Italia, Helvetia, Anglia, Scotia Hiberniaqve cohortibus, contractisqve Germanorum auxiliis firmaverat, fœderatos Belgas petiit, ac uno mense Junio tota pæne eorum ditione est potitus. Jamqve eo ventum erat, ut omnes prope rebus suis desperarent, qvum captis Cliviæ urbibus atqve arcibus, qvibus fines earum regionum aperiuntur, occupatoqve insulæ Batavorum aditu, & intercepto etiam propugnaculo Schenckiano, ex qvo universi Belgii salus pendet, motisqve in interiora castris, deditaqve Nardena, Hollandiam intravisset. Ipsum caput provinciæ Amstelodamum confusâ multitudine discors, & proceribus subito metu perculsis, diffidens sibi sententiisqve pugnans, in extremum discrimen venit, regis, ut creditur, imperata facturum, si is qvidem Ludovici Condæi dictis audiens, intermissâ Neomagi obsidione, festinatis itineribus ad urbem contendisset, & occasione pariter timoreqve Batavorum ad id inceptum perfi-

cien-

ciendum tempestivè usus fuisset. Sed tunc primùm apparuit, opportunitate hac semel neglecta, omnem postea spem occupandæ Hollandiæ irritam fuisse, mirantibus etiamnum Batavis, qvid fuerit, qvòd hostis non haberet in consilio fortunam, neqve occasione, cum posset, uteretur. Sanè autem Batavis, ad ultima tunc redactis ista Neomagensis obsidionis mora maximè fuit utilis, ut qvasi fato qvodam interposita videri posset, qvâ ipsis daretur colligendi se spatium, ne imparati subigerentur, neve redigerentur in externam servitutem. Qvod periculum cur pertimescerent, nulla eqvidem fuisset causa, si qvemadmodum memorabili exemplo Modena, ita reliqvæ in limite urbes sese ad sustinendum hostis impetum comparassent, & itinera, qvibus Rheni Isalisqve ripæ adeuntur, firmassent diligenterqve custodivissent. Idqve illic locorum eò minus difficultatis habet, qvòd totus ille finitimarum urbium tractus fluminibus paludibusqve clauditur, proximumqve Belgium canalibus & cataractis, qvibus aqva in subjectum agrum

exonerari potest, abundat, & castris propugnaculisqve natura & opere firmis continetur. Neqve sic tamen evitarunt insidias Gallorum, qvippe qvi per speciem auxilii contra Antistitem Monasteriensem, superioribus annis Regi Angliæ foedere conjunctum missi, omnem ejus regionis faciem interioremqve statum cognoverant, simul & exiguam urbium annonam, debile præsidium, inopiam rei tormentariæ, omissas propugnaculorum munitiones, neglectamqve rei castrensis curationem, exploraverant: multo minus eos celari potuit, qvæ tribunorum militumqve ingenia & deminutiones, qvæqve cohortium robora & vires essent: neqve eos fugiebant procerum dissidia atqve æmulationes, & grave Regis Angliæ vicinorumqve Germaniæ Episcoporum in eam rempublicam odium, & plures ejusmodi difficultates, populo isti, siqvidem externis auxiliis destitueretur, sine dubio, exitium allaturæ. Erat insuper æstatis ejus anni tanta siccitas, ut fluminum altitudini qvoqve officeret, tanta-

qv

qve fortunæ iniqvitas, ut pleriqve, per qvos rempublicam restitui defendiqve oportebat, sive largitionibus corrupti, sive repentino hostis adventu periculiqve magnitudine perterriti stationes desererent, turpiqve fugâ elaberentur. Nec inter Provincias conveniebat, qvippe qvod aliqvas earum hæc irruptio adeò perturbaverat, ut erga eos, qvi cum magistratu erant, odio suspicioneqve ductæ hostem venientem non coactæ reciperent, qvem arcere aditu reprimereqve potuissent. Multæ enim urbes priùs de deditione egerunt, qvàm oppugnarentur: Ultrajectum hosti nondum promotis in agrum castris, conditiones obtulit, exemplo cæteris urbibus reiqve publicæ pernicioso. Qvæ dum ibi agebantur, Episcopus Monasteriensis injurias causatus, impressionem fecit in Transisalaniam, castraqve cum Coloniense, qvi neutrius partis studium præ se tulerat, conjunxit. Utriqve enim sperabant tali bello se recepturos, qvæ Batavi jam dudum patrimonio suarum ecclesiarum erepta, ad illud us-

usqve tempus malâ fidé possedissent: Qvæ cujusmodi sint, qvaqve fortunâ gesta fuerint, infra dicam. Hispani interim cum pro honore Auriaci, tùm pro salute F. Belgij nitebantur consiliisqve experiebantur, non ignari, qvàm prope à periculo abfuturi essent, si Rex nemine impediente illis Regionibus potiretur, qvibus occupatis, non posset esse difficilis ad se aditus, nec arduum negotium sese opprimendi. Ea ergò cura effectum est, ut qvum non esset Batavis, unde se contra Gallorum incursiones tuerentur, auxiliis Hispanorum summissis, ultimum, qvod instabat, periculum declinarent. Alioqvin Auriaco in avitam dignitatem restituto, turbidus rerum status auspicatissimè *est* emendatus, qvanqvam initiò non deerant, qvi multas molestias ei exhiberent, usqve dum plenam de rebus bellicis statuendi potestatem nactus, amorem patrociniumqve libertatis efficaciùs demonstraret, & reparandæ popularium fortunæ occasione promptiùs uteretur, sopitisqve motibus & studiis,

ser-

servandæ reipublicæ ducem auctoremqve providum se præberet. Atqve tunc Angliæ rex, magnâ pecuniæ vi ingentibusqve promissis in partes Gallicas adductus, ita odioqve ita contra eam rempublicam exarserat, ut simul ulciscendi superiores clades, & constituendi maris imperii occasionem sumeret, navigationisqve ad commoda sua dirigendæ potestatem, commerciorumqve arbitrium destinaret. Eo consilio ad prælium navale omnes res præparatæ sunt, qvod Wittenii reputantes, magis in defensionem oræ maritimæ, qvàm limitis terrestrem aditum munientis incubuerunt: perinde ac si cum rege Galliæ rempublicam terrâ oppugnaturo benignius pacisci, aut si fortuna ita ferret, ut totus reipublicæ status commutaretur, minori suo damno in regias præfecturas describi posset: adeo & vindicem Auriaci Anglum, & eversorem suum timebant. Itaqve classi, in qva omnis spes ponebatur, Michael Adrianus Ruyterus, cujus tunc præcipua rei navalis gloria erat, cum summo imperio præfectus, contra duos

duos Reges fortunâ diu ancipiti viribusqve prope æqvatis pugnavit, sed qvia ipsi non erat integrum, divellere junctas classes, & frangere earum distrahereqve robur, ad Seelandiæ littora se recepit. Fama tulit, eo tempore Anglos, qvia acriùs urgebant, in continentem facturos excensionem, nisi eos coorta tempestas, disjectis impetu navibus, de proposito dimovisset. Tum vero id saluti Batavorum maximè profuit, qvòd Galli, qvi Anglos in ære suo esse gloriabantur, non pari ardore invaderent Batavos, nec totis viribus congrederentur, potius diffidentiâ qvadam & occultâ invidiâ erga Anglos, qvàm metu erga hostes, qvos ipsis non expediebat redigi in Anglorum potestatem. *Sub id tempus apud Lusitanos res consiliaqve* pacata erant, fœdus cum Batavis integrè servabatur, nisi qvod Regem Galliæ vindicta ardentem ad urgendum cœptum disturbandaqve ejus nationis commercia per Legatum Parisios missum instigarunt, qvia è re suâ id fore ducebant, ut potentia eorum labefacta-

re-

reretur. Nam qvo minus contra Hispanos aliqvid molirentur, impediturus erat Anglus, qvi non minoris existimabat securitatem Flandriæ, qvàm necessitudinem Lusitaniæ, cujus Regiam potestatem Petrus nomine tituloqve Principis tenebat. Poloni adhuc diversa secuti consilia, de sanandis reipublicæ vulneribus deliberabant, & ut Archi-Episcopus Gnesnensis, qvi dissensionum Regno perniciosissimarum auctor fuerat, cum Rege, in qvem multa contumeliosè dixerat, & scripserat, rediret in gratiam, allaborabant: fuitqve ex utilitate Regni, ut prius concordia redintegraretur, qvàm Camienicia, munitissimum Podoliæ castrum, Barbaris dederetur. In Hungaria Protestantium rationes magis magisqve perturbatæ sunt, cum afflictæ eorum fortunæ nova subinde calamitas accederet, & templorum scholarumqve aditu intercluderentur, jureqve sacrorum privarentur. Etsi enim rogando insistebant, ut privilegia pristina sibi conservarentur, & longi temporis possessione, datisqve superio-

rum

rum Regum tabulis nixi, pro innocentiâ suâ nihil non movebant, tamen qvidam Pontificii Antistites longè aliam hujus rei expediendæ viam inierunt, & pleraqve templa Gymnasiumqve Posoniense armatâ manu occuparunt.

DANIÆ REX bellantium animos & vires cunctando experiri statutum habuit, contentus observare suum limitem, expectansqve commodiorem bellandi occasionem, qvæ ubi se daret ad propius emolumentum conseqvendum; eam non prætermissurus videbatur. Atqve eam in partem multæ & Austriorum & Batavorum rationes valuerunt, qvibus tamen ut Rex assentiretur, induci non potuit, postea vero, qvàm Suedi armis Germaniam tentarunt, iis permoveri sese est passus. Reputabat qvidem in animo offensam Ducis Gottorpini, ob judicatam redemptamqve litem Oldenburgicam, & vehementiores Kielmanseckii sermones super eo negotio habitos recogitabat, sed studio pacis fretus, tunc satis habuit contra fortunæ casuumqve varietatem consiliis

se

se præmunire. Svedi, ad qvos undiqve legati Holmiam venerant, illo rerum statu ad alterutrius bellantium partis commodum damnumve suis auxiliis permultum posse credebantur: itaqve rex Galliæ magnò usui fore sibi ratus, si eos superiorum malorum, qvæ bello Septentrionali acceperant, nondum oblitos foedere sibi adjungeret; qva in re operam ei navavit Pomponius, fuitqve in hæc præcipuè capita conventum: ut Svedi sponderent regi Galliæ, si ob hostes insurgentes periclitaretur, aut à fœderatis Batavorum, qvales fore Austrios, non vana suspicio erat, omne studium consiliumqve, & si opus esset, vires qvoqve & arma ad bellum tale avertendum, pacemqve reducendam allaturos. Id verò amici Batavorum ita interpretati sunt, qvasi superiora Germaniæ beneficia tali pacto obscurare statuissent, qvippe qvod ejusmodi esset, ut iis, qvi justa graviqve de causa in armorum Batavorum societatem venturi essent, prope leges darentur. In Germania pleriqve Antistites perniciosis imperio

perio conditionibus ad infestandos Batavos conducti, auctoritati Cæsaris sese ad finiendam inter ipsos Batavosqve exortam controversiam offerentis acqviescere nolebant: qvo fiebat, ut per eos Regi Galliæ aditus in imperium muniretur, horreumqve belli hosti in patriæ finibus constitueretur. Monasteriensis tamen Gallos in castra ditionis suæ non admisit, sed societatem nihilominus ita arctissimam cum ipsis inivit, ut dehortationes mandataqve Cæsaris male acciperet, & cum Antistite Coloniensi argumenta ac rationes in Comitiis exhiberet, qvibus militiam stipendiariam exprobrans, expeditionis socialis pro Batavis susceptæ injustitiam accusabat, & si ab Imperio ea in causa desereretur, circumspiciendum esse sibi externum auxilium, denunciabat. Eratqve tunc ejusmodi Germaniæ status, ut ad perturbationem omnis ordinis jurisqve proxima tunc fuerit via, usuqve didicerit Hispania, haud inutile fuisse Philippi II. consilium, qvod è vita migraturus, filio suo de retinenda

Epi-

Episcoporum Germaniæ amiticia dedisset. Etsi enim Coloniensis per se pacis amans, & ab omni ambitione perniciosisqve machinationibus remotus erat, tamen à qvibusdam Batavo nomini infensis instigatus, bello Gallico se implicavit, ita tamen ut expectare injuriam, qvàm inferre mallet: qvæ occasio postqvam data est, non defuerunt, qvi dicerent, adventasse nunc tempus, qvo ultionem multis annis in animo agitatam proferre perficereqve possent. Erant autem ii pensionibus, qvas alibi sperare non fuit integrum, Gallis maximè obnoxii, qvi mos ab Ludovico XI. traditus, hodierno Regi magnopere profuit, qvàm dandis beneficiis, Regna Principatusqve studiis divideret, iisqve artibus ad augendam latè potentiam uteretur. Monasteriensem imprimis pungebat, qvòd, ut ipsi id qvidem videbatur, Batavi cum in aliis rebus, tum in causa præfecturæ Borculo secum iniqvè egissent: proinde ejus repetendæ neqve jus, neqve fortunam sibi deesse, qvando Batavi pacis Clivensis conditio-

tiones non servassent: putabat autem, jam pridem ab se liqvidò esse confirmatum, qvod Borculo dependeat à jure ecclesiæ Monasteriensis, sitqve beneficium solis maribus attributum, qvod extincto sine prole virili Justo, Comite Bronchorstii & Dynasta Borculonensi, qvod anno cIↃIↃ LIII. accidit, ex capite caduci in plenam ejus ecclesiæ potestatem, simulqve possessionem redire debuisset: qvam cur recuperare non potuerit, stetisse per F. Belgii Ordines, qvi patrocinio suo pro Irmgarda Limburgi Comite annixi effecissent, ut pro ea in curia Geldriensi sententia diceretur. Ex adverso Ordines affirmabant, beneficium Borculo sine discrimine sexus ad familiam primi acqvirentis pertinere, & cum ea res in judicium vocata fuerit, judices delegatos nullo odio studioqve ductos pronunciasse: constare enim ejus litis decidendæ rationem ex tabulis beneficiariis, ex qvibus jus ad istam dynastiam utriqve sexui commune intelligatur, qvod mortuo sine liberis maribus Justo, ad nullum alium de-

vol-

volvi potuerit, qvàm ad proximam ejus cognatam Irmgardam: qvippe qvæ in ea succedendi conditione semper manserit, & jus ratione ejus dynastiæ qvæsitum sibi eripi adeò non passa fuerit, ut qvoqve per latam sententiam in omnium bonorum lege beneficiariâ à Justo cognato relictorum possessionem venerit: Adhæc dynastiam non finibus dioeceseos Monasteriensis contineri, sed à tempore qvadringentos annos excedente juribus Geldriæ fuisse obnoxiam, atqve adeo litem super illa agitatam moribus institutisqve Geldricis convenienter in curia ejus regionis decidi oportuisse: qvare prolatæ sunt antiqvæ literæ, editaqve instrumenta publica, qvibus confirmatum est, eam dynastiam semper fuisse partem Geldriæ, & non modo non inter dynastias imperii, sed ne inter portiones qvidem dioeceseos Monasteriensis numerari posse. Sed ubi Christophorus Bernhardus Episcopi Monasteriensis dignitatem est consecutus, curavit, ut super ea controversia tanqvam ad fines illius dioeceseos pertinente

co-

cognoſceret tribunal Spirenſe: inde ergo perlatum eſt mandatum in hanc ſententiam, irrita eſſent ſuperiora acta, deſiſterentqve incepto, qvi turbaſſent in jure Epiſcopum, ac eo nomine ad dicendam in Senatu Imperii cauſam teneri ſe exiſtimarent. Verùm Ordines ob ſeparatas juris-reiqve publicæ rationes non committebant, ut ſuper eo tractu, qvi extra limitem Imperii ſitus eſſet, leges ſibi ferrentur, cuperentqve nihilominus, ut lis, qvæ turbas in poſterum excitare poſſet, ſine mora & confeſtim amicâ compoſitione terminaretur. *Sed* qvia Epiſcopus jure, qvod *ſibi* ea in dynaſtia tribuebat, cedere noluit, contra Ordines generales F. Belgii universè & Geldriæ ſigillatim cenſuerunt, non *deſeri* poſſe Ottonis Comitis Limburgi cauſam, Epiſcopus Anno cIↃ IↃc. LXV. arma corripuit, qvibus ex formula pacis Clivenſis, altero pòſt anno depoſitis, nunc iterum ope conſilioqve Gallico ſubnixus, & rationibus, qvas ſtatim commemorabo, inductus belli fœderatis Provinciis inferendi occaſionem cepit,

pit, & qvasi jura legesqve imperii convellerent, exprobavit, minimè oblitus, qvid antehac qvoqve in causa Lichtensteiniana sibi accidisset, & qvemadmodum in obeundo munere, qvod Cæsar mandaverat, impeditus fuisset. Simul eum multa alia injustè admissa, qvorum titulum expeditioni præferebat, vehementer commoverant; eò qvòd ex literis interceptis cognovisse se diceret, peti famam, existimationemqve & libertatem suam, qvando Batavi fidem suorum tentassent, & rerum consiliorumqve suorum administros corrumpere, in animo habuissent, hominesqve etiam suæ ditioni obnoxios ad audendum res novas instigassent, qvin & vitæ suæ insidias struxissent, nec mediocre damnum agro suo intulissent: ad hæc dimissos ab se cursores, custodesqve corporis violassent, itemqve jura finium suorum invasissent, & controversiam de effodiendis in limite cespitibus non æqvis conditionibus terminassent: præterea qvòd dissidia, qvæ citius extingui potuissent, inter se atqve duces Lüne-

burgicos fovissent, tùm qvòd Comitis Benthemensis uxorem ac liberos, contra qvam deceret, in fidem patrocinii sui accepissent, hisqve rebus non modò voluntatem à se aversam, verùm etiam hostile odium declarassent. Jamqve Batavos præsidii de urbe Monasteriensi deducti alterâ vice pœnitebat, qvod viderent, summum ex finitimo isto episcopatu periculum sibi imminere, qvum episcopus monitus rogatusqve, ut saltem medium se partibus præstaret, omnes rationes obtestationesqve studio partium Gallicarum & *vindictæ* cupiditati posthaberet. Tum verò ei hæc expeditissima videbatur via suorum & imperii finium opportunè augendorum lateqve promovendorum: nec deerat ratio firmandi sacros Ordines, qvorum dignitatem convelli à Batavis, & commoda interverti, crebræ multæqve inter finitimos episcopos qverelæ audiebantur. Idcirco facilè existimabat Monasteriensis, dari sibi spem occupandi urbes trans Isalim, Amasumqve sitas, speciosò etiam prætextu bene mere

de imperio, cui magno usui ornamentoqve futurum esset, si Daventriam Transisalaniæ caput, & Swollam Camposqve in potestatem suam redigeret, & cum ditione imperii societateqve liberarum urbium, ad qvas antehac pertinuissent, denuò conjungeret. Neqve aliam sibi mentem esse declaravit Coloniensis, qvi eo tempore, qvo plures potentioresqve hostes in F. Belgii respublicas armati erant, confidebat, non difficilem sibi fore recuperationem Rhenobercæ, qvæ antiqvo jure adjuncta est ad fines Archiepiscopi Coloniensis: simul ei in mentem veniebat Trajecti ad Mosam, qvæ urbs qvòd pro rata parte jurisdictione episcopi Leodiensis continetur, offensæ occasionem dederat. Præterqvam enim qvòd amplissima archiepiscopatus Coloniensis dignitas multùm imminuta est; ex qvo Philippus II. conditis in Belgio novis episcopatibus, detractam illi juris metropolitani partem contulit in ecclesiam Trajectensem ad Rhenum, olim Coloniensi obnoxiam, Batavi qvoqve præ-

textu collocandi iis in finibus præsidii Rhenobercam Trajectumqve Mosæ adjacens, ad firmandos regionum suarum aditus sibi subjecerunt. Qvod cum Archiepiscopo Ubiorum viribus & potentia valido, atqve ab aulicis in ultionem accenso, ac nuper etiam ob tentatam arcem Rochettam irritato grave esset, neqve ipse, neqve ii, qvi ipsum antecesserant, superioris belli Hispanici ullam culpam sustinerent, auspiciis regis Galliæ arma sumpsit, copiasqve ejus & foederati episcopi Monasteriensis adjuvit. Perinde ac si hæc & accipiendæ satisfactionis, & constituendæ securitatis ratio esset, ut Batavi summis viribus oppugnarentur, insitaqve genti cupiditas, & ditescendi studium licentiaqve Principibus odiosa ac permolesta reprimerentur, ut eo qvidem tempore passim adversi in eos rumores vulgari coeperunt.

Interim reliqvi Principes expectabant, qvò res hæc evasura esset, Saxoqve fidei & constantiæ suæ fructum in annum seqventem differebat, Branden-

bu

burgicus autem cum defensionis finium suorum causa, tum inductus ab Hispanis, qvi consiliis viribusqve pro salute Batavorum laborabant, Cæsarem, cujus & dignitas, & utilitas eo in negotio versabantur, societate expeditionis sibi conjunxit, copiasqve versus Rhenum duxit, & necessitatem hujus profectionis, Cæsarisqve mandata præferens, finitimos Principes rogavit, uti omni ope consilioqve se juvarent. Id verò pleriqve eorum sic acceperunt, qvasi nimium esset, qvod illo dubio periculosoqve temporum statu postularetur: siqvidem grave maximiqve momenti hoc institutum esset, qvippe qvo bellum externum facilè transferri in fines suos posset; de cætero qvod sui sit officii, non esse prætermissuros, idqve consilium & rationem putare conservandæ pacis, & periculi à communi patria avertendi. Eandem in sententiam rex Svedorum scripsit, ab incepto dehortatus, qvippe qvod ejusmodi esset, ut in eo Germaniæ salus versaretur: alioqvi se non defuturum studio pacis, neqve ulli operæ par-
 citu-

situtum, qvò reconciliatio pacis fiat: qvæ difficilior futura sit, si res eò deveniat, ut armis decernatur. Qvo tempore apparuit, qvanti res periculi fuerit, proficisci contra regem finitimorum gratiâ viribusqve suis fultum, & *discordantibus* patriæ consiliis illuc provectum, ut arbitria rerum Germanicarum captaret, vicinosqve metu & beneficiis contineret, & pacis conditiones fortunâ suâ metiretur. Qvare cum à Maguntino, Palatino & Trevirense, arma *Gallica* declinare cupientibus, transitu prohiberetur, necessitate coactus, *Westphaliam* intravit, cum ut *Gallorum* vires porrò distraheret, Batavisqve per se defensioni non suffecturis ex fœdere opitularetur, tum ut Episcopos *Gallicarum* partium ad officium reduceret, urbesqve Cliviæ interceptas, ex qvibus tutela propugnatioqve finium pendebat, recuperaret. Simul ita è periculo erepta est Colonia Agrippina, per cujus latus F. Belgium petebatur, qvùm hostis ea omnia tentaret, qvæ ad occupanda Rheni itinera proderant aditumqve

mu-

muniebant, qvod si conseqvi potuisset, non melior fuisset fortuna ejus urbis, unde Westphaliæ pariter Belgiiqve securitas, Rheniqve præcipuè commercia, qvibus magnæ illuc opes importantur, nervos spiritumqve ducunt. Id verò molestissimum accidit regi Galliæ, qvi priusqvam movit in Belgium, affirmavit, vereri se, ne per Germanos impediatur, qvo minus tantus belli apparatus eo, qvo optat, exitu terminetur: qvando intelligebat, non ferre Germaniæ rationes, ut ruentis ad interitum Belgii curam defensionemqve omittat: cumqve eò spectaret Cæsaris & foeдi Principis consilium, passim qvestus est, eos cum intra fines suos se continere potuissent, bellum simul & injuriam sibi inferre: verti autem in eo negotio honorem & pacem imperii, in qvod adeò nil hostile moliatur, ut qvoqve cum eo amicitiam servare cupiat: postulare ergò, ut bello externo & ad ipsos non pertinenti se non immisceant, copiasqve domum reducant: non esse, cur sibi à suis armis timeant, qvæ in Belgas, non in Germanos

nos ferat. Qvæ qvòd speciem juris haberent, ejusmodi visa sunt plerisqve futuri ignaris, ut putarint in iis postulatis omninò esse acqviescendum. Verum hi altiùs, qvid destinaretur, perspicientes, multis & gravibus rationibus docebant, per regem stare, qvo minùs pacis beneficio frui possint: siqvidem is Germaniam invaserit, & Westphaliæ insignem partem occupaverit, deqve auctoritate Cæsaris & juribus Principum deminuerit, & Germanicæ ditionis populum multis calamitatibus afflixerit, Cliviamqve & finitimos tractus hostilem in modum vexaverit, qvæ cum ficta non sint, rerumqve testimonia extent, sibi fuisse causam, cur in communi periculo arma conjungerent, libertatemqve patriæ contra vim injuriasqve tuerentur. Contra hos tum expetitis copiis contendit Turainius, & viis passim occupatis, ipsorum destinationes, qvas sæpe per indicium cognoverat, antevertit, nec modò invadendi se opportunitatem præripuit, sed etiam multis incommodis affecit, & ob annonæ inopiam consistere

non

non ausos ad receptum adegit, supplementisqve firmatus totum fere Marcæ Comitatum insedit. Præter alias difficultates id etiam Cæsareis atqve Brandenburgicis impedimento fuit, qvòd ratio exeqvendi consilii militaris non ex unius arbitrio pependit, rumoresqve ad fovendam diffidentiam callidè ab hostibus dissipati sunt, & Germaniæ in concordiam redigendæ exigua spes apparuit, sociiqve sæpe sententiis in diversa abierunt. Cum hæc fierent, Svedi magnopere annitebantur, ut Brandenburgicus à societate militiæ Cæsareæ abstraheretur, qvod si non recusaret, affirmabant futurum, ut utilibus sibi conditionibus pacem pacisci possit. Id postqvam evenit, res Germanica in majus periculum deducta est, propterea qvòd hostis, qvi ad distinendas ejus militiæ vires plurimum poterat, regi Galliæ reconciliatus fuerat: mox enim, ut erat moræ impatiens, alias ex aliis res aggressus, Trajectum ad Mosam, unde in Hispanorum fines impressionem faceret, ad deditionem compulit, levibusqve de caussis exacerbatus, Electorem Trevirensem

sem nihil hostile expectantem, fideq; sua innoxium adortus, agrum ejus diripuit, urbesqve occupavit, & magnam vastitatem fecit. Nec meliùs postea cum Palatino actum, cujus regiones *rapinis*, cædibus, incendiisqve sunt *fœdatæ*, qvarum populationum injuriarumqve nulla alia fuit ratio, qvam qvòd imperata non facerent, Cæsariqve fidem præstarent. Facilè tunc intelligi potuit, id eò fieri, ut prostrato principatuum Westphalicorum Rhenanorumqve robore, via ad cæteros opprimendos muniretur, Germaniaqve de *præsidiis dejecta*, ad externum obseqvium sese inclinaret. Jam verò magis in spem propugnandæ libertatis erigebantur Batavi, qvòd Groninga obsidionem *summa* cum fortitudinis laude sustinebat, hostiqve crebris tormentorum ictibus mœnia verberanti constanter resiste*bat*. Custodiæ urbis impositi erant Dux Plœnensis, Rabenhauptius & Sicking*a*, qvi qvanta potuerunt diligentia, munitiones confestim instaurarunt, clausoqve portu & apertis cataractis, sua cuiqve ad

ad defensionem munia tempestivè distribuerunt: Opportunè etiam curabat Auriacus, ut annona instrumentumqve bellicum adveherentur mari, laborantiqve urbi inferrentur. Eam summis viribus oppugnabat Monasteriensis, & magnâ vi pilarum fragoreqve tormentorum obsessis terrorem detrimentumqve inferebat: sed militum pariter civiumqve constantiâ effectum est, ut hostis, qvi deditâ Covordiâ, qva aditus in Frisiam occidentalem erat patefactus, nihil minus, qvàm discessum cogitabat, obsidionem solveret, ac ingenuè confiteretur, vel in uno oppugnationis Groningæ discrimine plus militum suorum periisse, qvàm toto illo tempore, qvo ante Daventriam, Campos, Swollam, cæteraqve ejus ditionis oppida in armis fuissent. Qvibus rebus nomen ei urbi apud omnes maximum est conciliatum, ab eoqve tempore fortuna plus incrementi rebus Belgicis attulit, præsertim cum in extremo hujus anni Covordia qvoqve recuperaretur, cujus superior jactura Frisiis peracerba fuerat,

qvòd sine ea ne Groninga qvidem extra discrimen foret, qvæ ubi de consilio Caroli Rabenhauptii recepta est, Frisia rationes suæ securitatis confectas habuit, resqve episcopi insigniter sunt conversæ. Utebatur Rabenhauptius opportunitate hyemis, duratisqve glacie paludibus: milites in qvinqve centurias eqvitum, & tres desultoriorum distributi, & scalis, malleis, ligonibus, omniqve re tormentaria instructi ductore Eybergio ad occupandum castrum armati tendebant. Vix Dalenam ventum erat, cum audiunt, de conatu suo Covordiam perlatum esse: nec tamen proposito absistunt, sed pleni spe ingrediuntur, omnia ad faciendum impetum comparantes. Tribus diversis partibus castrum oppugnari placuit, qvæ audacia ipsis benevertit, qvando obscuro nebulosoqve aëre adjuti, fossam rupta glacie impeditam superantes, partim effractis summa vi portis in urbem irruerunt, partim admotis scalis vallum conscenderunt, & factâ inde impressione castellum munitissimum expugnârunt. Simul ibi magnus instrumenti bellici appa-

ra

ratus est repertus, pariqve fortuna omnis illa pecunia, qvæ ab hostibus coacta illic asservabatur, in Frisiorum potestatem venit, unaqve toti F. Belgio ejus occupatione castri felix omen datum, omnisqve spes reflectendi in Frisiam itineris episcopo atqve sociis ejus præcisa est, qvippe qvorum consilia isthæc expugnatio in solidum perturbavit.

1673. Cum redactis in concordiam animis, & receptis felici navigatione viribus, & constanti societate amicitiaqve Cæsaris denuò firmatis rebus, Batavorum potentia qvotidie cresceret, Hispanorumqve de eligendis belli socialis partibus certa fixaqve sententia esset, initium nunc à pacis consultatione ductum est, spe qvidem specieqve lætum, sed inane eventu, qvando majore utrinqve apparatu nova & acriora odia conflata sunt, qvibus amovendis, sese offerebant Suedi, auctoritatemqve suam conciliationis causa interponebant: sed primo statim in congressu legatorum est animadversum, Hispanos certum socialeqve bellum malle, qvàm per-

niciosam dubiamqve pacem, præcipuè cum inter ipsos Batavosqve fœdus pari metus ratione ictum fidele firmumqve esset, Cæsarqve officium conservandi imperii, propugnandæqve pacis *Westphalicæ*, & seqviorum pactionum, Clivensis, cujus ipse sponsor erat, itemqve Aqvisgranensis, qvam propter regiones Burgundicas negligere non poterat, consilium fidemqve præstaret, jamqve in eo esset, ut hostis conatum, qvi ad opprimendum Belgium diripiendamqve Germaniam spectabat, constanter & seriò cohiberet; qvibus rebus Batavi firmitatem & robur militiæ, momentumqve suæ causæ apud Germanos sperabant. Ad id negotium perficiendum missi sunt ab Svedorum rege Carolo XI. Comes Tottius, Baroqve Sparrius, viri usu multarum rerum insignes, qvibus adjunctus est Ehrensteinius, cujus dexteritas in tractatione reipublicæ patriæ multis qvoqve modis perspecta fuerat. Ii delati in Belgium, pacis recuperandæ desiderium, qvo rex suus teneretur, exponebant, & egregiam ejus voluntatem studium-

diumqve laudabant, ut qvem deploratus belli status, & maximæ innumerabilesqve calamitates, qvæ ab illo tanquam fonte promanarent, valde tangerent, ejusqve rei causa mandata accepissent, ut sociatis consiliis operam darent, qvò hujus deliberationis felicem exitum expedire possent: qvod qvin futurum esset, non dubitare, si Batavi parem operam conferret. Totius ut instituti rationes conficerent, in Galliam pòst abiit, regiqve moderandi animi compositionisqve auctor esse voluit, ut priusqvam tota Germania commoveretur, Principesqve alii traherentur in partes, pax confecta esset. Batavi haud ignari morum regis, qvi nil modicum concupisceret, comiter præfati, placere sibi hoc institutum, promtos paratosqve ad pacem animos declararunt, siqvidem ita fœderatorum suorum rationes ferrent. Qvod eò pertinebat, ut intelligerent, priùs de pace agi oportuisse, qvàm novo fœdere cum Austriis se conjunxissent, à qvibus nunc recedere sibi non foret integrum, qvòd communi illorum consensu eam ad

rem

rem in posterum opus esset. Qvare rerum periti censuerunt, opportunitatem faciendæ pacis non fuisse omittendam, cum imperium adhuc esset discors, Brandenburgicusqve pactione regi reconciliatus, Cæsarisqve exercitus ab eo sejunctus & absens, & occupato Trajecto ad Mosam, finitimi principes perturbati, præsentissimoqve periculo expositi, Cæsarem, demonstratis ejus belli difficultatibus, semel iterumqve interpellarent, ut bono publico patriæ, de sententia expeditionis altera vice suscipiendæ dimoveri sese pateretur. Sed qvia tam dura regis Galliæ postulata erant; ut Batavorum rationibus planè adversarentur, neqve probari eorum foederatis possent, neqve Germaniæ tuta viderentur, Cæsar armorum suorum necessitatem multis rationibus ostendit, Bataviqve à spe cogitationeqve pacis averti cœperunt. Cum vero de loco compositionis instituendæ consilium haberetur, post multas utrinqve disceptationes delecta est Colonia Agrippinæ, Gallis qvoqve hoc tribui sibi cupienti-

entibus, nec refragantibus Batavis, & ultro cedentibus Hispanis, ne suspectos se de mora redderent, neqve regi Galliæ, studium pacis præ se ferenti, nimis obniterentur, cujus ad hoc tempus dubiâ amicitiâ frui expediebat, donec Cæsaris exercitus finibus Belgii appropinqvaret, castraqve cum ipsorum atqve Batavorum copiis conjungeret. Ibi statim postulatum Gallicum de Austria à pacis negotio sejungenda à fœderatis rejectum, ne idem ipsis, qvod Brandenburgico, usu veniret, qvi speciosè persuasus à societate belli discesserat, ex qvo hosti animus crevit, majusqve periculum sociis, damnumqve patriæ est illatum. Pari constantiâ pro tempore, & dignitate sua oblatas inducias repudiaverant, & socialis belli conscientiâ nil sine Austriis pacisci se posse testati, plus fiduciæ ex justa belli causa fortunaqve proximè instaurata sumpserant, qvando duobus præliis mari commissis pro patria fortissimè pugnaverant, classeqve ex India feliciter advecta pecuniæ, in sumptum belli suppeditandæ

ner-

nervum receperant, Saxoniæqve & Franciæ Orientalis principes in Cæsaris partes inclinatos cognoverant, qvippe qvorum studio societateqve ad auctoritatem & vires Austriæ permagna fieri accessio posset. Priusqvam vero Coloniæ Agrippinæ de pace & conciliatione ageretur, Cæsar legatis eò venientibus de securitate cavit, & dimisso Batavorum præsidio, qvod El. Coloniensi grave, suspectumqve fuerat, cohortem Granianam urbi imposuit, non abnuentibus vicinis Westphaliæ Principibus, qvi sua & imperii causa ita fieri cupiebant: eò magis, qvod id non ad cujusqvam injuriam damnumve, sed ad avertendum periculum pertineret; in qvam sententiam ejus urbis Senatus literis ad regem Galliæ Angliæqve perscriptis de suspicionibus sese purgavit, & qvod istud institutum ad præsidium suæ libertatis, neutiqvam vero ad vim cuiqvam legatorum faciendam dirigeretur, affirmavit. Igitur acqvieverunt exteri reges, & Svedis id hortantibus assensi sunt, qvod judicarent novos Cæsaris appa-

ratus pacis consilia perturbaturos, si, constitutum conciliationi locum recusassent. Cum enim Trajecto ad Mosam expugnato, regiones Hispanorum peterentur, periculumqve immisso in agrum Trevirensem milite, finitimis Rheno superiori provinciis impenderet, bellumqve jam in Germaniæ viscera transferretur, intelligebant, eum minimè neglecturum injurias Principum, neqve commissurum, ut sua & imperii auctoritas impune violaretur, qvod nuper acciderat, qvùm Christianissimus rex nullâ imperialium decretorum ratione habita, prohibuerat, qvo minùs pons Argentoratensis, qvi jussu qvidem ejus interruptus fuerat, reædificaretur. Sed non diu ibi de pace tractatum est, qvando Galli mox palam & apertè qvesti sunt, Cæsarem, sancto legationis nomini illusisse, qvòd dedisset mandatum comprehendendi Principis Guilielmi Egonis Furstenbergii, cui tanqvam El. Coloniensis legato liber securusqve commeatus promissus fuisset: eadem fuit sententia Anglorum, commu-

mu-

munes hujus qverimoniæ rationes habentium, qvòd contra fas gentium admisisset Granianus miles, dum Principem in media urbe adortus, & libertati ejus urbis, & dignitati Principis, & *juri* legationis per se inviolabili vim fecisset: neqve eo secius exaggerabant Galli, qvòd pecuniæ sibi interceptæ rerumqve aliarum, qvæ ad legatos pertinerent, restitutio toties & omni jure expetita iniqvè denegaretur. Utcunqve autem sumptus est prætextus dissolvendi ejus conventus, totum certè *istud* negotium legatos Suedicos valde solicitos habuit, planeqve conturbavit, qvi cupiebant exeqvi regis sui mandata, pacisqve rationes confectas dare: [illegible] qvòd verebantur, ne si repentina fortunæ mutatio accideret Gallis, ea [illegible] cum damno conjuncta esset, qvum prævidèrent, ancipiti rerum statu parum opis amicitiæqve sperari posse à Germanis, qvi Austriis ad repellendum *Galliæ* regem se conjungerent prorsusqve conspirarent, pari id periculo sibi putabant fore. Neqve dubitabant, qvin F. Belgæ

gæ ad pacem durioribus conditionibus oblatam adduci sese paterentur, si spes auxilii Austrii eos destituisset: qvasi nempe hoc ibi fixum destinatumqve esset, ut renovato fœdere, sine qvo Belgæ nondum erigere se poterant, animi eorum, recente alioqvi militis Luxenburgiani injuriâ penitus abalienati, ad resistendum magis obfirmarentur, Gallorumqve nimiæ & invisæ vires, data hac opportunitate, alienis opibus collatisqve sumptibus frangerentur: præcipuè qvum id usui futurum esset Hispanis, qvippe eo in limite succubituris, siqvidem armis sociorum ipsi non adjuvarentur. Eo in statu Cæsar parùm tutum ratus, Gallis fidere, cum existimationis suæ, tum communis securitatis, qvæ prostrato Belgio haud retineri posset, rationes inibat, propterea, qvòd miles Gallicus, contra qvam ab rege promissum fuerat, Mosellæ tractum percurrebat, progressusqve in agrum Trevirensem latè omnia vastabat, & ne templis qvidem ac rebus sacris parcebat, adeo ut Romanus Pontifex qvo-

qvoqve id permolestè ferret, miseraqve Trevirensis fortunâ se commoveri pronunciaret. Jamqve mansvetudinis suæ poenitebat Cæsarem, cum videret spem pacis, qvam reductis *in hæreditarias provincias* copiis animo conceperat, insidiosis Gallorum consiliis eripi, auctoritatemqve suam in sacro imperio maximam convelli. Fuitqve hoc ejusmodi, ut Germania novo periculo objiceretur, cujus liberandæ *hæc* una via ipsi se ostendit, ut arma pacis causa intermissa repeteret, & *dimisso* ad Svedorum regem Adolpho Uratislao Sternbergio, injurias sibi & patriæ illatas qvereretur, simulqve pro juris necessitudine & fide, qva Rex Svedicus Germaniæ innexus esset, hortaretur, ut inclinatis rebus subveniret: qvandoqvidem multæ sint causæ, cur affirmare debeat, Gallos id hactenus agere, ut se pacis simulatione decepto, oppida pagosqve Germanicæ ditionis occupent immaniterqve vastent: qvòd eò minus per supremam suam dignitatem Cæsareumqve officium pati possit, qvia

Ordi-

Ordinis ſacri principem electorem, pacatum licet & imperio obſeqventem, non alia de cauſa infeſtaſſent, qvam qvòd opem ſuam atqve auxilium contra injuſtam vim imploraſſet. Qvæ legatio etſi credita eſt fuiſſe injucunda, qvòd ejus belli, qvod Svedi terminari cupiebant, perſeqvendi cauſas contineret, ſpectaretqve ad coarguendam Blumii audaciam jactatasqve liberiùs in Comitiis Ratisbonenſibus voces, tamen non poterant diffiteri culpam & indignitatem factorum Gallicorum, qvæ indies fœdis qvoqve populationibus & omni crudelitatis genere cumulabantur. Id vero per honorem ſuſceptæ à ſe conciliationis amoremqve tranqvillitatis publicæ rogare non dubitabant, ut Cæſar ultionem charitati patriæ condonaret, & leniorem viam rationemqve ſeqveretur. Eandem in ſententiam hortabantur Bavarus, & Neoburgicus, rati inutile & periculoſum fore, ſi Cæſar propter fœderatos Belgas, qvorum rara ac prope nulla in imperium beneficia extarent, incerti belli

belli fortunam periclitaretur: cum reputare secum posset, qvàm proclive sit Gallis majori impetu invadere Germaniam, incursionibusqve vexare. Contra Cæsar sumpta ab se justa arma causatus, sæpeqve Gallicis pollicitationibus delusus, pro jure imperii & auctoritate sua tuenda stabat, & nisi eo nomine sibi reiqve publicæ Germanicæ satisfieret, perqve vim & injuriam capta restituerentur, bello se repetiturum significabat: simul & Principes monebat, uti omni studio se juvarent, qvi nescire non possent, honorem salutemqve patriæ in eo verti: deinceps cur postulatis de Furstenbergio è custodia dimittendo concedere non posset, Anglis Svedisqve pariter indicabat: qvippe qvem nunqvam in loco ac numero legati habuisset, neqve ut haberet, ulla juris ratione cogi potuisset: propterea qvòd is fuisset, qvi hoc immane perniciosumqve bellum suis consiliis concitasset, cuperetqve, etiamnum id morâ & machinationibus trahi, & officii, qvod sibi patriæqve deberet, clientelæqve etiam, qvâ ab se tan-

qvam

qvam Archiduce Austriæ & perpetuo domino beneficiario penderet, indigno prorsus maloqve exemplo oblitus fuisset. Qvare eum Principem nemini, qvamlibet medio partibus, saltem seqvestris fide servandum tradere volebat, jamqve in expedito erat intelligere, qvid causæ esset, cur Batavi in renovati fœderis fiduciam erecti, nil contra sentirent, unaqve postularent, ut senior dux Lotharingiæ Carolus fide publica ad conventum Coloniensem admitteretur, qvod tunc qvidem à Gallis obstinatè recusatum est, etsi Vindobonæ Esaias Puffendorffius pro eo, ac poterat, persvadere annitebatur, regem Svediæ effecturum, ut postulato Cæsaris ta in re tandem daretur locus, siqvidem is in causa Furstenbergii facilem se præbere, restitutioniqve ejus annuere vellet. Qvod ubi impetrari non potuit, Galliæ Angliæqve reges retardati pacis negotii culpam in Austrios contulerunt, legatosqve rebus infectis discedere jusserunt. Svedis id pòst aliqvanto non modò nullam utilitatem attulit,

 sed

ſed etiam invidiam auxit, qvaſi non omnes eos, qvas potuiſſent, difficultates removiſſent, qvi tamen de eo ſe purgabant, præcipuè & apud F. Belgas teſtabantur, in ſuſceptis ab ſe conciliationis partibus nil qvicqvam de officio ac diligentia ſeſe remiſiſſe: qvin per internuncios, nominatim per Eduardum Ehrenſteinium palam aperteqve confirmabant, hoc ſe ſtuduiſſe ſemperqve propoſuiſſe, ut paci, qvantum in ſe fuiſſet, conſulerent, æqvisqve rationibus diſſidia ſopirent. Compertum habeo, Svedos, cum intelligerent, qvid difficilibus illis poſtulatis eventurum eſſet, neqve approbaſſe ſententiam Gallicam, & fideliter admonuiſſe, uti Rex Chriſtianiſſimus eſſet moderatior, eoqve ſe induci pateretur amore pacis, qvam rejecto, qvod Cæſaris nomine oblatum fuerat, *armiſtitio*, impediviſſet, multaqve contra pacem Weſtphalicam feciſſet, qvæ non poſſent juſta haberi, eſſent nihilominus talia, ut tranſigi celeriore pace poſſent. Cumqve non ignoraret Cæſar, dirigi hoc præcipuè ad Furſtenbergium

gium, cui ſimpliciter dari veniam cuperet Galliæ rex, pro vero affirmatum eſt, cùm per ſpeciem repudiati hujus poſtulati, libenter arripuiſſe occaſionem ſolvendi Colonienſis conventus, eò qvôd mallet cœptum pacis negotium eſſe infectum, qvàm committere, ut Lotharingus, qvantumvis ſuo & imperii nomine injuriam paſſus, perqve vim ducatu exutus, fide publicâ ad ſocianda pacis conſilia admitteretur. Qvod cum per ſe iniqvum eſſet, tùm Hiſpani, qvid ſibi inſtaret, prævidentes, regis ejus potentiam pertinaciamqve frangi cupiebant, cumqve id ſoli ac ſuis viribus efficere non poſſent, arte & conſiliis obſiſtere cœperunt, qvando imperium in belli ſocialis partes venit, rexqve Angliæ à fœdere ſocietateqve Gallica eſt abſtractus. Qvæ cum fierent, vehementer affecti ſunt Svedi, utpote qvorum commoda auctoritasqve cumprimis ea in re verſabantur, qvi cum ob ſuperiora renovataqve nuper cum Gallis fœdera ſuſpiciones ſociorum Principum incidiſſent, tùm poſtea in periculum

adducti belloqve implicati sunt, qvàm eventus ipsorum expectationi adversus fuit: qvod accidit, cum vulgatum est, eos non evitasse opinionem studii Gallici, duxisseqve in regiones *Brandenburgicas*, cumqve reipublicæ mittendis auxiliis proportione Germanicarum possessionum prodesse possent, etiam rogatos monitosqve ob amovendam partium suspicionem recusasse, pòst verò ab externo rege de subsidiis appellatos non defugisse, causatosqve speciale, sed ambiguæ interpretationi obnoxium, nunqvamve contra nexum necessitudinemqve & debitam reipublicæ fidem *interpretandum* fœdus, partes elegisse. Apud F. Belgas fortuna pariter & rerum bellicarum administratio correcta est, datumqve id Austriis, ut Lotharingus, qvem ab æqvo legitimoqve arbitrorum judicio rex Galliæ excluserat, *Kalendis* Juliis hujus anni in societatem *fœderis* reciperetur: non modo qvòd *Cæsar* & Hispanus pro eo fidem interposuerant, sed etiam qvia summa æqvitas postulabat, uti dux in pristinum locum restitueretur

retur, majusqve imminens malum averteretur. Nam erepta Lotharingia, Hispanis præcipuè metuendum erat, qvòd judicarent, malè consuli rebus suis, si in posterum inter infestos sibi Gallos iter versus Belgium haberent, siqve ex Ducatu Mediolanensi & Comitatu Burgundiæ aditus versus Flandriam occupatus impeditusqve esset: adhæc fas & fœdera superiora, clientelæqve vinculum, finiumqve defensio & juris auctoritatisqve asserendæ ratio permagnam vim apud Austrios habuerunt, ut neqve ducem deseri, neqve ejus qverelas negligi posse existimarent. Qvod regis Galliæ sollicitudinem auxit, qvia videbat, id à fœderatis hostibus agi, ut summis viribus se oppugnarent, Hispaniqve etiam denunciaturi bellum, ad inferendam sibi vim sese compararent, qvos intelligebat hoc spectare, ut plures hostes adversus se concitarent. Jam confirmati F. Belgæ, qvid commodum sibi opportunumqve esset, æstimabant. Igitur res omnes ad continuandum belli apparatum reficiendumqve exercitum provisæ, nec

non decretum publicè factum, ut propter inopinatos belli casus prudenter avertendos suas qvisqve stationes diligentissimè obirent, incolæqve in manipulos tributi incursantem hostem circumspicerent, conductisqve magnâ impensâ militibus haud segniter opportuneqve opem ferrent: qvod necessitati temporum concedi oportuit, ut imminenti è proximo hosti, atqve ad irruptiones faciendas semper intento vastandi occasio præcideretur. Simul & æstimati sunt belli sumptus, & pecuniæ subsidia fœderatis constituta, omniaqve demum procurata, qvæ ad temporum locorumqve opportunitates apta idoneaqve sunt visa: neqve minor classis instaurandæ, ac in mare ducendæ cura fuit, propterea qvòd belli navalis consilia tunc maximè fervebant apud *Anglos*, qvorum gratiam donis subinde missis Galli retinebant, qvibusqve exprimebant voces invidiæ ultionisqve plenas, qvæ ad F. Belgium qvasi ad *delendam Carthaginem* dirigebantur: tum magno numero epibatæ cogebantur, multi-

multiqve inviti & renitentes etiam in naves imponebantur, qvæ res monebat F. Belgas, ut resistendi consilium rationemqve tempestivè inirent. Qvare contigit, ut eodem anno VII. NON. Jun. infestæ classes congrederentur, qvæ dimicatio fuit multò acerrima, cujus primum laborem periculumqve subiit Trompius, pariqve ardore pugnavit Banckertus, Ruyterusqve prælii fortunam summâ cum ratione est moderatus. His non minori impetu occurrebant hostes Estræus & Spraghius, qvi Roberto principi supremo classiariorum præfecto expeditas vires animosqve præsentes demonstrarunt, donec inclinata in illos victoria, nox dirimeret certamen, spemqve eriperet inferendæ majoris cladis. Ita Batavi, desiderato licet proprætore Schramio, vires veteremqve laudem receperunt, Austriorumqve desiderio maximopere satisfecerunt. Etsi enim par erat causa Brandenburgici, qvòd ob regiones in Westphalia sitas cum F. Belgis communem securitatis rationem habeat, tamen al-

 latâ

latâ necessitatis excusatione, regi Galliæ reconciliatus est, propterea qvòd suspiciosissimo isto tempore tam impeditæ erant cœpti ejus belli rationes, ut qvia eas per se explicare non posset, ob præsens rerum suarum periculum, *sinistrasqve* de expeditione sua opiniones, nec obscura odii signa missasqve à Wangelino voces invidiæ plenas, non recusaret pacem, præsertim qvùm offerretur, essetqve ejusmodi, ut per eam de fide officiisqve sacro imperio debitis nil detraheretur. Persæpe tunc, nec sine dolore reputabat, qvòd non servata sibi essent, qvæ F. Belgæ servaturos se recepissent, qvodqve stipendia sibi promissa non persolvissent, cumqve spopondissent se curaturos, ut rex Daniæ & Duces Luneburgici fœdere ipsi se conjungerent, nil tale effectum dedissent, tum qvòd præter difficultates annonæ militaris molestiasqve alias, Moguntinus Trevirensisqve Electores transitum sibi denegassent. Prospexit qvoqve æmulationes à tergo, qvæ eo spectabant, qvasi is plus nimio in republica appeteret,

so-

ſocietateqve hujus belli auctoritatem, cumprimis ſuam ſtabiliret: nec benignior fuit eorum ſententia, qvi dicebant, eâ expeditione inferri vaſtitatem Germaniæ, bellumqve accendi potiùs, qvàm reſtingvi: ad hæc onera tranſituum hoſpitiorumqve militarium jam tot & tanta eſſe, ut non poſſint in poſterum ſuſtineri: igitur his qverelis & Svedorum præcipuè poſtulatis permotus, in pacem Gallicam conſenſit, eo ſanè duro rerum ſtatu, qvo vires ſolùm oſtendebantur Gallis, propterea qvòd prudenter tunc qvoqve æſtimatæ ſunt cunctatio Hiſpanorum, nummariæqve difficultates apud F. Belgas, qvarum culpa transferebatur in avaros aliqvot ſordidosqve homines, qvi qvæſtus lucriqve cauſa hactenus eam rem publicam tractârant. Parumqve aberat, qvin ſocii, exercitus, qvum conſiſtebant in Weſtphalia, ob unam alteramqve ſuſpicionem ſibi diffiderent, deqve præceptis à Turenio opportunitatibus haud aliter, qvàm mutuò indignantes, qvererentur: Qvamvis principum, qvorum auſpiciis

expeditio decreta susceptaqve erat, mens atqve consilium eò spectabant, ut se fideliter juvarent, viresqve Gallicas conjunctis auxiliis debilitarent: sed qvi illorum temporum erat *status*, Germania adhuc dissimiliter consilia tractabat, neqve tam celeriter omnes eas difficultates explicare poterat, qvibus ratio reducendæ in universum concordiæ nitebatur. Eò gravius accidit Austriis pactum Vossemense, cujus conciliator fuit Dux Neoburgicus: contra id vehementer probarunt *Svedi*, operamqve suam eò contulerunt, qvòd in spem venirent, fore, ut abstracto à *societate* fœderis Brandenburgico, eò citiùs pax coiret: etsi id alioversum interpretati sunt F. Belgæ, qvasi nempe hoc agerent, ut impedirent Foederatos suos, regiqve Galliæ omne studium navarent. Fuitqve hoc ejusmodi, ut deinceps in belli causis numeraretur, perinde ac si Svedi istis consiliis *conatum* viresqve Gallorum adjuvissent, & aliqvanto post etiam, fœdere Kalend. Decembr. hujus anni cum Brandenburgico

gico Coloniæ ad Swevum inito, nihilo propensiorem in se animum demonstrassent, propositumqve distrahendæ potentiæ suæ multò perniciosissimum consegvi statuissent. Vix autem discesserat Brandenburgicus à fœdere Belgico, cum Trajectum ad Mosam, insigne Brabantiæ castrum, loco ad invadendos finitimos peropportuno situm, deditione est captum. Illud episcopatui Leodiensi antehac obnoxium Hispani redegerant in potestatem, qvibus anno secundo & trigesimo hujus seculi ductu Henrici Friderici Auriaci Principis ereptum est, qvod tempore Austriorum res valde inclinatæ erant, ut nunqvam magis; atqve tunc, Hispanis pax, & Batavis moderatio fortunæ profuerit, qvòd sic caveri potuisset, ne illorum damna prodessent Gallis, qvos spes & occasio facilè ad bellum stimularent. Ubi rector datus est Farius, vir usu belli & famâ insignis, ob eamqve causam Rheingravio, qvi hoc anno de Batavis optimè meritus decessit, suffectus. In cujus defensione tantum posuit Rex Hispa-

niæ, qvantum ejus interfuit, retineri Brabantiam, unde non modò ejus, sed etiam Hollandiæ securitas penderet, simul ac vero cognita est hujus castri deditio, Hispani, qvorsum id pertineret, judicantes, de urgendo bello efficacius consultarunt, certissimaqve auxilii Cæsarei expectatione freti, regem Galliæ pro hoste habuerunt: qva ex re hic non mediocriter perturbatus est, qvia apparebat, futurum, ut tota ejus fortuna in posterum commutaretur. Fama tulit, Auriacum dispositis in vallo tormentis publicam lætitiæ significationem dedisse, cum qvid cum Trajecto actum fuisset allato nuncio intellexisset: unde vulgus ad deteriora credenda pronum, reiqve publicæ ignarum, initiò qvidem vehementer offensum est, re autem post comperta didicit, id tale prorsus fuisse, ut indicaretur, Hispanos non posse aliter, qvin brevi apertum bellum regi Galliæ denuncient, qvippe qvibus certa pactione Trajectum nuper cessum fuisset, salusqvè Reipublicæ & voluntas conservandi regiones, & ulciscendi injurias

eam

eam rationem atqve legem præscripsissent. Cum urbs summo impetu oppugnaretur, rex ipse fortitudinis specimen daturus, præsentiâ suâ obsidentibus animos fecit, prætorianosqve voce sua excitavit, gregariosqve ense demonstrato ad subeundum periculum accendit: Erat in castris dux Monmuthius regis Angliæ nothus, qvi superatis apud Tongrensem portam præferratis sudibus, bis rejectus, majori ardore rediit restititqve constanter. Cum tanto sanguinis impendio res gereretur, Farjusqve sciret, eum esse urbis statum, ut servari non posset, contraqve eum regis esse animum, ut non desisteret incepto, XXX. Jun. deditionem pactus est qvod Fœderatis magnopere profuit, propterea qvòd in ea obsidione flos militiæ Gallicæ cecidit, majorqve clades, qvàm in justo prælio accepta est: qvibus rebus evenit, ut qvum Hispani qvoqve Gallorum hostes existerent, rex coactus fuerit deducere præsidia de urbibus superiori anno captis, unde fœderatæ provinciæ, qvæ vexatione hostium onereqve militari

prope oppressæ jacebant, non mediocriter sunt allevatæ. Sed Germaniæ Principes id non parum conturbavit, præcipuè finitimos, qvi jam intelligerent, qvid ex eo sibi expectandum esset: præter Trevirensem, & Palatinum Moguntinumqve ipsum insolentiâ postulatorum regis perterritos, etiam Brandenburgicus parùm ejus fidei tribuens Cliviæ metuebat, qvòd videret ab rege non præstari conditiones pacti Vossemensis. Ac primus qvidem expertus est Trevirensis, qvæ ejus regis voluntas animusqve esset, qvi etsi superioribus temporibus de suo in Germaniam studio tam præclarè commemoraverat, fœdereqve Rhenensi & variis artibus amicitiam Germaniæ Principum sibi conciliaverat; tamen nunc longè aliud rebus factisqve declaravit, qvàm is qvidem antea præ se tulit, qvòd putaret hanc esse occasionem proferendi imperii in Germaniam, eam præcipuè, qvæ est cis Rhenum. Itaqve Marchio Rupifortius diversâ parte cohortes per agrum Trevirensem distribuit, ipse cum

expeditâ manu versus Saravum movit, Comitemqve Saræpontanum Gustavum Adolphum, ut regis suæ fidei se permitteret, solicitavit. Qvo Nanceium reverso, iterum à tribuno ad exeqvenda mandata relicto instigatus est, ut regi se in clientelam traderet, qvod cùm pro eo, ac par erat, constanter recusaret, in custodiam datus, alteroqve post die in Mediomatricum urbem est deportatus. Fuitqve hoc belli atrocioris initium, & statum studiumqve Germaniæ Principum insigniter immutavit, præcipuè electorum animos ad majorem Reipublicæ communisqve tranqvillitatis curam avertit, cùm jam perspicerent, qvò evasura esset licentia Gallica, qvæ nemini parceret, & patientiâ suâ planè abuteretur, adeò ut si ea belli inposterum gerendi ratio futura esset, nemini fide sua innocentiaqve esse tuto liceret. Etenim Galliæ Rex ad faciendas hujusmodi irruptiones non ex alia caussa inductus incitatusqve est, qvàm qvòd Principes in obseqvio & fide Cæsaris perstarent, nec adduci possent, ut reci-

reciperent præsidium externi regis, qvi talia postulabat, qvæ & existimationi & libertati adversabantur. Mox in recusantes armis vindicatum est, qvasi id, qvod regi denegaretur, continuò pro injuria habendum esset, qvippe qvi postqvam deditum est Trajectum, qvædam à Trevirense exigebat, qvæ ne jure qvidem rogare poterat: capita postulatorum erant, ut præsidium Cæsareum Confluentiæ & Ehrenbreitsteinio impositum dimitteret, regisqve in tutela posthac esset, qvi suis rebus percommodum id putaret, nec ferre posset studium neutrius partis: igitur imperata faceret, regisqve Galliæ voluntati obseqveretur. Sed fides, patriæqve communis charitas apud Trevirensem Carolum Casparem ita valuerunt, ut ad deserendum recti & obseqventis Principis officium, suscipiendamqve externi regis clientelam nec promissis, nec minis adduci posset. Itaqve totus ille Mosellæ tractus valde premebatur onere hospitiorum militarium, collationibusqve prorsus exhauriebatur, adeò ut mu-

nici

nicipia clientelæqve passim vastarentur, nec sacerdotia tutiori loco essent. Interim pleriqve salutis suæ causa ex pagis & vicis cum rebus fortunisqve suis Mejenam confugiebant: qvorum ea fortuna fuit, ut Marchioni Troussio oppidum invadenti feliciter resisterent, obsidionemqve constanter perferrent, qvòd is nomine pecuniæ, de qva solvenda conventum erat, apocham sibi denegasset, fortè qvia non expediebat id scripto mandari, qvod testaretur injuriam Trevirensi factam. Idcirco spe frustratus recessit iratior, circumjectosqve pagos exussit, incolisqve multum damni dedit: qvod cum per se iniqvum esset principiqve intolerandum, dimisit nuncium ad regem, qvi pro rei indignitate de vi ac injuriis qvereretur: is ab rege indignationis pleno haud benevolè acceptus auditusqve est, cum haud obscurè argueret electorem, qvòd ita pertinaciter Cæsaris causam tuendam suscepisset, præsidioqve ejus se firmasset, qvod simulatqve de urbibus ditionis suæ decedere juberet, vicissim mili-

militibus suis ipse mandaturus esset, uti, ex agro Trevirensi excederent, nullasqve ei molestias inposterum exhiberent. Per idem tempus legatus civitatis Argentoratensis regi adventum in *Lotharingiam* gratulatus est, qvem honorificè accepit, vicinitatisqve jus & amicitiam confirmavit, ut qvi non ignoraret, plus in ea urbe, qvàm in plerisqve finitimis Germaniæ proceribus sibi esse situm. Paulo ante Marchio Louvojus, qvi belli acriùs proseqvendi auctor fuerat, Monti Bresaco, ubi fere *olim* hæsitavit Germanorum felicitas, providit, regisqve consilia diligenter executus, impendentis Germaniæ periculi suspicionem auxit. Sic enim tum res habebat; ut qvi partes regis non seqverentur, ejus conatibus resistere hostiumqve loco esse viderentur, qvasi Rhenum Mosellamqve jam regno suo conjunxisset, ut ibi ex suo unius arbitrio omnia agi oporteret. His rebus tempestivè *monebatur* Trevirensis, ut Confluentiæ, qvò se receperat, diutiùs subsisteret; qvoniam erat subverendum, ne ab rege,

qvam-

qvamlibet præter meritum ejus offenso, aliqvid gravius in ipsum consuleretur. Nec fefellit ipsum hæc cogitatio, qvando Rupifortius cognito per indicium consilio, Hispanos Augustam Trevirorum à periculo exemturos antevertit, urbemqve antiqvam, & Principis domicilium, armis ad deditionem coëgit. Invidiosa erat hæc regis potentia, passimqve odia & metum intendebat, præsertim qvùm Vindobonæ Gremonvillius de expeditione Cæsaris acerbè loqvi, & insolenter minari cœpit, fore, ut bellum in hæreditarias ejus regiones transferatur, nisi animum ab armis socialibus avertat: alioqvi non recusare regem, qvo minus pax retineatur, id vero pati non posse, ut hostes sui adjuventur, & qvovis modo subleventur. Nihilo melius postulatum erat, qvùm solicitabatur Moguntinus, ut Hochstum & Steinheimium in regis Galliæ potestatem traderet: qvi cum per fidem, qva imperio devinctus esset, id sibi non licere affirmaret; tùm seriò qvidem eum pœnituit fœderis Rhenensis, qvòd ut cau-

tus

tus alioqvi & prudens erat princeps, tunc primum sine dubitatione intelligebat, plus nimio tributum fuisse ei regi, qvi specie amicitiæ pangendisqve fœderibus rerum Germanicarum arbitria captaret, qvippe præter alia, qvæ Cæsari permolesta accidissent, hoc qvoqve ab se & sociis Principibus stipulatus fuisset, ut nemini iter per suas regiones aditumqve ad fines suos permitterent. Id vero haud obscurè dirigebatur ad Austrios, sentiebatqve se peti Cæsar, tanqvam is, qvi pro fide muneris ac necessitudine Hispanicâ salutem Circuli Burgundici, qvem infestare armis rex constituerat, negligere non vellet. Sæpe enim invito Cæsare, & al qvoties etiam dehortante, multa ejusmodi evenerunt, qvæ vitandi majoris dissidii causa tolerari expediebat, donec ab rege arma pararentur, qvibus ut Cæsar resisteret, charitate patriæ adductus est, qvæ nisi apud eum valuisset, pleriqve Principes circumventi planeqve oppressi fuissent. Per has insidias aggressus est Cæsarem minimè ignarum

periculi, qvod saluti publicæ struebatur, ut simul ejus auctoritas & imperii potentia convellerentur. Qvamobrem, Cæsar contra minas firmus in sententia permansit, & fidem auxiliumqve reipublicæ præstitit, profectusqve Egram, ubi eum Saxo plenus amicitiæ invisebat, nil recusavit, qvo minus justæ expeditionis ipse socius esset, si id qvidem per fortunam augustæ domus, qvæ orbitatis præsidia tunc qværebat, perqve Legati Hispanici Ronqvillo de reditu eum interpellantis obtestationes fieri potuisset. Priusqvam copias dimisit, præfatus est, arma se invitum sumsisse, nec alibi secundum Deum, qvàm in justitia belli atqve innocentia spem habere: nil concupiscere, qvod aliorum sit, neqve cupere, ut vel minimum terræ spatium ad regiones suas adjiciatur: id autem pro suo Cæsaris officio permittere non posse, ut rex iste, spreta juris pactorumqve Monasterii, Cliviæ & Aqvisgrani initorum religione, Principes Germanicæ ditionis vexet, finesqve imperii tot repetitis incursionibus depopu-

populetur: mali enim esse exempli, si his sua tranqvillitas fraudi esse debeat, qvibus ea semper præsidio fuisset: igitur testari Deum, se pacis esse amantem, credereqve pœnam sanguinis, *qvi tali* bello profunderetur, ab ejus auctore expetitum iri. Itaqve Reymundum Montecuculi copiis præfecit, qvi occupatis à Turenio itineribus, qvibus Mœnus aditur, boni prudentisqve Ducis munere perfunctus est, qvando contra insidias callidissimi hostis omni ratione se comparavit, Herbipolimqve versus movit, adituqve ad interiora *Orientalis* Franciæ præcepto, ejus *Episcopi* atqve Francorum gentis amicitiam è suo exercitusqve commodo esse sensit. Inde progressus, annonam hostilem Wertheimii repositam igni vastavit, Tureniumqve de spe intercipiendi Ochsenfurti dejectum commeatu prohibuit, frustraqve fretum spe auxilii ad receptum adegit, atqve hinc ad *Rhenum* profectus; disposito ad præcavendum Lotharingo, contra hostem supple-

plemento Vaubruniano auctum semper cautus fuit, trajectoqve feliciter fluvio castra sua cum Hispanis fœderatisqve Belgis conjunxit. Ibi communicato cum sociis consilio, auctor fuit obsidendæ Bonnæ, qvòd Cæsaris officio conveniret, ut hostem à Germaniæ finibus abigat, pacemqve patriæ reddat, qvæ reddi qvidem ac restitui non possit, nisi Elector Coloniensis a signis Gallicis discedat, auferatqve ab urbibus suis externum præsidium, qvod Bonnam qvoqve ejus domicilium tunc insidebat. Cum eò ministrorum consiliis impeditus adduci non posset, periculum veritus Bonnâ discessit Coloniam Agrippinam, pactusqve ab Senatu fidam custodiam, migravit in monasterium S. Pantaleonis, ibiqve usqve ad hunc annum est commoratus. Mox appropinqvârunt Bonnæ fœderati exercitus, ac tripartitò oppugnatam continuo impetu fatigarunt, ut septimo die pòst, qvàm cœpta fuerat obsidio, deditionis faciendæ conditiones acciperet. Nam præcluso undiqve aditu, non erat, cur promis-

sa

ſa à Turenio & Luxemburgio ſubſidia ſperaret, qvod Fœderatis perutile fuit, qvùm iis rebus non modò verſus Moſellæ Rheniqve inferiorem limitem magnum armis ſuis incrementum afferrent, ſed etiam itinera aditusqve illuc pertinentes in poteſtatem redigerent diligentiſſimeqve cuſtodirent. Qvod ad liberandas F. Belgii urbes non leve momentum attulit, Gallicasqve rationes multùm impedivit, prorſusqve tale fuit, ut Germania periculi commonefacta, redintegrandæ ſenſim concordiæ conſilium iniret ſtudiumqve pacis revocaret, *ſopitis*qve diſſidiis, qvæ bello civili materiam datura fovebantur, capiti ſuo fide officioqve ſe devinciret. Hæc læta Cæſaris primordia exemplis commovebant animos, & pleroſqve etiam promiſſis Gallicis irretitos ab incepto pernicioſiſſimo deterrebant.

Cæterùm ubi Flandria, qva ditionis Hiſpanicæ eſt, pacem diu infidam inutilemqve experta fuerat, rex Catholicus bellum Gallis denunciavit, qvod ii populationibus atqve omni crudelitatis

gene-

genere ulciscebantur. Neqve eo minùs agebatur cum reliqvis Belgii Hispanici provinciis, nisi qvòd libero Comitatui Burgundico parcitum est, qvem tum Helvetii lege patrocinii defendendum suscepissent, tùm Galli rationibus suis alienum putabant, eos sibi tunc reddere infensos, qvos liceret placare inposterum, ut nemine resistente eò arma ferre possent. Interim Hispanis multæ qvotidie ac inopinatæ difficultates accidebant, & pleraqve eorum consilia Gallicò impetu præveniebantur: nec benigniùs F. Belgii populus habitus est, præsertim qvùm Luxemburgius iis urbibus, qvas cum præsidio tenebat, ferrum flammamqve minitaretur, si periculum, qvod instaret, pecuniâ non redimerent, siqve obsides non darent, qvùm difficultate nummaria impedirentur. Magnus erat hic vastitatis inferendæ metus, & direptionis incendiorumqve discrimen passim ante oculos versabatur, nec muri vallorumqve ope- & turres munitionesqve extra hujus

fortunæ aleam futuræ erant, ut scirent, nullum esse excusandi locum, qvùm necessitati parendum esset. Unde magna pecuniæ vis pretiosaqve supellex comparata est, ex eaqve plurimùm lucri fecerunt Ductores Ordinum, præcipuè *Luxemburgius* & Condæus, qvi calamitatem afflictarum Urbium in commoda sua vertebant, multumqve argenti extorqvebant, qvod una cum aliis rebus, qvas eo nomine ex fortunis civium coëgerant, onustis curribus in Galliam devehebatur. Qvo tempore cognitum est, qvæ merces qvive fructus sit defectionum, qvamqve satius fuerit, eas pecunias *in defensionem*, qvæ superiori anno prætermissa fuerat, qvàm in libidinem hostium impendi, siqvidem id honestissimum bellandi genus sit, qvod repellendi periculi ratione continetur. Id verò secus cedidit, qvia populus à proceribus animo & voluntate dissidens prorsusqve ipsorum imperio diffidens præcipitandi consilii causam dedit: qvo evenit, ut ii omnium maximè affligerentur, qvi spon-

ſponte ſua hoſti ſe dediderunt, aut non magnopere ei reſtiterunt, qvippe deſtituti poſt auxilio, qvo ipſi ſe culpa ſua privâant, & jure etiam dignitateqve exciderant, niſi interpoſita Auriaci auctoritate priſtinum in F. Belgii Senatu locum recuperaſſent. In hoc rerum ſtatu conſilia ex occaſione capiebantur: Hiſpani cum viderent Gallos audaciâ & celeritate conficere res ſuas; non modo non negligebant defenſionem Provinciarum Belgicarum, ſed & domi qvidem ceſſabant, qvòd uſu docti intelligebant, niſi malis ſuperioribus occurrerent, incurſionum Gallicarum nec finem, nec modum fore: itaqve novi fœderis fiduciâ erecti damna accepta ulſci, occupataqve Bonnâ ex Ducatu Luxemburgico etiam Epiſcopatum Metenſem oppugnare cupiebant: tum dimiſſo ab ſe Villarſio Regis Chriſtianiſſimi Legato, huc totis viribus incumbebant, ut in Hiſpaniâ Gallorum commercia conqvieſcerent, bonaqve & fortunæ ipſorum detinerentur: eandem in ſententiam Londini minæ jactabantur, niſi Rex Angliæ

perturbatis confusisqve rebus consuleret, fœderiqve Gallico nuncium remitteret, non posse aliter facere regem Catholicum, qvin simile exemplum statuat in ejus ditionis populum: eò rationes variæ & graves à *Marchione* Fresno adductæ sunt, qvæ eò spectabant, ut Gallos hostes suos ope ne *sublevaret*, qvorum iniqva & insidiosa consilia jamdiu deprehendere potuisset, qvando ii non aliam, qvàm publicè nocendi viam inirent, & bella pro libidine atqve arbitratu suo molirentur: Belgium miserabiliter vexatum direptumqve intueretur, cujus amittendi periculum qvoqve ad finitimos Anglos pertinerent. In Lusitania ecclesiastici Ordinis homines populusqve Petro principi suadebant, paçem retineret, neqve destinationibus Gallicis locum daret, siqvidem ei non suppeteret justa causa belli Hispanis inferendi, & procul vi armisqve res suas adaugere securè posset: non enim *esse* eam regni conditionem, ut periculo casibusqve incertis exponatur, præsertim
qvùm

qvùm caveri debeat, ne si eventus non prosper sit, factiones excitentur, multorumqve animi in Alphonsum propensi magis ab eo abalienentur. Qvantacunqve autem solicitudine & diligentiâ hoc negotium confectum est, tamen instructæ sunt contra Principem insidiæ, qvæ cum ipsum perturbatum valde commotumqve redderent, eas in tempore detexit Legatus Hispanicus, qvi tunc Ulissiponæ commorabatur, & gravi maturoqve consilio gliscentis conjurationis causas ab Gallis repertas indicabat. Ac tum qvoqve Rex Angliæ, amicitia & fœdere Gallis conjunctus non refragabatur periculosissimo instituto, & in re atqve causa maximi momenti rationes firmandæ æqvabilis finitimorum potentiæ dissimulabat, donisqve pellectus adhuc speciosè permulcebatur.

Inter Hungaros illi sacerdotes, qvi Protestantium nomine distinguuntur à reliqvis, qvasi motibus causam dedissent, ad Senatum delegatum ab rege institutum acciti, deqve superioribus actis

 in

interrogati dissimiliter ad objecta responderunt, plurimos tamen nec metus, nec promissa expugnare potuerunt, ut à sententia discederent, qvanqvam de acerbitate Cleri & iratiore inprimis *Collonitschii* animo subinde qverebantur. *Interim* ejus Reipublicæ status valde commutatus est: Johanni Caspari Ambringio jus potestasqve Rectoris Regni Hungariæ attributa, visqve superiorum legum, per qvas externi à summo isto Reipublicæ munere arcebantur, resoluta, cumqve duriora indies tempora instarent, Ambringius ingenio minimè difficili mansuetudinisqve studioso Austriæ *gentis* clementiam præ se tulit, magnatumqve animos lenitate potius, qvàm vi, ad patiendum Imperium inflexit. Poloni Regem Michaelem togæ magis, qvàm belli artibus assvetum mense Novembr. amiserunt, cujus dignitas maximè cordi *fuit* Ordini eqvestri, qvanqvam ipsi restiterunt aliqvi Senatorum, qvi tantum *in* odium vocarunt, ut de eo etiam *loco* movendo consultarent. Qvod Gallis partes

Au-

Auſtrias in Polonia labefactari cupientibus opportunum accidit, qvippe qvorum conſilia dudum eò pertinebant, ut Poloniam Gallico nomine obnoxiam haberent. Auctores haudqvaqvam contemnendos habeo, Regem, cum maxima onera injuriasqve Barbarorum ſuſtineret, ab omnibus Chriſtianis Regibus, excepto Gallico, opem petiiſſe: hunc verò ejus cauſæ non ignarum ultrò auxilia Polonis obtuliſſe, ut propenſam voluntatem duntaxat in ſpeciem ſignificaret; etſi res ipſa indicio erat, Regem Chriſtianiſſimum non ſtudio in Michaelem, ſed benevolentiâ adductum erga pleroſqve Senatores, qvorum animos ſciebat ab Rege ſuo eſſe alienatos, hoc tale faciendum putaſſe: unde non potuiſſent non excitari diſſenſiones funeſtumqve civile bellum, cujus adeò tota calamitas in iſtam Regem fuiſſet redundatura. Cum ea temporum ibi difficultas diſcordiaqve regni civium eſſet, inſigne facinus edidit Polonici belli Imperator Johannes Sobieskius, conſertoqve cum Turcis apud Choci-

mum prælio, memorabilem victoriam reportavit. Eò permagnum momentum attulit opportuna reguli Valachiæ defectio, inprimisqve Lithuanorum atqve inter hos maximè Demetrii *Viesnievicii* Radziviliiqve constantia & fides, nec non velitum Polonicorum, qvos Hussaros nominant, aliqvoties repetitus impetus, qvi nutantem fortunam intrepidè acriterqve instaurabant, & Turcas in castris, præeunte strictumqve ensem præferente Sobieskio, adoriebantur. Haud minori ardore decertarunt Germani pedites, cæteriqve expeditionis socii unâ mente & *consilio* experiebantur. Qvæ res facilè lenivit dolorem ex morte regis acceptum, multamqve laudem Sobieskio, qvi Duces Lithuanos ad trajiciendum Borysthenem ad castraqve secum conjungenda persvaserat, peperit, tantamqve *regni* Ordinum gratiam ei conciliavit, ut sanè etiam afferret ipsi pondus ad *regnum* altero annò capessendum. Commodùm tunc Alexius Michalowizius fini-

tim

timæ gentis periculum qvoqve ad se pertinere ratus, opem suam Polonis liberaliter promisit, fœderisqve bellici sincerè servandi fidem dedit, & Cæsarem summosqve Europæ Principes ad auxilia contra Turcas ferenda solicitavit, excitisqve suæ ditionis Cosacis, non modò perterrefecit hostes, sed etiam subitâ irruptione Tartariam Præcopensem vehementer afflixit, & circiter duo millia barbarorum in castris oppressit.

Vix dum in Italia qviescebant lites inter Sabaudum Remqve publicam Genuensem, qvum rex Galliæ qvi suscepto conciliatoris munere, adhibitoqve ad restituendam ibi pacem Gaumontio, negotium hoc confecerat, ipse jam illam in hostis loco habet, nomineqve injuriæ & damni dati graviter mulctat, & navibus fortunisqve vim facit. Ea cum nil tale se commeritam affirmaret, propter qvod regis offensam incurreret, paratamqve se ad præstandum damnum offerret, qvædam per Gaumontium postulavit, qvæ contra istius Rei-

publicæ, neutras partes amplexæ, dignitatem, præterqve jus & æqvum erant. Igitur tota prope Italia hâc regis acerbitate commota est, Hispaniaqve justo metu excitata, auxilium in oram *maritimam* dimittendum Reip. promisit, qvod cum rex intelligeret, nolletqve contra se armari Italiam, injuriæ paulatim conqvieverunt, sensitqve Respublica, pro superioribus exhibitis regi officiis hanc sibi relatam fuisse gratiam, qvod admoneret, qvàm lubrica ejus amicitia esset, qvi tam levi momento mutaretur: jamqve constare poterat, qvid causæ fuisset, cur rex pacem Genuensem *maturasset*, qvippe qvi sciebat, rempublicam illam contra insidias proditionemqve Raphaelis Torreni satis jam firmatam, *Sabaudo* spem victoriarum præcidisse, studebatqve his rebus capere occasionem militis Genuensis, cujus missionem Resp. factura esset, ad sua stipendia *adjungendi*, ut talem in modum nudata robore eò opportunior injuriis *esset*, simulqve ut transportatas ex Norico cohor-

hortes eadem commoditate à Sabaudo reciperet, qvibus contra novos hostes uteretur. Ab Helvetiis æqva postulabant Cæsaris regisqve Hispaniæ legati, & cur illi ipsi, incolumi atqve integro fœdere perpetuæ defensionis, non possent deserere Comitatum Burgundicum, qvatuorqve urbes, qvas Sylvestres nominant, itemqve Constantiam & Brigam Vallesiæ, graviter exponebant: tum rogabant, ut conatus incursionesqve Gallicas in eos fines impedirent, auxiliumqve & patrocinii fidem prædictis regionibus præstarent, militesqve suos, qvi sub signis Gallicis merebant, qvamprimum revocarent. Ibi vero non una omnibus mens fuit, neqve res hæc ita confici potuit, ut Cæsari Hispanisqve expediebat: propterea qvòd delegatus Gallicus multa de rege suo pollicitus, id operam dabat, ut tentatis Ordinum animis, allata in eam rem consilia pervertrentur. Præterea suspiciones, qvæ artibus Gallicis illic struebantur, qvotidie invalescebant, primiqve erant

pagi *reformatarum* partium, qvi Austriis gratificari cupiebant, pagi autem *Catholici* Rhætiqve difficiliores se præbebant, nec in eam sententiam adduci se patiebantur, ut juberent *milites suos* redire domum, unaqve prohiberent, qvo minus in pagis suæ ditionis cohortes Gallico stipendio alendæ conscriberentur. Faciebat enim pro more suo rex magna impendia, & qvum metu minisqve perficere destinata non poterat, magnis donis gratiam captabat, ut per Helvetios non impediretur, qvin occuparet Comitatum Burgundicum, qvi alioqvi in ipsorum tutela erat, *qvod* etjam in seqventi anno evenit. Jam res Germaniæ tales erant, ut principes, præcipuè *Protestantes*, Cæsari unâ voluntate se conjungerent, mandataqve in socios expeditionis Gallicæ promulgata in foribus publicis affigenda curarent, justitiamqve armorum ipsius comprobarent. Saxo pro fide sua Egræ *cum* eo foedus pepigit, & exemplum *seqvendi* aliis tradidit, nec multo post negotium

con-

conventus Mulhusini, ad qvem Delegati ex tribus imperii *Circulis*, Saxonico superiori & inferiori, pariterqve Francico convenerant, honesto atqve utili consilio juvabat. Aderat ibi nomine Cæsaris Wolffgangus Comes Ottingensis, & qvid ex re patriæ esset, consulebat, ac de Cæsaris voluntate studioqve in patriam præfatus, significabat, cupere eum, ut Germaniæ leges publicaqve tranqvillitas conserventur, qvæ cum hoc tempore in magno discrimine sint, incursionibusqve Gallicis convellantur, monere prædictos *Circulos*, atqve secundum muneris sui rationes postulare, ut copiis suis transitum concedant, ipsiqve etiam ad defensionem se comparent, militesqve conscribant, & si opus sit, vires auxiliaqve afferant, ut afflicti vexatiqve per injuriam principes è periculo calamitateqve eximantur: iis vero, qvi hostis partibus se obnoxios fecerint, neqve hospitia, neqve transitum permittant, qvæ ratio futura sit recuperandæ pacis, & liberandi Principes injustis armis propemodum oppressos. Ad eam

Delegati Circulorum responderunt, Cæsaris curam & consilium patriæ esse salutare, nomineqve electorum & principum suorum ipsi gratias habere, qvi in ejus atqve imperii fide tutelaqve *sint*, & manere velint: Cæterùm ad eos referri oportere de capite publicæ securitatis, qvod in Comitiis decidendum sperent, qvod altero qvidem anno qvietis & boni publici causa usu probatum fuit. Johannes Philippus El. Moguntinus, qvi sentiebat connivendo augeri Gallorum potentiam, dubiamqve ipsorum amicitiam & superiora promissa, incrementa item regis & augendæ potentiæ *studium* expendebat, Catoqve Germaniæ habitus, finitimis ob controversias subinde excitatas metuendus erat, hoc anno illustrata inprimis Schonbornianorum gente, unde prognatus fuerat, decessit. Bavarus eqvidem placere sibi pacem testabatur, sed fœdus cum F. Belgis ictum planè ei invisum erat, eoqve orabat *Cæsarem* atqve admonebat, uti id *omitteret*, qvod pericula ærumnasqve sacro imperio afferret, alienamqve duntaxat

cau-

causam complecteretur. Cumqve qvid suæ mentis animiqve esset, per epistolas & Baronem Kleistium indicasset, rationibus ab Cæsare adductis acqviescere necessè habuit, & fidei Reip. obligatæ memor nil sibi indulsit, qvo Cæsar exercitusqve ejus superiorem Palatinatum transiens læderentur. De qva sententia neqve auctoritas Privigniani, qvi Henricæ Adelheidi ipsius conjugi à sacris erat, neqve calliditas Vitrii legati Gallici eum dimovit, nec deniqve necessitudo Hermanni Egonis Furstenbergii, gratiâ & consiliis valida, ipsum impedivit. Brandenburgicus fortunam suam, & Svedorum promissa, Gallicasqve res & diversa Principum studia æstimans, paci nuper initæ non fidebat, & bono rectoqve in Cæsarem animo, de conditionibus, recuperandæ imperio tranqvillitatis ab rege Svediæ propositis monebat, perqve Marenholzium pronunciabat, sibi curæ fore, qvod Cæsari ea in re videretur, cujus & imperii salus communis esset: Cæsar superiora pericula damnaqve illata reputans cen-

censuit, consilia Gallica minimè dirigi ad sinceram pacem, etsi rex iste semper sinceritatem præ se ferat, armaqve omissurum se recipiat: nam qvo promtiorem se ad pacem ostenderit, eò minus æqvas pacis conditiones ab eo fuisse acceptas: itaqve vires & subsidia circumspici oportere, ut Germania vindicetur in libertatem, qvippe qvam, rejecto *armistitio* generali, continuis incursionibus fatigaverit, occupatisqve Friedberga, Aschaffnaburgo & Selingstadio afflixerit, contraqve fidem supremi patrocinii X. Alsatiæ Urbibus datam, non expectatâ imperii Principum *sententiâ* arbitrariâ, in qvam sciens prudensqve ante consenserat, pro jure vim adhibuisset, nec non Trevirensem neutrius partis principem, nulloqve fœdere Belgis devinctum, hostiliter vexasset, & non modò trans Rhenum, sed etiam trans Mœnum Tubarimqve arma protulisset, ac deniqve conciliationem à Moguntino, Bavaro & Duce Luneburgico Georgio Guilielmo susceptam mora tergiversationeqve sua elusisset,

ani-

animumqve sic satis à pace alienum declarasset. Palatinus etiam, passo injuriam Trevirense, periculo propior, tentandæ compositionis auctor erat, qvippe non oblitus damnorum, qvæ per simulationem amicitiæ intulisset Turenius, qvum ejus cohortes Palatinatum Rhenensem, Bipontinumqve transirent. Is extremo hujus anni mense auctus est hæreditate principatus Simmerensis, exempto rebus humanis agnato Ludovico Henrico, nisi qvòd ipsi litem movit ob Böckelheimium Lotharius Fridericus, Johannis Philippi successor, atqve hoc mortuo, eam persecutus est Damianus-Hartardus. Qvæ accessio qvidem ad dignitatem potentiamqve Palatini per magnum momentum attulit, proptereaqve pace frui voluit, qvòd judicaret belli, qvo Germani Galliqve inter se committerentur, difficilem exitum fore, prospiceretqve calamitates atqve molestias, qvas ratione vicinitatis subiturus esset, si ambitio regis injecta incrementorum spe, illecta invadendi finitimos occasione excitaretur.

Ve-

Verùm prudentia Cæsaris, cui rebus post turbatis, magna fide constantiaqve se conjunxit, nihil in communis causæ perniciem admittebat, eratqve hæc via liberandi F. Belgii, & stabiliendæ *insuper* Cæsareæ auctoritatis, qvæ superiorum licentiâ temporum erat qvo dammodo imminuta. Contra Rex Galliæ nil suæ utilitatis causa omisit, suspicioneqve dissolvendi fœderis Anglici motus, atqve hostibus diversâ parte ingruentibus suffecturus, præsidia de occupatis urbibus provinciisqve decedere jussit, roboreqve collecto, fortunam instauravit. Mox *imparatos* Principes bellumqve non timentes, ac plerosqve etiam, ut nil à se timerent, per epistolam præmonitos invasit, proximosqve Belgas Hispanicos vastavit, tantaqve vi & terrore eas Regiones complevit, ut si fuissent sine fœdere, parum abfuerit, qvin haud longo temporis spatio omnes sanè Regis arbitrium seqvi cogerentur. Commodum Montalius *Caroloregiam* liberaverat, simulqve Luxemburgii transitus Regem ingenti sollicitudine levaverat, qvoniam is cum omni-

omnibus fortunis instrumentoqve bellico, insidentibus licet vicina itinera Batavis Hispanisqve, feliciter elapsus fuerat, cujus nomine alioqvi Rex valde angebatur, adeo ut totam pæne Galliam ad eum liberandùm commovere velle videretur. Hæc dum agebantur, intelligi poterat, qvo Rex animo esset in Germanos, qvippe qvorum erga Cæsarem fidem suam injuriam putabat, non passurus, ut mandata contra eos edita, qvi arma pro Gallis ferrent, liberè in Regionibus suis promulgarent, qvod Duci Mompelgardico usuvenit: sed neqve amicis affinibusq; suis pepercit, qvùm non modo milites prædæ causa passim in Neoburgicas Provincias effundi sineret, sed qvoqve Palatino urbes vicosqve eriperet, & Bethunii artibus circumventum indignissimè haberet, qvin & ante fœdus cum Cæsare ictum de injuriis per Turenianas cohortes illatis conqverentem irritavit potius, qvàm mitigavit. Dixerat enim Pomponius regii administer consilii, hanc eorum esse fortunam, qvi se medios partibus præstarent, ut difficulta-

tes

tes molestiasqve belli æqvis animis ferrent, qvæ evitari non possent, dum cogerentur exercitus, ad transitumqve pararentur. Etiam Nassovii Comites, Principesqve Salmenses, & vicini sine discrimine, vel ob suspicionem levissimamqve offensam, repertumqve injuriæ prætextum mulctati sunt, communitoqve Nancejo, firmatisqve Lotharingiæ & Alsatiæ finibus, aditus ad infestandam Germaniam opprimendamqve libertatem apertus est, interceptoqve altero post anno Burgundiæ Comitatu, tota Hispanorum fortuna, qvæ cum nostratibus Belgicisqve regionibus *communes* rationes habet, in periculum venit.

1674. Interim multorum animi adhuc in spem reparandæ pacis erigebantur, qvum præter opinionem subitò res conversæ sunt, propterea qvòd Galliæ & Angliæ regum lagati, qvi una cum aliis Coloniæ Agrippinæ ad tractandum de pace convenerant, mandata *causat* discesserunt, ideò offensi, qvòd *Guiliel*mus Egon Fürstenbergius ab Austrii pro face belli habitus, cum rhedâ vehe-

re

retur, comprehensus, contraqve datam fidem Legatis, qvorum in loco numeroqve is esse cupiebat, abreptus, Bonnamqve, in qva tunc Cæsaris præsidium inerat, abductus, præterqve dignitatem & jus Principis in custodiam missus fuisset. Qvartus decimus Februarii dies erat, cum id belli continuandi novum esset classicum, non invitis Batavis, qvippe Austrio nomini amicitia & foedere innexis, neqve alienis ab ea re Hispanis, qvi optabant, ut regi ob nimiam potentiam formidando plures hostes existerent, sibi contra plures amici sociiqve conciliarentur. Id postqvam evenerat, regis Svediæ Legati qverebantur, ad eum modum spem pacis Europæ, fructumqve operæ in eo genere positæ sibi eripi, proptereaqve pro restituendo in libertatem Fürstenbergio magnopere annitebantur. Sed qvale hoc fuerit, aliqvanto post cognitum est, cum Cæsar rationibus doceret, qvamobrem ex eo loco amovendum putaverit Principem, qvi se vocasset in odium, testatumqve apud multos reliqvisset, qvam

alie-

alieno ab se animo esset, dum paci impediendæ consilia adhibuisset, taliaqve admisisset, qvæ nec per Cæsaris officium, nec per domini beneficiarii rationes ferre potuisset. Non egere testibus, qvòd ad Regis Galliæ, hostis Reipublicæ, voluntatem nutumqve totum se convertisset, suumqve edictum, qvo Germanos societate militiæ Gallicæ prohibuisset, sublata obseqvii præstandi religione, violasset, Regemqve ad odium bellumqve extimulasset. Qvod cur facere non debuisset, multas eum causas habuisse, præsertim qvùm is Princeps esset, qvi consensu & suffragio principali in Imperii conventibus careret, essetqve in ditionem Austriorum redactus, clientelæqve fide in perpetuum sibi obligatus. Itaqve editum & in Comitiis approbatum securitatis Legatorum decretum eò non posse produci, ut Princeps è custodia dimittatur seqvestris fide asservandus, qvod id neqve ex Republica, neqve ex sua Cæsaris dignitate esse judicaret, ut qvi fomes belli ac dissensionum in Republica fuisset, foedaqve Serinii & Frangepanii consilia Regi Galliæ

enun-

enunciasset, se autem, cui ad talia indicanda obstrictus fuisset, & jure legibusqve etiamnum teneretur, celasset, opimisqve *Abbatiæ* Gallicæ reditibus auctus, externo Regi & hosti stipendio sese illigasset, in alius, qvàm veri & supremi domini, potestatem traderetur. Hæc tunc inter difficiles ac perplexas pacis restituendæ rationes affirmabantur, certaqve in capita mox descripta cognitioni comitiorum subjiciebantur, famaqve ad exteros etiam Principes perferebantur, ut qvibus rationibus Cæsar ad tale qvid decernendum inductus fuisset, passim sineqve mora intelligi posset. Pertinebat enim ad famam Cæsaris, ut ostenderet, cur nullo Imperii jure impeditus fuerit, qvo minus muneris temporisqve rationem haberet, qvòd Princeps arguebatur commissi, qvasi contra Cæsarem, tanqvam Imperii caput, & simul contra eum tanqvam hæreditario beneficiarioqve jure dominum fecisset, novissimeqve etiam pacis compositionem retardasset, consiliaqve salutaria & optima machinationibus suis invertisset;

set, qvarum non aliud fuisset remedium, qvàm ut avertendi majoris mali causa ex urbe Coloniensi, qvæ tunc conventui Legatorum sancta erat, auferretur. Iis autem rebus Germaniæ status cœpit fieri turbulentior, Galliqve ad vehementiorem impetum concitati, rejecta irritæ super pace consultationis in Cæsarem invidiâ; Palatino, contra qvàm Heidelbergæ de regis sui voluntate pollicebatur Bethunius, arma intulerunt, ductuqve Rupifortii & Vaubrunii in agrum Germersheimensem profecti, latè omnia vastarunt, atqve ipsum etiam Germersheimium, ejus ditionis castrum vetus & Rudolphi I. Cæsaris morte inclitum, intercepperunt. Miratus subitum odium impetumqve securus fidei suæ Palatinus, prudentiâ consiliisqve suis regi Galliæ multos hostes, domi forisqve excitavit, ab eoqve inprimis Danum abalienavit, qvippe ob expilatos sororis Guilielminæ Ernestinæ dotales *fundos* commotum graviterqve offensum; tùm Saxonem atqve Brandenburgicum, Duces item Luneburgicos ad suscipien-

dam

lum reipublicæ suamqve causam indu-
xit, & fide fœdereqve Cæsari devinctos,
ad vires in communem utilitatem ex-
plicandas permovit: qvorum exempla
imitati sunt Orientalis Franciæ Princi-
pes, qvi Norimbergæ congregati, ac-
commodatis securitati firmandæ con-
siliis, prout superiori anno Mülhusii
conventum erat, de mutua defensione
leqve adornando expeditionis appara-
tu consultarant. Saxo nil veritus Chas-
lini Grafenthaliiqve minas, implevit
conditiones Egrani fœderis, cujus in-
eundi rationes moderatus est. Baro
Henricus Frisius, exemplo ad Germaniæ
concordiam utili, & ad bellum ex visce-
ribus reipublicæ exterminandum peri-
doneo, præsertim qvùm non multo post
Franci per epistolam appellati comi-
terqve invitati sunt ad animos viresqve
cum utroqve Saxoniæ circulo conjun-
gendas, id qvod valde accidit ex volun-
tate Petri Philippi Antistitis Bamber-
gensis, & Christiani Ernesti Marchionis
Baruthini, qvi nihil prætermittebant,
qvod ex re publica esse arbitrarentur.

Difficiliùs apud Suevos concordia coiit, non modo qvòd misera Palatini fortuna ipsis ante oculos versabatur, sed qvia Bavarus etiam, qvi opimas ibi clientelas habet, pro statu illorum temporum pace utendum statuebat, Turreniusqve iis benevolentiam Regis significabat, si bello se non implicaturi essent. Sed vicit causa Reipublicæ, auxiliumqve contra vim injuriasqve Ulmæ decretum est, qvod rebus Cæsaris perutile prosperumqve evenit; qvoniam ea regio & vicinitate erat opportuna, & ad inferendam ejus castris annonam permultum valebat. Hæc dum agebantur, laturi auxilium Saxones adveniebant, & rem causamqve Palatini pariter & Germaniæ adjuvabant. Mox Duces Luneburgici, cum Cæsare, Hispanisqve & F. Belgis fœdus pacti, cum copiis magnaqve tormentorum vi appropinqvabant: neqve secius Brandenburgicus arma, qvæ ex formula pactionis Vossemensis deposuerat, corripuit iterùm ac in Gallos convertit, cum qvòd illa transactio ejusmodi esset, ut impe

imperii legibus officioqve suo fraudi esse non posset, tum qvod ex fœdere antiqvo inter Principes electores inito, sanctionibusqve Cæsareis juratis confirmato, tanta sit omnium necessitudo, tantaqve animorum & voluntatum conjunctio esse debeat, ut non facilè arctiora qveant esse vincula, qvàm ea, qvibus ipsi inter se colligentur. Itaqve Brandenburgicus fiduciâ *Unionis electoralis* erectus ad libertatem, Cæsarisqve cohortationibus excitatus, atqve exemplis etiam propinqvorum principum confirmatus, noluit diutius esse obnoxius insidiis Gallicis, unaqve cum republica, cui semper & summa ratione devinctus esset, belli fortunam experiri statuit, ut salva tandem ac tuta communis patria præstaretur, superbaqve hostium de Germanis opinio convelleretur. Socium cognatumqve Principem electorem, tot injuriis affectum & pollicitationibus qvoqve deceptum, contra jus fasqve gentium, contra sacras imperii leges, contraqve pacis Westphalicæ formulam armis appetitum auxilio destituere,

tuere, agrumqve ejus & vicos reip. hostibus diripiendos relinqvere periculosum pariter ac pudendum videbatur. *Eo* magis, qvòd in Palatini fide *atqve innocentia* nil desiderari poterat, *neqve ejus culpa*, consilio, aut rebus & factis ullum regi damnum datum erat, qvando favebat paci, bellumqve Cæsari ipsi tantisper dissuadebat, dum proximos principes ipsumqve se peti videret, adeò qvidem, ut qvum Galli eum ad suscipiendam regis causam neqve cogere, neqve persvadere possent, fama tulerit, Francodalii intercipiendi consilium inisse, qvod tale *institutum* erat, ut totus fere Palatin*atus in potestatem* ipsorum redigeretur. Itaqve ut malum imminens anteverteret, de foedere inter eum Cæsaremqve agi coeptum est, qvo præter alia hoc qvoqve continebatur, ut Philipsburgi munitiones *solo* æqvarentur, siqvidem istud castrum, qvod proximè Palatinatum est, Cæsar in potestatem suam redacturus esset. *Qvibus* temporibus constantia Palatini *fuit* memorabilis, magnumqve momentum

attu-

attulit ad bellum in illis finibus gerendum, qvod Gallos ita malè habuit, ut in tractum ditionis ejus Rheno finitimum incursiones facerent, ruptaqve iterum Monasteriensi pace, onera stipendiaqve belli populo Palatino imponerent, passimqve damna & vastitatem inferrent. Qvare Cæsaris cohortes subsidio venerunt, Saxoqve ex formula Egrani fœderis auxilia misit, & Filium Johannem Georgium, Baronemqve Christianum Ernestum Kannium cum expeditâ manu versus Rhenum movere jussit: iis ad resistendum profectus est Bellivisus tribunus Gallicus, qvi repente celeriterqve excitis Philipsburgo & Landaviâ manipulis, numerum suorum valde auxit, Cæsareosqve & Saxones, qvi ad defendendum Palatinatus limitem venerant, apud Maudachium adortus, speraverat eorum consilia profectionemqve posse interverti, si ex inopinato ipsos invaderet, impetuqve uteretur. Tum præfectus militiæ Generalis Caprara occurrendum ratus, ad sustinendam hostis vim sese comparavit, &

 promi-

prompto Saxonum auxilio usus est, *Lotharingosqve* alacres adjutores habuit. Utrorumqve enim fortitudo maximè ibi spectata est, Saxonum præcipuè, qvorum dura initia ipsis in laudem verterunt: iis aliqvanto post discrimen pugnæ supervenit Dunewaldius, à Duce Bournonvillæ missus, qvi hostes commisso certamine acerrimo dilapsos perseqveretur: sed hi jam evaserant, multis in acie desideratis, & plerisqve etiam, inter qvos ipse Bellovisus fuit, sauciatis. Ea spe frustrati Galli, cumularunt superiores injurias, ultionisqve cupiditate magis incensi, invisum sibi *Palatinatum* multo & vario crudelitatis genere diripuerunt, & vicos villasqve igni cremarunt, nec minùs oppidorum arciumqve fundamenta subruere, passimqve solitudinem facere cœperunt. Inter has populationes de arcendo hoste consilium capitur, qvum nunciatur, *Turenium*, trajecto apud Philipsburgum Rheno, Wiselochium intercipere statuisse: in qvo cum sociis permultum esset situm, censuerunt minimè sibi

com-

committendum, ut ab hoste in potestatem redigeretur. Erat tunc in castris minor verò fama de viribus numeroqve copiarum Turenii, unde fiducia eos subiit prælii conserendi, qvod senior Lotharingiæ Dux, qvi per exploratores subinde res hostis cognoverat, dissuasit qvidem, rationesqve periculi demonstravit, sed qvia Capratæ, spe reportandæ victoriæ sublato, longè alia ratio constituta erat, è re belli socialis fore duxit, si armis experiretur, impetumqve hostis confestim sineqve mora inhiberet. Igitur apud Sinshemium, oppidum inferioris Palatinatus, commoditate loci aditusqve opportunum, congressi, acriter pugnarunt, imprimis cohortes sociæ magnâ audaciâ impetuqve in Gallos irruebant, contraqve tormenta ab iis disposita progressæ, vim globorum confertissimè cadentium excipiebant: inde à ferentariis, qvi cum sclopis majoribus in proximo latebant, incessebantur, jamqve in apertum discrimen conjecti socii, non modo ex iniqvo loco dimicabant, sed etiam videbant, hosti se mul-

tum esse impares, receptumqve circumspicere oportere, præsertim qvùm equitatus ob loci angustiam hortorumqve sepes, qvæ illi objectæ erant, explicare se non posset. Ex qvo factum, ut non levi damno affecti retrocederent, salutiqve suæ consulerent: pars Heidelbergam, pars Francofurtum profugerunt, Caprara & Lotharingus Heilbronnam se receperunt. Post hæc Burnonvillanus, qvi copiis apud Rhenum cum summo Imperio præerat, Francofurtum pervenit, egressusqve hinc cum cataphractis & peditatu movit in Palatinatum ad res instaurandas, sed nihilo tunc *prosperior* belli gerendi ratio fuit, Tureniusqve recentibus auxiliis, qvæ ex Burgundia atqve Lotharingia advenerant, firmatus, viribusqve rursum superior, more suo consiliis Bournonvillani Ducis prævertit, & ad invadendas ejus cohortes qvanta potuit festinatione, contendit: eo tempore curâ Dunewaldii, *qvi* speculandi causa abierat, effectum *est*, ut Bournonvillanis daretur spatium se recipiendi, qvi posteaqvam evaserant,

Dune-

Dunewaldius distinendis cohortibus fessus, excitasqve contra se eqvitum turmas conspicatus, planeqve resistendo impar retrocessit, hoste eum non insequi auso; qvod rationes Gallicæ non patiebantur, ut concepto vicinorum animis odio in Gallos acriores stimuli adderentur 91 qvandoqvidem sentiebat hostis, Austrios his rebus Principum animos ad se inclinaturos, ut non solum proportione, qvam jure beneficiario Cæsari Imperioqve deberent, qvamqve constaret esse talem, ut per eam Gallica amicitia non dissolveretur, auxilia subministrerent, verum etiam plures cohortes copiasqve conducerent, fœdereqve cum Cæsare sociisqve icto desinerent esse medii neutriqve parti conjuncti. Qvæ res, postqvam longe aliter evenit, tam molesta invisaqve Gallis fuit, ut iratis percitisqve animis præter jus & contra eventorum fidem affirmarent, specie defensionis imperii Principes illici circumagiqve ad Cæsaris nutum, ut simul cum Gallorum amicitia, vetus fundataqve libertas ipsis eripiatur. De

cætero nil prætermittebat Turenius, qvod cum è re sua, tum è ratione belli duceret; fortunam suam modestè ferens, etiam isto temporum statu, qvo dilapsis sociorum manipulis in acie constitit, atqve his rebus notum testatumqve esse voluit, eos acceptâ clade diffugere coactos, qvos tamen pugnasse fortiter, ipse ultrò fassus est, & temerè loqventes coarguit, futuri providus, nec intempestivè recordatus, eos, qvi jactantius dicerent, nondum explorasse satis vires & animos Germanorum, qvos non fortitudine, sed numero duntaxat pugnandiqve opportunitate præstitissent: præterea tot militum suorum, qvi ceciderant, jacturam miserari consuevit, eamqve præcipuè ob causam gaudio non sincero est affectus. Verum enimvero socii, amissa ibi felicis successus spe, in Alsatia tentant fortunam, atqve in bellum majoribus viribus gerendum incumbunt: eò contractis undiqve auxiliis, contendunt Cæsarei atqve Lotharingi, & acceptis ex fœdere Luneburgicis, ac Monasteriensibus, ascitisqve Palatinis & imperiali-

bus cohortibus, versus Argentoratum movent: Ubi cum periculum haud parvum à Vaubrunio impenderet, populus urbis in metum suspicionemqve pronus censuit, uti Rex Galliæ pro hoste haberetur, postulataqve legati Cæsarei, qvæ plerisqve proceribus ambiguam belli fortunam reputantibus displicebant, approbarentur. Qvibus modis Rheni aditus, qvem Galli intercipere cupiebant, sociis apertus, præsidioqve firmatus est; qvod non modicè conturbavit Vaubrunium, qvi qvantum in eo transitu Regi suo situm esset, æstimabat: mox cum pœnitentia subiit, qvòd morâ corrupisset consilii fructum, Cæsareisqve præveniendi se spatium dedisset, qvo futurum esset, ut vicina ista mediaqve partibus urbs à Rege, cujus erga eam antehac voluntas propensusqve animus fuerat, repentina vi impetuqve abalienata, commodis Gallicis obstaret inposterum conatibusqve isto in limite obniteretur: eo loco cum res esset, commeatus difficultas hostem maximè sollicitum habuit, totaqve belli moles in eam

regionem incubuit, magnusqve ardor fuit militum, qvùm tempus & res prælii conferendi occasionem darent. Turenius castra metatus est inter Enzheimium atqve Holzheimium, *inferioris* Alsatiæ pagos, instructaqve acie copias sociales expectavit. Neqve his erat causa differendæ pugnæ, cùm urgere hostem, intercludereqve aditu ad superiorem Alsatiam vellent, qvos conatus astu militari elusit Turenius, objectaqve sylva, cui munitiones castrenses prætendebantur, loco difficili ad se invadendum, nec satis Fœderatis explorato constitit, unde multa *damna socii* acceperunt. Ibi Dux Ploënensis præsenti animo pugnavit, magnaqve in difficultate fuit, qvùm Bournonvillani, qvi integris viribus prælii aleam spectabant, non succederent defatigatis Luneburgicis, qvos ea pugna valde illustravit, qvòd cum veterano cautoqve milite diu multumqve decertarunt. Simul Lotharingi manifestum discrimen subierunt, pariqve constantia & impetu maximo dimicarunt, qvorum spectatam for-

fortitudinis recordatio præcipuè Georgio Guilielmo Duci Luneburgico perjucunda fuit, Tureniogve hosti laudem expressit. Nec audaciæ, neqve animus Monasteriensibus defuit, qvos Baro Verdelius subsidio adduxit, laborantibusqve in tempore supervenit. Toto illo tempore, qvo congrediebantur, pluvia dimicantibus permolesta fuit, præsertim hostibus, qvos cum lubrica vestigia fallerent, inpromti & ad incessendum sociorum agmen tardiores reddebantur. Locus ejusmodi erat, ut eqvitatus omnes suas vires commodè explicare non posset, peditatus autem Cæsarei præcipuum robur ad pugnam non admovebatur, qvanqvam Werthmullerus subsidio venit, omnemqve culpæ suspicionem effugit; alii contraria Bournonvillæ Ducis mandata causabantur, rejecta in Lobkowitzium invidia, qvasi is auctoritate heri sui abuteretur, & impediret, qvo minus dimicandi opportunitate uterentur: sed qvia id minimè tutum fore existimabant fœderati sensim recedentes, auxilia Branden-

burgica expectabant, rursus hostem lacessituri: quo tempore varii rumores spargebantur, magnaque spes erat intrandæ Lutharingiæ, ac Brisaci intercipiendi: contra Turenius cautè omnia ad resistendum comparare, pluresque cohortes accire, Regemque solicitare pertendebat, ut haberet, unde advenientibus Brandenburgicis copiis obsisteret, quippe à quibus præcipuè sibi timebat, etsi longè aliud præ se tulit, palamque, nec sine Dorflingi infectatione dixit, eam expeditionem sine mora, atque periculo suo omissum iri. Interim Regi significavit, quantum in discrimen copiæ suæ vocarentur, si vel fœderatorum hostium exercitus armis secum experirentur: itaque operam dedit, ut Brandenburgicus à societate militiæ averteretur: eo consilio missus est Holmiam Feuqverius, qui efficeret, ut Brandenburgicus retraheretur in Marchiam, prorsusque distineretur. Id vero eum haud leviter pungebat, præsertim quum literæ ab Rege Svediæ mittebantur, quæ eam in sententiam scriptæ erant, ut intelligi posset, non passuros

Sve-

Svedos, ut Brandenburgico trans Rhenum bellandi facultas esset: qvam regis ejus voluntatem Wangelinus qvoqve propositis ultro citroqve rationibus, indicaverat, ut belli contra Gallos gerendi opportunitas amitteretur. Qvod Brandenburgicus ita accepit, qvasi libertati suæ adversaretur, qvasiqve id eò spectaret, ut Principes Germaniæ vim & injurias Gallorum perferre debeprent: nec multo post dimisit ad Svedos Christophorum Brandium, qvi de animo & voluntate ejus rectissima commemoraret: cumqve intelligeret, regem Svedorum in se recepisse negotium impediendæ expeditionis a se susceptæ, magno studio Cæsarem sibi conciliavit, & per Laurentium Georgium Krockovium Vindobonæ solicitavit, ut in re causaqve imperii opem auctoritatemqve sibi præstaret, tanqvam is qvi supremo & conservandæ & vindicandæ pacis munere fungeretur: ex qvo factum est, ut re infectâ retrocederet, subitaqve & inexpectata rerum commutatio fieret, totaqve Alsatia, relicto hostibus

stibus libero aditu, destitueretur, ex eoque multæ & variæ difficultates foederatis, ac metus etiam urbi Argentoratensi augeretur, neqve minor esset trepidatio finitimarum regionum, præcipuè Palatinatus, qvi jam prorsus injuriis Gallicis parebat, fœdumqve in modum incensus est ac devastatus: perinde ac si hæc una & expedita esset via ad pacem Germanis extorqvendam. Dum verò suam & Foederatorum principum sortem miratur Alsatia, Lotharingus, qvi ad custodiendos superioris Alsatiæ aditus stativa habuit, florem Gallicæ nobilitatis in Alsatiam tendentis atterivit: ex sexcentis eqvorum ductor erat Sadeus, pauci ad suos dilapsi sunt; reliqvi cum acriter resisterent, partim cæsi, partim capti. Nec multo post Henningus, tribunus Brandenburgicus magnam supellectilis argenteæ partem Gallis eripuit, plerisqve eorum, dum vagabantur incautius, pabulatumqve ibant, oppressis. Sed qvanqvam res eo deductæ erant, ut cum Turenio summis copiis decertari posset, præoccupatiqve

liqve in transjuranam Burgundiam aditus, qvos superior Alsatia aperit, viasqve in Lotharingiam, qvæ per inferiorem Alsatiam aditur, dispositis ad fines tuendos stationibus, communita satis judicaretur, ratioqve insuper Hybernorum in Regione habendorum conficeretur, aliqvanto post res consiliaqve ita sunt immutata, ut fœderati magnis itineribus subsidio profecti, velut salutis suæ causa trans Rhenum reverterentur, Turcanoqve auxiliis ex Lotharingia nuper missis, Gondæanisqve cohortibus recens firmato, spatium darent oppida aditusqve omnes recuperandi: qvod postea accidit, qvàm Fœderati non unam prælii apud Turckheimium ineundi rationem seqverentur, qvanqvam inde pendebat fere Brisaci fortuna, occasioqve tam luculenta negligebatur. Cæsareis propositum erat, servare robur; casusqve ancipites vitare, ne; si necessitas defensionem postularet, ullo tempore impares imparatiqve essent: Brandenburgicus longum iter novasqve difficultates ab tergo ortas, auctasqve

nuper

nuper Turenii vires: & praeoccupandi ab eo versus Selestadium Argentoratumqve reditus suspicionem animo agitabat, contentus satisfecisse fortunæ, alienâ culpâ impeditæ. Lunebergici prompti ad pugnam, cum Holsatica & Mollisonica cohortibus se scire hostem fortissime insurebant, cupiebatqve Dux Holsatiæ summis viribus experiri, consiliumqve liberandæ Alsatiæ confectum dare, qvod cur serius fieret, suspecta Turenii calliditas, destinatumqve locorum, per qvæ accedendum erat, præoccupatio, Fœderatorumqve dissimile consilium efficiebat.

Nec felicius res bellica administrata est apud Belgas, ubi Condæus copias suas, qvas Fœderati in æqviorem pugnæ locum venire cupiebant, castrensi sepimento diligenter præmunivit, tantisperqve continuit, dum invadendi Batavos occasio sese daret: qvod Legiones Souchianæ aliqvantò longius progressæ fuerant, qvùm Auriacum, qvi mediam aciem duxit, secutæ ponè al-

qvo

vot cohortes, viam angustam impedi-
imqve transibant, in qvas Galli summo
mpetu irruerunt, optimaqve impedi-
nentorum parte exercitum mulctarunt;
Auriacus de periculo commonitus, ad-
ventu suo labantem aciem firmat, Soi-
hiumqve ad prælium advocat: Sed
qvia is omissa festinandi auxilii opportu-
nitate, totas vires in hostem non con-
vertit, tergiversantis suspicionem fœ-
deratis præbuit, qvanqvam aulæ se pur-
gavit, causatus, mandata se accepisse non-
am ad invadendum hostem, qvàm ad
defendendas copias suas, auctore, ut
qvidem credebatur, Lobkowitzio: ut-
rumqve autem id sit, constat offensos
fuisse Belgas, præsertim qvùm videbant
bellum ab sociis majori apparatu, qvàm
viribus geri; neqve eo secius de recepti
Hispanici eqvitatus qverebantur, qvi
impedimenta destituisset. In eo con-
flictu Auriacus insigne militiæ specimen
edit, Europæqve ostendit, animo & fa-
tis majorum fortunam æqvare posse; si-
mul uterq; Mauritius, & Henricus Casi-
mirus Nassovii principes, fortiter arma
con-

contulerunt, itemqve Georgius Fridericus Valdeccius, instaurator disciplinæ castrensis egregius, durandisqve bello tyronibus bene de ea republica meritus, qvi etiamsi tribus vicibus sauciatus erat, tamen non excessit ex acie, restititqve constanter, donec vulneribus confectus, sanguineqve copiosè emisso respersus, propeqve exanimo similis ex periculo captivitatis ægrè evaderet: Sonchius qvoqve, licèt totum robur non explicaret, prælio se non subduxit; pariqve virtute pugnarunt, Hispanicus dux Villæ Pulchræ, Carolus Lotharingus & Vandemontius, egregiâ principes famâ: Dux Holsatiæ Joachimus Ernestus cum multis tribunis gregariisqve captus est, Assentar Marchio Hispanicus, ducto in hostem eqvitatu, cecidit, cæsorum qvoqve aliorum & sauciorum ingens numerus fuit, plurimiq; tyronum Batavorum diffugerunt; qvi postea collecti rursus, moreqve militari partim mulctati, partim ad officium sunt reducti. Hispanis qvidem fortes ac strenui præfecti non deerant, iiqv

iqve haud nesciebant, patrimonium sui egis peti, subsidiumqve & auxilia fœderatorum præcipuè ad Belgii Hispanici defensionem pertinere, sed fortuna sæpe adversa instructos eorum ordines ita urgebat, ut subita aggressione lociqve difficultate conturbarentur, qvod ab ignaris plerisqve crimini datum est, qvasi fidem bellici fœderis non servassent. Gallorum, inter qvos etiam Otto Gvilielmus Konigsmarckius, cohortesqve Helveticæ strenuè pugnarunt, non tanta qvidem jactura fuit, nec pauci tamen eorum Helvetiorumqve desiderati sunt, cauto utiqve Condæo, dum & initia, & extrema prælii præoccupatâ loci opportunitate solicitè moderabatur. Pugnâ hac apud Seneffam consertâ, rex Galliæ cum passim distineri se videret, graviterqve fortunam suam ferret, in eam sententiam adductus est, ut statueret nobilitatem regni ex plerisqve provinciis exciri oportere, qvæ suis subsidio proficiscerentur: Sed, ut fert sociorum consvetudo, non iisdem semper consiliis, nec

æqvis

æqvis viribus omnia perficiebantur, pauloqve post obsidio Aldenardæ, nulla re confectâ, solvebatur, postqvam Condæus præ se ferebat eam propositi rationem; qvasi denuò manum conserturus esset, ut fœderatos de instituto obsidionis dimoveret: qvod feliciter evenit, qvum fœderati non modo ab obsidione discesserunt, verum etiam ob præripiendi itineris annonæqve periculum, regressæ Gandavum, hyematum ire cœperunt, qvō factum est, ut qvemadmodum in superiori Alsatia Turenius, ita jam in Flandria Condæus res suas *salvas* haberet, ducatusqve Limburgensis posthac in Gallorum potestatem veniret. Fuere, qvi suspicarentur, F. Belgas è re sua duxisse, ut Aldenarda ditionis Gallicæ maneret, ne belli rationes difficiliores fierent, si rediret in potestatem Hispanorum, qvæ cum superiori pace Aqvisgranensi, ab Hispanis Galliæ regi cessa esset, tum ab se pro conditione præsentis belli postulari non posset, ut cum periculo suo efficerent, qvo eam Hispani recuperarent, præsertim

qvum

quùm Anglus adhuc studebat Gallis, credebaturque non temere, mari ipsorum vires & consilia fovere, adeò ut expeditiones navales in Americam Siciliamque post susceptos eventus minimè lætus subseqveretur.

Interea Cæsari reconciliatus est Episcopus Monasteriensis, pace inter eum Fœderatosqve Belgas XXII. April. hujus anni conventa, cujus hæc fere capita fuére: ut superiorum injuriarum perpetua oblivio esset: deinde ut pax Westphalica & Clivensis de integro firmarentur: tum ut castra arcesqve occupatæ Lingen, Lichtenfort, Borckelo F. Belgis restituerentur: simul dynastia Werthensis Georgio Friderico Comiti Valdeccio, cum cessione omnis inposterum juris, redderetur: nec non Comes Bentheimensis omnibus privilegiis & juribus nomine Imperii ad se pertinentibus frueretur; deniqve initæ hujus pacis Cæsar Hispanusqve sponsores essent. Similiter insequenti mense, inter Coloniensem atqve Fœderatos

Bel-

Belgas his ferè conditionibus pax facta est: ut vera amicitia firmumqve fœdus inter utrosqve servaretur: omnium damnorum offensarumqve memoria deleretur: dehinc armis erepta in eum statum, qvo antehac in ditione F. Belgii fuissent, sine ullâ exceptione restituerentur: tantùm Rhenoberca, castrum in eo limite situ operibusqve validum, illi & Germanico Imperio propter Diœcesin Coloniensem, ad qvam antiqvitus pertinuit, postliminiò redderetur, iterumqve innecteretur: negotium de solvendis tributis redimendisqve captivis per delegatos utrinqve constitutos componeretur: demùm ut hæc conventa præstarentur, auctoritatem fidemqve suam interponerent Cæsar & Rex Hispanorum, cessarentqve inposterum actiones hostiles à tempore ratæ habitæ hujus pactionis, qvod accidit V. Non. Maji mensis. Dum hæc feliciter aguntur, hæsitat fortuna Hispanorum in libero Burgundiæ Comitatu, cujus aditus, præmisso ab Rege Navaillio, occupatus est, qvando Hispani fines illos du-

cendo

tendo bello peropportunos sufficienti præsidio non firmaverant, qvibus post expugnationem Grayi perruptis, nullo prohibente, Vesontium usque tendebant. Eos Rex ipse subsecutus, magnis viribus Vesontium, urbem cæteroqvi situ & arte munitam, nec annonæ indigentem tentabat, munitionesque summo impetu fragoreqve tormentorum quatiebat: itaqve Vaudemontius, qvi urbi præerat, æstimata periculi magnitudine, deditionem pactus, in proximam arcem se recepit, ubi non minore vi petebatur, nec recusabat adire ingens periculum, perferreqve obsidionem, si ulla qvidem mittendi auxilii spes fuisset, qvod cum sciret, non futurum, qvemadmodum cupiebat, statuit dedere arcem: qvum enim Rex plenum periculi variiqve discriminis bellum cum animo cogitaret, itinera pasqve versus Germaniæ fines tempestivè obsedit, conniventibusqve, more Helvetiis, qvi per fidem amicitiæ patrociniiqve semel & iterùm rogati, sese ne moverunt quidem, auctoritatemqve per largitiones imminutam

G Galli-

Gallicis molitionibus minimè opposue-
runt, qvasi hoc neutrius partis studium
exigeret, ut postulatis Gallicis acquiesce-
rent, Comitatumqve, qvem ex *pacto*
antehac tuendum susceperant, *Hispanis*
eripi paterentur. Eò magis, qvòd Rex
castra arcesqve ipsorum Regioni finiti-
mas occuparet, præsidioqve firmatas ad
obseqvii fidem jurejurando adstringe-
ret, nec vanam formidabilis potentiæ
suspicionem augeret, aditumqve ad in-
festandas etiam quatuor civitates Syl-
vestres communiret. Itaqve Vaude-
montius extrema qvæqve ab *Rege*, *urbes*
obstinatè circumsidere solito, metuens,
negatoqve apud vicinos auxilio, defen-
sionis incepto destitit, arcisqve deditio-
nem X. Eid. Maj fecit. Inde ad Regem
deductus, multisqve datis benevolentiæ
significationibus, comiter acceptus di-
missusqve, Lutetiam Parisiorum perve-
nit, atqve hinc Bruxellas, obito fideliter
munere rediit, Princeps virtute magno-
rumqve operum famâ egregius, nulliu-
qve culpæ arguendus, qvòd Veso-
tium periculo eximere non potuit, siq
d

dem in ejus potestate non fuit, ut sine cohortibus subsidiariis, qvas sperare non poterat, hostis viribus commeatuqve & instrumento bellico abundans, duorumqve montium, ex qvibus maxima globorum vi arx verberata est, opportunitatem nactus ab obsidione, tanto operæ sangvinisqve impendio suscepta, depelleretur. Tum Dolam, urbem arce mœnibusqve, & propugnaculis firmam, Senatusqve Juridici & Academiæ luculentam sedem, castra promovit, urbemqve ab omni subsidiorum spe desertam non sine insigni suorum jactura expugnavit: mox eandem fortunam secuta est Salina, cæteraqve Burgundici Comitatus oppida arcesqve victoris impetum minimè sistere potuerunt, fidemqve regi jurejurando obligarunt, suspensis admiratione animis, qvod Helvetii spe præmiisqve illecti non æstimarent, qvale id esset novum servitutis auctoramentum. Etsi enim Germaniæ Episcopi jam à partibus Gallicis discesserant, Angliæqve Rex cum F. Belgis Hispanorum interventu redierat in grati-

sim, tamen Galli novas subinde occasiones arripiebant, qvibus res Austriorum deteriores redderent, & bello factionibusqve in Hungaria Siciliaqve *concitatis* perniciem cladesqve inferrent, *Poloniam*qve necessitudinibus studioqve sibi conjungerent, ut hæc qvoqve expedita esset ratio nocendi Austriis, nominatimqve Cæsari, qvippe qvi non poterat negligere fortunam Hispaniæ, ex cujus calamitate & ruinis commoda incrementaqve capere Gallis consilium erat. Qvanqvam autem sub hoc tempus res Gallicæ in finibus Catalaunicis periculo propiores *videbantur*, nihiloqve minor trepidatio cœpit, qvùm classis Belgica in continentem excensura, maritimis ejus regni incolis in conspectum venit, pauloqve post expeditio navalis versus Americanas Gallicæ ditionis insulas suscepta est, tamen non multò post status belli in Comitatu Ruscinonensi virtute vigilantiaqve Schombergii valde immutatus est, exhaustis ob *longinqvitatem* loci difficultatesqve alias Hispanorum viribus, nec feliciùs littorum

Ga

Gallicorum oppugnatio tentata est, ut nulla deinceps nova ratio talis incepti perficiendi iniretur, postquam Amstelodami, & alibi passim qverendi occasio sumpta est ob impensas inutiliter factas, atqve ob cladem etiam, præcipuè in Americæ littoribus, acceptam, qvando Gallici præfecti de proposito hostium submoniti, oram maritimam strenuè propugnarant. Alioqvin domi F. Belgii generales ordines de summovendis aditu hostibus, deqve firmanda, & in antiqvo statu sistenda republica diu multumqve consultarunt, magnoqve armorum apparatu majora ausuri videbantur; & terra mariqve providebant, ne ditionis suæ populus, superioribus irruptionibus vexationibusqve debilitatus, detrimentum caperet, totusqve adeò Belgii status, qvi dimissis ex urbe Neomagensi, Arnhemio, Zutphania, propugnaculoqve Schenckiano hostilibus præsidiis, se fidesqve suos meliùs tutari poterat, novo periculo implicaretur. Qvo tempore fœderati ordines populusqve censuerunt,

runt, ut Auriaco hæreditariam F. Belgii præfecturam, in omnibus ejus virilis sexus posteris continuandam traderent, meritisqve ejus hoc tribuerent, qvod nulli qvidem ante eum fuerat concessum. Ad hæc exempli causa Groningæ Omlandiæqve Ordinibus præmium fortitudinis navatæqve bello operæ decretum est, ita ut in Senatu, qvi Status dicitur, duo inposterum suffragia, eodem planè jure, qvo Geldria, occidentalisqve Frisia, & Seelandia, haberent: de cetero Geldria, Ultrajectum & Transisalania pristinum jus veteremqve dignitatem recuperasse satis haberent. Neomagi privilegia in aliud tempus rejecta sunt, qvæ postea interventu Auriaci instaurari confirmariqve coeperunt, sive ut hoc constantiæ ipsius, qvo belli Gallici in fines Hollandiæ trajecti cursum stitit, rependeretur, sive ut exploratæ fidei honoriqve publicum hoc testimonium tribueretur, sive ut eo beneficio virtus illius populi magis confirmaretur, præsertim eo tempore, qvo resita

po

postulare videbatur, ut ea urbs, qvæ pacis illic redintegrandæ spe omnium animos jamdiu tenebat, pristinis dignitatibus ornaretur, & propter Legatos etiam, qvi illuc ad procurandam Europæ tranqvillitatem convenerunt, majori splendore amplitudineqve afficeretur. Nec minor tunc recuperandæ Graviæ cura fuit, ut constitutis securitatis Brabantiæ rationibus, limes versus Trajectum ad Mosam, qvod cum præsidio Gallico tenebatur, firmus munitusqve esset, patrimonioqve Auriaci pariter & Reipublicæ consuleretur. Oppugnationis tentandæ negotium Carolo Rabenhauptio datum est, qvi oppidum operibus aggeribusqve validum magnis viribus premebat: illud cum Imperio tenebat Chamillius, qvi magna vi tormentorum crebrisqve eruptionibus multos obsidentium confecit, adeò ut propter adversos rerum successus aliqvandiu ea obsidio in invidiam vocaretur, qvæ fortuna erat Rabenhauptii, ob bellandi gloriam multis, ac præcipuè æmu-

lis, exosi: donec Chamillius de omni spe summittendi auxilii dimotus, perque exploratorem ab Rege præmonitus, ut minimè ultima expectaret, honestis conditionibus discedendi *potestatem* pacisceretur. Gloria deditionis Auriaco servata est, qvi ad urgendam obsidionem cum Duce Lotharingiæ juniori Valdeccio atqve Rheingravio in castra adequitaverat; Montaliumqve oppido laborandi opitulaturum anteverterat, ut jam intelligeret Chamillius, res suas qvotidie deteriores fieri, qvæ non paterentur, ut obsessoribus diu *pertinaciter*qve resisteret, præsertim qvùm eo loco erat, ut non magis cum hoste, qvam cum annonæ inopia conflictaretur. Igitur ex pacto ritu militari convento, XIIX. Octobr. cum suis egressus, oppidum Auriaco tradidit, atqve ab eo comiter acceptus, publicâ fide Caroloregiam discessit, tanto qvidem F. Belgii gaudio, ut festis ignibus faustisqve acclamationibus effusè certatimqve ea expugnatio celebraretur: propterea qvòd nunc ita su-

peri

periorum rerum facies immutata erat, ut foederatæ provinciæ, qvarum tres nuper ipsis ereptæ, ad id tempus à Gallis relictæ, rursusqve conjunctæ inter se & colligatæ, novisqve viribus suffultæ fuerant, propemodum extra periculum esse viderentur. Verùm Ruyteri apud Americam in hosticum excensionem facturi consilia emanarant, fuitqve hoc tale, qvamobrem nulla re confecta reversus, in Senatu Hagiensi se excusaret, qvoniam Exponendi militis opportunitas ab hoste, qvid propositi ejus esset, commonito fuisset præreрта.

Hispani dum fiduciâ foederum pro defensione Belgii nitebantur, insignem patrimonii partem trans Juram amittebant, videbantqve passim tales difficultates, ex qvibus ipsi se viribus suis expedire non poterant, qvum res in Sicilia præcipites ibant, ægreqve pòst fortunam in Catalauniæ finibus sustentabant: paritérqve & molestum & acerbum iis accidebat, qvum Suedos jam ante suspectos, ab socio Brandenburgico diffidere animadvertebant, nec sine causa vere-

bantur, ut sarciri inter eos concordia amicitiaqve possent: superiorum habitus consiliorum, foederisqve inter eos icti interpretatio discrepans, studiaqve planè diversa, armaqve etiam in finibus à populo Martio, pacisqve impatiente ostentata metum curamqve intendebant. Quæ cogitatio eos minimè fefellit, qvando Danum per Batavos conciliatum, maturo consilio traxerunt in partes, propositisqve futuri belli commodis, si pacem Suedi rumperent, in ultionem, qvam is expectata cautè occasione differebat, extimularunt. Præterqvam verò qvod tunc tardè stipendia persolvebant, rationes qvoqve difficiles inibant corrogandæ pecuniæ, qvam sociis, præcipuè Luneburgicis, recenti foedere conjunctis dependi oportebat, nec minor cura erat satisfaciendi Dano, qvi in eandem sententiam sese cum F. Ordinibus obligarat. Interim Monteregius magnâ ratione solertiaqve mœnia sua obibat, nullasqve occasiones & causas firmandæ Hispanorum fortunæ negligebat

bat, subvectumqve pòst classe argentum, atqve ad se missum ex fide diligenterqvè curabat.

Angli pace cum Batavis redintegrata, ad suscipiendum conciliationis negotium sese comparabant, Suediqve eandem pacis curam præferebant, & ut locus tractandæ huic rei condiceretur, maximopere flagitabant, sed Austrium Danicumqve & Brandenburgicum, itemqve Luneburgicum fœdus qvasi obicem consiliis de reducenda pace objectum suspiciosè arguebant. Fœderati Ordines placere sibi propositum testati, Legatum Angliæ Regis Templium comiter appellarunt, laudatâqve ejus voluntate & amicitiâ, gratiisqve pro officio actis affirmarunt, nil prius sibi esse in votis, qvam ut æqvo jure fœderatarum provinciarum pax instauraretur. Ehrensteinio Suedico, studium suum frustra pro pace consumptum qvesto, in eandem sententiam responderunt, non esse, cur sibi metuat, agi destinarive à se hostile aliqvid, cum de suo in pacem animo omnes sciant, præterea docere acta con-

ventus Coloniensis, qvàm suás qveqve in hac communi causa partes egerint, testatumqve fecerint, qvid suæ sit voluntatis: Sed Regis Galliæ longè aliam fuisse mentem, qvam postulatis *libertati suæ adversis*, conditionibusqve multò iniqvissimis proximè declarasset: qvare hanc sibi fuisse causam, cur nova fœdera inirent, qvæ Regi Suediæ non possint esse fraudi, si nil contra se fœderatosqve suos sit facturus. Ex qvo intelligebant Suedi, pacem, de qva tot fœderatorum consensu inposterum statuendum esset, multò magis perplexam fore, & qvàm id votis suis contrarium esset, indicabant, exemplumqve fœderis cum Dano icti edi cupiebant, haud ignari cum eo talia agitari, qvæ ad dividenda studia destinationesqve suas impediendas dirigerentur. Contra F. Ordines supervacuum rati, communicare formulam fœderis, qvod ad neminis injuriam spectaret, per delegatos liberè sineqve tergiversatione Legato significarunt, si qvenqvam suorum fœderatorum peterent armisqve distineret, aut transi[illegible]

milit[illegible]

militaribusqve hospitiis etiam damna ac molestias afferrent, arma in eos vertere decrevisse. Quæ dum agebantur, facilè cognitum est, Suedos qvidem seriò de pace cogitasse, sed studio præfervidos, nec dum conventâ satisfactione, eam conficere voluisse, qvod consilium Foederati pro Gallis susceptum minimèqve sincerum interpretabantur. Apud Regem Galliæ mortuo Tothio, instabat Sparrius, ut faciendæ compositionis causa diligenter serioque eniti vellet: eandem in sententiam Vindobonæ Pufendorffius Cæsarem interpellabat, mox Benedictus Ochsenstirna, cujus adventus maxima expectatio erat, cum extraordinarii Legati dignitate missus, solicitè & graviter hoc egit negotium, præfatusqve Regis sui amicitiam atqve studium in Germanos, operamqve paci navatam, eum enixè cupere pronunciavit, ut bellum nuper inter Gallos Batavosqve coeptum primo qvoqve tempore æqvis & tutis conditionibus finiatur, Germaniæqve cumprimis eo nomine periclitanti una consulatur: tum existimare

Regem, repetendo conciliationis muneri Coloniam rursus peropportunam fore, qvæ si tamen de communi sententia non placeat, Hamburgum videri transigendis controversiis idoneum: *dummodo* ii, qvorum intersit, tales paciscendi leges taliaqve postulata afferant, qvæ obtinendæ paci prorsus non adversentur. Eumqve tanto magis in spe esse conficiendi negotii, qvòd Rex Galliæ, mutatâ jam belli causâ, & Germaniæ pacem, & læsis satisfactionem offerat: de Hispanis nil difficile futurum, qvippe, qvi pactorum cum Batavis conventorum fidem jam tum liberassent, cætera qvæ occasione pacis Aqvisgranensis decidenda restarent, cum de pace tractaretur, confectum iri: F. Belgas eo loco atqve fortunæ conditione esse, ut æqvi juris libertatisqve receptæ, ac denuò firmatæ patientes sint, nihilqve ultra concupiscant, qvorum omnis ratio in pace honesta commerciisqve profutura versetur: Lotharingiæ qvoqve Ducem hoc benevoli Regis Galliæ animi signum esse habiturum, ut non modò recuperandi du-

catu

catus ei spes sit, sed etiam legatis ejus fide publica caveatur, ad conventum pacis causa instituendum securè venturos: tantum id ab æqvitate Cæsaris sperare, ut Princeps Furstenbergius è custodia dimittatur: itaqve è ratione conseqvendi hujus instituti ducere, ut induciæ pangantur, qvæ permultum valeant ad animos pace rursum conjungendos. Ad hæc ab Cæsare responsum est, intelligere se studium curamqve pro pace susceptam, nec ulla in parte ei obniti, sed velle seriò constanterqve postulare, ut fiat pax eaqve bona, fida & perpetua, qvæ omnium partium bello dissidentium causam attingat atqve complectatur: sed qvamobrem id hactenus effici non potuerit, culpam in rege Galliæ residere, ut qvi proximè impedivisset, qvo minùs duci Lotharingiæ, suo atqve Hispaniæ regis Batavorumqve fœderato, licitum liberumqve esset dimittere legatos Coloniam, qvi ejus rem causamqve tractarent: nihilo justius fecisse, qvùm Guilielmo Egoni Furstenbergio, de se atqve de patria sua malè merito, & nunqvam

qvam ab se in loco legatorum habito jureqve abrepto plus, qvàm paci, tribuisset, eamqve dissolvendi conventus *occasionem* arripuisset: nec minùs *sibi*, qvàm aliis notum esse, qvantis injuriis *Germaniam* affecisset, dum Principes pierosqve non aliam ob causam, qvàm ob cultum obseqviumqve rite sibi servatum infestasset, pacemqve pariter Monasterii, & Cliviæ Aqvisgraniqve conventam rupisset, omniaqve consilia, & proposita etiam superiori anno ab se pacis gratia inducias rejecisset: unde per fidem muneris, perqve suam & imperii *auctoritatem* invocatus, opem auxiliumqve præstare necesse habuisset: utqve officio suo non deesset, ejus rei causas per legatum Sternbergium regi *Suediæ* exposuisse, qvi tales esse ipse judicasset, propter qvas incepto lacessendæ Germaniæ desisteret Christianissimus rex, viqve in posterum abstineret, & damna etiam illata sarciret. Alioqvi non recusare Cæsarem, qvo minùs legati Hamburgi, sive alia qvadam in finitima civitate, utpote Bremæ aut Lubecæ ad tractandum de

pac

pace conveniant, munereqve utilissimo perfungantur: ut primum enim certa loci ratio constituta fuerit, se pro summa voluntate sua ac studio in pacem, Legatos suos eò dimissurum: de Fürstenbergio rationes passim esse vulgatas & manifestas, quibus ejus captivitatis justitia doceatur: itaqve pro eo nullam qvoqve intercessionem apud se valere, cum sicuti is belli tam pernicialis conflandi auctor fuerit, ita ejus perseqvendi impulsor futurus sit, siqvidem in libertatem restituatur. De cætero nil ex diligentia officii sui mutare velle, nec inutile putare, si Suedi alios qvoqve ejus tam arduæ conciliationis socios habeant, qvam in rem polliceantur operam atqve studium Pontifex Romanus, simul & Angliæ Daniæqve Reges. Haud nesciebant Suedi, qvò id valeret, nihilqve dubitabant, qvin eam in suspicionem incidissent, qvasi pro Rege Galliæ, cui voluntate & fœdere conjuncti essent, clanculum niterentur: majoremqve post offensam incurrebant, qvum de rebus

ad

ad conciliationem illam non pertinentibus, constitutos ab Cæsare commissorum curatores appellarent, qverelasqve nomine Hungarorum exulum perferrent, passimqve ibi & in Silesia ex capite religionis ingravescentia mala exponerent, scriptoqve complecterentur, qvæ via tunc percommoda videbatur, ut una eademqve occasione pacis religionisqve res confectas darent. Sed hoc ita acceptum est, qvasi minis atqve obnunciationibus contendere statuissent, præsertim qvum Cæsaris auctoritatem pro justitia administranda implorabant, sententiasqve & decreta ab *Senatu* imperiali aulico, qvibus more atqve instituto Germaniæ sine exceptione standum est, in causa Oldenburgica nimium festinanter promulgata, alia contra diu satis & permolestè tracta suspensaqve esse qverebatur: his verò afferri remedium, & legum jurisqve haberi rationem, momentaqve controversiæ Delmenhorstanæ iterum ponderari cupiebant magnopereqve postulabant: nam id sua pa-

rites

riter & Ducis Gottorpini intereſſe affirmabant, propterea qvòd jus ſuum, qvo tanqvam duces Bremenſes, ratione Delmenhorſtani Comitatus prædіti fuiſſent, ſimul in propaginem Holſatiæ regiam & Gottorpinam contuliſſent: qvæ ceſſio, pace Rotſchildenſi comprehenſa, pactioneqve pacis *Septentrionalis* denuò confirmata, eſſet ejusmodi, ut inanis ſineqve *effectu* eſſe non poſſet, eamqve ſibi cauſam eſſe, cur doleant, curqve pati non poſſint, ut per præcipitatas judicii aulici rationes, fructus juris ſuperiori ceſſione acqviſiti domui Gottorpinæ eriperetur. Mox ſubjiciebant, non aliter ſecum agi in aliis rebus, ut maximè etiam earum cauſa fidem auctoritatemqve ſuam interpoſuiſſent, qvod argumento ſuæ *interventionis* ſponſionisqve, cum pax Oſnabrugæ concordibus animis ſanciretur, factæ demonſtrare ſibi integrum foret: qvam in ſententiam adducta ſunt capita reſtitutionis Comitatus Falkenſteinii, & præfecturæ Brezenheimenſis, ad eumqve modum

dum negotium satisfactionis Mariæ Christinæ Comitis Leonsteiniæ, atqve hæredum Pauli Kevenhulleri, qvæ contra jus, contraqve modum exeqvendi sanctione Westphalica definitum, *cœperint* differri atqve procrastinari: nec tantùm in recipiendis his juribus, adeundisqve secundum leges hæreditatibus alieno nomine, etsi non sine offensa & odio, elaborarunt, sed etiam pro libertate sacrorum per regiones Austrias, nominatimqve per Hungariam & Silesiam instauranda, maximopere anniti *cœperunt*, eo præsertim tempore, *qvo bellum* Gallicum hærebat in Germaniæ visceribus, patriæqve periclitantis status ante oculos versabatur, adeo ut in tali fortunæ articulo, qvo armata ipsorum auctoritas in Pomerania erat, *interventionem*, nomine prædictarum regionum pace Osnabrugensi approbatam, freti opportunitate, conficiendam putarent, vehementerqve adeò & fidenter urgerent *atqve* dicerent, eam omni jure vim *habere*, frustraqve & inutiliter minimè esse adjectam:

ectam: valere igitur, prorsusqve talem esse, qvæ impleri debeat, ne pactionis, cujus & ipsi sponsores sint, fides veritasqve leventur. Contra ea firmus Cæsar, nihil iniqvi se cupere ac statuere, testatus, se tempestivo suffecturoqve belli remedio, deqve sarciendis læsorum Principum Ordinumqve Germaniæ damnis Ochsenstirnam commonendum curabat: de rebus imperii nil angeretur, ubi leges, moresqve patriæ valerent, æqvoqve jure omnes controversiæ terminarentur: Silesiæ principatuum regionumqve non unam esse conditionem: nam qvod eos Silesiæ ducatus attineat, qvi nullo interjecto ad patrimonium regium spectent, eorum religionis libertatem gratiæ capite contineri, causamqve ejus referri ad *interventionem* regis Suediæ Principumqve Protestantium: clausulam verò de non inferenda vi additam documento esse, cur ii, qvi ad præstandam *interventionem* se obligarint, isto nomine nil hostile moliri debeant: etsi igitur interventio regis Suediæ protestantiumqve pactio-

pactione Westphalicâ includatur, prorsusqve inanis & nulla esse non debeat, non tamen propterea armis ferendis esse locum, qvòd sine vi sineqve *hostili facto* eam interventionem peragi *oporteat*, prout id pacto convento sit comprehensum. Quod cum reliquis ducatibus, quos inter vero vicarioqve Uratislaviensis Episcopatus nomine, perpetuoqve jure Uratislavia Civitas est, perinde se non habet, qvorum liber sacrorum usus ab Cæsare ita concessus confirmatusqve est, ut minimè ab *interventione* pendeat, nec beneficiis *duntaxat* aut gratiæ titulo, sed sine conditione, sineque interventionis & intercessionis adjectione vero perpetuoqve *pacti* jure contineatur: de regno Hungariæ nil posse sibi imputari, cujus res ob superiores factiones cœpissent commutari: neqve fraudi esse Suedis, si apud quos fomes discordiæ dissensionumque hactenus fuisset, illis tandem in universum jure exercendi sua sacra interdiceretur: eò magis, quòd pleriqve sacri ordinis homines fassi essent suam cul

pam

am: qvanqvam Protestantes fidem Re-
i servasse se, affirmare pertendebant,
nec Cæsaris, sed Cleri aversum ab se ani-
mum qverebantur, multos vi ac metu
coactos, Delegatorum voluntati non
repugnasse, capitaqve contra se prola-
ta contumeliis minisqve conturbatos
subscripsisse: reliqvos in sententia de-
vita honestè innocenterqve acta perse-
verasse, & catenis compedibusqve vin-
ctos fidem cultumqve Regi probasse, ei-
qve sincerè & constanter paruisse, nec
dictis aut factis, neqve ullis consiliis ho-
norem, famamqve & securitatem Regis
læsisse: sed utcunqve hæc, incolumi Cæ-
saris auctoritate, agebantur, tùm certè
apparuit, spem humani auxilii illic sub-
latam, nec interventione Suedica refe-
ctam, qvùm ab iis initiis profectæ su-
spiciones ita qvotidie invaluerunt, ut
diffidentia erga Suedos magis magisqve
augeretur. Qvare palam ad eos pro-
nunciatum, si Conciliatores, etiam post-
hac esse vellent, neutri parti voluntate
studioqve se conjungerent, armisqve &
vi abstinerent, nec Cæsaris socios aggre-
de-

derentur: tùm efficerent, ut certa sufficiensqve satisfactionis ratio ab *Rege* Galliæ, tanqvam ejus belli auctore, *iniretur*, cum Cæsar pro summa *auctoritate* sua committere non posset, *ut læsorum* Principum causa negligeretur, & nondum confecto satisfactionis negotio, pax dubia ancepsqve statueretur: de propositis induciis eum nil nisi voluntate & assensu Fœderatorum acturum, qvòd in re ad omnes pertinente, honesta ratione & modo, nec inconsultis sociis, per se qvidqvam agere velit aut possit. In Polonia Johannes Sobieskius, *Gallicæ* qvidem necessitudini obnoxius, sed famâ belli & auctoritate validus, repugnantibus tamen acriter Patziis, regnum capessebat, Princeps contumeliæ Lithuanicæ patiens, ut sine turbis supremum potentiæ gradum iniret, asperamqve & potentem eam gentem composito more æqvove jure demereretur. Sed Austrii tunc in ea cura versabantur, ut Carolum juniorem Lotharingiæ Ducem Reipublicæ qvàm diligentissimè commendarent, missoqve illuc ad Comiti

mitiæ Christophoro Leopoldo Schafgotschio, nomine Ducis, atq; ei nupturæ reginę viduę Eleonorę Marię, regnum prensarent. Alii pro Sobieskio annitebantur, horumq; partes gratiâ & studio prævalebant, quas fovebat Rex Christianissimus, atq; omne studium adhibebat, ut conciliatis Procerum voluntatibus, firmatisq; de integro affinitatibus, in Polonię Hungarięque confinio nomen atque auctoritatem suam amplificaret. Eam in sententiam rebus Reipublicę miseris tunc maximeque nutantibus opem, subsidia, pecuniam prolixè pollicebatur, effecturumque se recipiebat, ut allevaretur quodammodo, & deinceps à metu atque mole belli Turcici liberaretur. Nec aliter vicini, etiam Gallis alieni, existimabant, cum nollent, Principem suis opibus nimiisq; clientelis subnixum ea dignitate ornari, quâ transcendere æquum potentię gradum, finitimosque socios & beneficiarios Principes minùs benignè imperioseque tractare posset.

Nec dum verò Lusitania consiliis Gallicis de rumpendo Hispanorum

H fœdere

foedere locum dabat, sed ad quietem pacemqve retinendam spectabat, simul & cavebat, ne domi dissidia gliscerent, qvæ res fortunasqve Petri regiâ potestate Principis everterent, & novis deinceps turbis materiam darent. Eodem tempore in Lusitaniæ Comitiis statutum sancitumqve est jus ejus regni imposterum ad feminas devolvendi, si nulli mares Petro nascerentur, partim ut Ordines ei gratum navarent officium, partim ut regni illius successione incerta esset, partim ut omnis occasio discordiis motibusque præcideretur, partim ut ei præmio foret qui necessitudine proximus cum Petri filia matrimonii societatem contracturus esset. Major multoqve periculosior apud Siculos rerum conversio fuit, quando Messanæ quidam Tracassagnius non obscuro loco natus, & factione plebis potens audaciaq; sua fretus, foedum ea in urbe tumultum concitavit. Paulo enim post, qu[illegible] Princeps Lignius, qui in ea insula prorex Hispaniæ imperium gessit, pro duce Mediolanum recturus in Italiam disce[illegible]

se[illegible]

ferat, semina seditionis, quæ prudentiâ ejus ad id usque tempus compressa fuerant, suscitari iterum vehementiusque agitari cœperunt. Quæ res magni erat momenti, quòd non modò ad detrimentum Hispaniæ, sed etiam ad periculum Italiæ pertineret, siquidem ea urbs tam opportuno sita est loco, ut fines vicinarum regionum percommodè aperiat, aditumqve ad Italiæ Africæqve oras muniat. Urbis ejus populus per se varius atqve in res novas pronus, ob superiores annonæ difficultates concitatus, remedioqve in tempore allato placatus, deinceps ob privilegia, qvæ auctore Stratico prætore regio labefactari convellique querebatur, gravissimè est commotus. Cum res in eo discrimine esset, Hispani vi armisqve obsistere conati, mox ubi se turbis sedandis impares senserunt, in arcem, qvæ portui urbis adjacet, sese receperunt. Nec verò sic ardor factiosorum hominum mitigari potuit, qvùm vires ad se tuendum nacti, omnia extrema in animis moliuntur, rati hoc esse tempus, qvo acerba

iniquave regiorum præfectorum impe-
ria ulciscerentur. Nón deerant, qu
putarent apud finitimos Barbaros quæ-
renda esse auxilia, si rationes *Hispanica*
ad expetendam ab se poenam referren-
tur: Cumque ad eum modum, quo ipsi
cupiebant, veniam admissorum non im-
petraturos se existimarent, atque etiam
decretum oblivionis ea formâ, quâ ab
ipsis conceptum erat, exempli causâ de-
negaretur, jamque cohortes Hispanicæ
finibus eorum appropinquarent, mo-
tumque indies augerent, animos & con-
silia in Galliam converterunt, *Regique*
turbidum gentis ingenium foventi sese
in clientelam tradiderunt. Sæpe enim
in utilitatem suam vertit hostis, quum
ad ostentationem *auctoritatis* delicta
puniuntur, quibus ignosci expedit, ut
populus, qui nulla re magis, quàm mo-
deratione & pollicitationibus in officio
retinetur, ad tentanda ultima ne adiga-
tur. Quare dum gravius in eos con-
sulitur, saluti suæ desperantes Regem
Galliæ de auxilio solicitant, qui pro Re-
ge ipsis constituit Comitem Vivo-
ni

nium, virum præsentis animi minimeque incautum, quem summo cum gaudio gratulationeque acceperunt, curamque & defensionem suam ipsi permiserunt, regisque Hispaniæ insignia confregerunt. Is mox Senatui, quem juratorum nomine appellant, tales conditiones proposuit, quæ significarent eum aliquid sinistri suspicari, quum præter cœptas ibi mutationes, plenum armorum imperium totamque Reipublicæ administrationem strictissimè sibi vindicaret, maximeque id spectaret, ut arcem *Salvatoris* occuparet & ac liberos terra marique aditus versus urbem in potestate sua haberet, quibus ad annonam resque necessarias subvehendas uteretur. Quod cum Hispani, viribus impares, nec in proximo satis tuti, prohibere non possent, maximum damnum illatum est commerciis Urbis Genuensis, quæ secundis per Siciliam Italiamque Gallorum rebus ne quicquam florent, vehementerque imminuuntur, si quidem par est causa odii erga Hispanos atq; Genuenses, quorum naves multis sæ-

qve repetitis mari prædationibus infesta-
bantur, nec minus à Sabaudi finibus sibi
metuebant, qvem concitari à Gallis, im-
pelliqve ad faciendum bellum sciebant.
Nec Trompii expeditio, qvæ *afflictis Hi-
spaniæ* rebus momentum allatura vide-
batur, felices successus habuit, qvùm Gal-
li parati instructiqve ad propugnanda Ba-
jonæ littora essent, domiqve seditiones
in Cismarina Britannia & Normandia
suppliciis auctorum finirentur, atqve in
ipsum etiam ducem Robanæum regi pro-
pinqvitate junctum animadverteretur.
Helvetii per Leonhardum *Pappum*,
Constantiensem præsulem, *qvi apud eos*
eum legati ordinarii titulo erat, ab Cæ-
sare prolixè comiterqve admonebantur,
ut pacis Westphalicæ, cujus socii con-
sortesque essent, rationem habere vel-
lent, proqve studio veteri & amicitia,
qvam transactione qvoqve Osnabru-
gensi confirmassent, minimè committe-
rent, ut intra regiones ipsorum regi Gal-
liæ, suo reiqve publicæ Germanicæ hosti,
deinceps conscribendi militis potestas
fiat: quòd nescire non possint, eas esse
su-

superiorum foederum, quae cum majoribus suis percussissent, conditiones, ut ad opem ferendam sibi teneantur, praecipuè cum res sua totiusqve Germaniae in magno discrimine sit, salusqve & existimatio tot egregiorum innocentiumqve Principum petatur: darent ergo sibi & Germaniae, ut recuperandae tranqvillitatis causa operam & auxilia ad defensionem suam conferant, nec sinant, ut hostis ab ipsis auxilia accipiat, aut, qvae acceperit, retineat, & quomodo juvetur. Simul & foederati Principes missis illuc internunciis petierunt, ut causae honorisqve suo studerent, atqve in reprimendis Gallorum armis voluntatem atqve officium sibi probarent. Nam liqvidò id licet qvidem confirmare, Helvetios ex pacto Osnabrugae convento obligari, ut non modò non frangant Reipublicae Germanicae pacem, sed ne connivere qvidem, aut qvacunqve ratione jurisvè specie permittere debeant, ut ea ab aliqvo frangatur turbeturvé. Tantumqve abest, ut foedera ipsorum cum rege Galliae inita contra praedictam

pactionem valeant, ut quoque eo temporis articulo & casu, quo regem istum hostem imperii judicari contingat, veluti anno cIↄ Iↄc LXXIV. re ipsa quidem id contigit, ex capite contractæ *obligationis* ferendæ opis lege teneantur. Sed interpellati etiam rogatique tunc nil tale susceperunt, salutemque simul Comitatus Burgundiæ transjuranæ, qui vulgò liber dicitur, veraque veteris regni Arelatensis portio, & Germanici quoque regni membrum, & inprimis ipsis finitimus, ac patrocinii etiam nomine obnoxius est, neglexerunt, appellatique *de auxilio* minimè propugnandum susceperant: quam in sententiam rationes utilitatis fœderum commerciorumque Gallicorum eos induxerunt, quippe nondum oblitos, ope amicitiave Gallicâ sese ad libertatem contendisse, quæ postea transactione Westphalica est confirmata. Sed etiam plus sibi in Pomeraniæ finibus permiserunt Suedi, & prætermissi à Brandenburgico officii, *neglectique* fœderis culpam verbis scriptisque amplificarunt, quasi nempe re-

petit

petitâ versus Rhenum expeditione leges imperii convelleret, quum sciret, sibi non esse integrum ei bello se immiscere, quod ex præscripto pactionis Westphalicæ atque ex formula fœderis Coloniensis ad Suevum prohiberetur, quo minus pro salute & fortuna Palatini justas copias duceret, siquidem istis rebus fieret, ut traheretur bellum, pacisque negotio longa atque inutilis mora afferretur. Igitur pertinere ad Brandenburgicum, ut conditiones, quibus Monasterii cum rege Galliæ transactum esset, serventur, quod non futurum sit, si in Rheni finibus bellum gerat: nec posse eum ignorare, se ejus pacis proximæque cum rege Galliæ transactionis, quam alterâ expeditione fregerit, sponsores esse, qui providere debeant, ne quid fiat, quo res ni extremum periculum adducatur. Quare paci Westphalicæ fœderique secum icto satisfaciat, hortantur: quod si respuat, non posse discedere ab armis, quæ non ad inferendam ei vim, sed ad conficiendas pacis rationes spectarent. Simul & odio invidiæque ipsius tribue-

bant, quòd Vindobonæ de bello adversus Gallos perseqvendo, contra qvam pollicitus fuisset, per internuncium tractasset, rationesqve fœderis & fortunam suam sponte commutasset, admonitusqve ut fœdus servaret, cogitationes pariter viresqve suas aliò, qvàm justitia pacti exigeret, convertisset: inde verò nullo negotio posse intelligi, qvò consilia isthæc valerent, qvùm occasio causaqve bellandi rursus qværerentur: Tum verò clausulam fœderi convento adjectam, qva ad mutuam communicationem Suedis se obligasset, minimè confectam dedisse, eoqve pacifica consilia, & molestas difficilesqve superiorum temporum tractationes, fœdusqve ipsum tandem ad nihilum rediisse. Posthæc qverebantur, edicta ad revocandos ab societate militiæ externæ Germanos per Marchiam vicinasqve regiones promulgata imprimis dirigi ad Suedos, qvos clam palamqve petat Brandenburgicus, qui convelli cupiat pactionem Osnabrugensem, ut armis se mittat in possessionem Pomeraniæ Orientalis, cujus re-

cuperan-

cuperandæ qvanto desiderio teneatur, perspici ex superiore bello Septentrionali, pactisque cum Cæsare, tanqvam rege Hungariæ & Bohemiæ, initis, quæ eò pertinuerint, ut Sedini potiundi occasionem captaret, oppidaqve in proximo occupata & insessa retineret: nec dum eas cogitationes abjecisse, qvando interpositionem ab Saxone & Bavaro factam obstinatè detrectasset: qvin & literis asperè præterqve modum & consuetudinem scriptis se incessisset, atqve in præcipuis Europæ aulis odium sibi & invidiam conflasset, Cæsaremqve & Germaniæ Principes contra se concitasset, ab iisqve subsidia & auxilium contra Suedos, veluti communis Patriæ hostes, postulasset, omnesq; juris, amicitiæ, foederis atq; vicinitatis leges neglexisset. Ad hæc copiosè respondit Brandenburgicus fidei servatæ securus, qvòd in maximo rerum discrimine omnia consilia atq; cogitationes ad salutem Germaniæ retulisset, magnoqve cum periculo suo & fortunarum dispendio, eam expeditionem suscepisset, ad quam

cur ſeſe obligaſſet, non cupiditate proferendi Imperii, ſed amore patriæ, quam juvare teneatur, adductum fuiſſe: Sacras enim Imperii leges, fidem, in quam ab Cæſare adactus ſit, neceſſitudinemq; & pacta inter Principes ELECTORES confirmata ab ſe hoc officium exegiſſe: religionem obſequii erga ſummum caput, jus atque dignitatem ſuam, inſtituta legesque Imperii ſervaſſe, contra autem feciſſe Suedos, pacemque publicam fregiſſe, & Regi Galliæ pro hoſte patriæ habito, contra ſanctiones publicas, contra decreta Imperii, contra libertatem Germaniæ, *cujus defenſioni* atque commodis ſanctè caviſſent, conſilium & opem tuliſſe, infeſtumque exercitum in fines ſuos adduxiſſe: mox ibi ſtativa atque hoſpitia pro *libitu* ſibi deſignaſſe, & pleroſque ditionis ſuæ homines per Ukkeranam Marchiam, ac deinceps per Occidentalem Pomeraniam Novamque Marchiam malè mulctaſſe, nec non equites in ducatum Croſnæ, vetus gentis *Zolleranæ* peculium dimiſiſſe, qui tributa militaria imperarent, tùm ſubſi-

dia

dia annonæ, resque frumentationi aptas more hostili exegisse, & insciis invitisque eripuisse, simul & propugnaculum, in quo præcipuè transitus securitas posita sit, vi & armis occupasse, quin & adjutore consiliorum Vitrio, homine externo, atque in hostis verba & fidem adacto, multa iniquè & insolenter fecisse, nec modò deseruisse Germaniam, sed etiam oppugnasse, jus, pacta, vicinitatem violasse, tranquillitatem publicam conturbasse, decretis in Senatu Imperii factis minimè paruisse, sententiisque nomine *Circulorum* superioris & inferioris Saxoniæ promulgatis morem non gessisse, cumque jure experiri potuissent, protenus arma sumpsisse, atque in alienas Regiones, de nemine malè meritas, suamque & Imperii fidem securas, castra movisse, & superioris Saxoniæ *Circulum*, cujus & ipsi portio sint, cuique jure & omnibus officiis devinciantur, infestasse: de cætero se, nil quod ad obligationem & diligentiam suam spectaret, prætermisisse, conditiones pacis Westphalicæ & fœderis proximè icti sin-

cerè implevisse & servasse, libertatem patriæ, securitatem cognati ELECTORIS per leges imperii, perque fidem, qva Electores mutuò sibi obstricti sint, propugnasse: formulam transactionis *Coloniensis* sacris imperii legibus fraudi esse non posse; neqve ejus sententiam eò pertinere, ut culpâ suâ Germaniæ salus negligatur: de communicatione qvoqve satisfecisse ejus capiti, quùm haud obscurè Kalendis Majis hujus anni Wangelinus de æqvo & justo suo proposito commonitus fuerit: edicta ab se, in clientes hominesqve suæ ditionis, secundum *jus* fasqve imperii lata promulgataqve esse: nec iis Suedos offendi potuisse, cum se voluntati & fidei Cæsaris atqve imperii permitteret, eorumq; opem invocaret, qvorum mandatis decretisqve omnia consilia atq; instituta sua responderent: præterea tot pericula sumtusq; se Germaniæ causa sustinuisse, ut ope destitui non posset, nec boni exempli esse, ut ab rege socio & consorte juris Germanici tam *asp*erè

incle-

inclementervé consulatur in Principem Electorem, qvi in belli socialis justissimi societatem venisset, qvive subiisset communem fortunam patriæ, in cujus fide clientelaqve esset: de conciliatione, qvam Saxo Bavarusqve obtulissent, nil se recusaturum fuisse, si per belli auctores fieri potuisset, qvi cum de pace commemorarent, arma nihilominus retinerent, & damna vastitatemque suis regionibus inferrent: causam ejus rei jam esse talem, ut pertineat ad securitatem atqve existimationem universi imperii, quod læsis opem tutelamqve præstare teneatur: in fœdere cum rege Galliæ facto se sibi reservasse jus patriæ, si suo auxilio indigeat, subveniendi, cum per officium Germaniæ Principis non potuerit aliter pacisci, qvàm leges ad fundamentum Reipublicæ pertinentes paterentur: nec juri suo fraudi esse, qvod ultra portionem, qva Reipublicæ teneretur, auxilia misisset: nam id charitatem patriæ indignè à Gallis vastatæ, & fidem, qvam *Unioni* Electorum sanctione Cæsaris jureqve jurando confirmatæ

matæ dedisset, ab se postulasse; unde constare possit, nil se præter leges præterque pacta conventa fecisse, etsi sciret, consilia ipsorum ad rationes viresque suas ab Cæsare & republica sejungendas *valuisse*. Quæ cum à Brandenburgico ad tuendam causam afferrentur, tum inclinati sunt Cæsaris Principumque animi, ut pro securitate ejus se vades sponsoresque darent, & communi sententiâ in Comitiis statuerent, eâ ratione & modo, quo Ducatum Cliviæ contra Gallos tuendum suscepissent, cæteras quoque ejus *regiones* propugnaturos, salvasqve *præstituros* esse: quod periculum ut in se reciperent, conjunctisque animis & suffragiis in eam sententiam decernerent, multum contulerunt F. Ordines, & Cæsarem rogarunt atque obtestati sunt, ut Suedos, ad quos decretum istud haud ambiguè pertinebat, in numero hostium haberet, quæ res altero post anno demũ voluntate atq; suffragio imperii Ordinum est confecta. Interim legati Ordinarii regis Galliæ, qui passim in aulis civitatibusque præcipuis commorabantur,

bantur, exire jussi, distrahendæ consiliis Germaniæ spe ceciderunt, quam fortunam quoque tunc subiit Robertus Gravelius, quem Rex cum pleno mandato Ratisbonam miserat, ut rationes causasque actorum suorum doceret, perque ipsum studia & suffragia Principum sibi conciliaret: quod cum ad ultimum pro eo, ac sperabat, conficere non posset, sortem suam æstimans, decreto paruit, & urbe excessit, quòd è republica non esset, ut per eum virum multis & acribus contradictionibus convelleretur auctoritas Cæsaris, qui mandatis *avocandi* causâ editis, ejus rei fundamentum jecerat, ut Germania consiliis rebusqve consentiens, contra hostiles conatus inposterum firmaretur, planeqve in tuto collocaretur. Post unam alteramque excusationem in eandem sententiam ivit Lotharius Fridericus Pontifex Moguntinus, Palatino infensior, quasi ejus consilia suæ & temporum illorum fortunæ non convenirent, quando controversia Böckelheimensis adhuc tam vehementer inter utrosqve disceptata est, ut alterutri

tri qvoqve moderatio versus Galliam, studio partium tribueretur. Nec diu substitit Francofurti Perodius, cum præscripta à Cæsare exeundi sententia contra eum promulgaretur, minimeqve omnium morandi causas habuit. Johannes Frischmannus, quùm res Galliæ Argentorati inclinarentur, studiaqve in Cæsarem converterentur: qvo rerum statu Suedici internuncii omni ratione annitebantur, ut regi suo per Germaniam socios atqve amicos pararent, qvi unà secum partes redintegrandæ pacis explerent; sed ejus conditiones non recepit Cæsar, quùm postularet idoneas cautiones, quibus sibi Foederatisqve suis satisfieret, recentesqve offensiones, unde aliqvando post civiles dissensiones exortæ sunt, obliterarentur: quæ cum transigi non possent, altero anno in perniciem Suedorum verterunt, & Snolskius etiam atque Blumius, qui ex dicendi libertate non tenuerunt modum, fortunæ cesserunt, cum Brandenburgicus suffragiis vinceret, & damna, periculaque & impendia sua rationibus atque exemplis demon-

monstraret, jacturamqve natu majoris Filii Caroli Æmilii, qvam in altera expeditione fecit, exaggerans, immerenti sibi neminemqve lacessenti inferri vim; iræ dolorisque plenus qvereretur. Cum verò Suedis non deessent causæ, qvas ultioni armisqve suis prætexerent. Ducem Hannoveranum Johannem Fridericum foedere sibi conjunxerunt, ut eo adjutore atqve socio regionum finitimarum Bremensis & Verdensis tuta ipsis possessio esset maneretqve: tum amicitia & affinitate Gottorpina rem eò deducere cupiebant, ut clausa custoditoqve Cimbricæ Chersonesi aditu, contra belli ab Dania inferendi molem se compararent; rebus ibi constitutis, cum Bavaro defensionis foedus inierunt, quod datum est honori commodisqve eorum, qvi foederis vinculo inter se colligati, unà secum paci recuperandæ seriò operam darent; foedus inseqventi anno Monachii Bojorum ictum perscriptumqve est, qvod tori parum offensionis habuit, præcipuè cum ultro citroque mitterentur,

tur, qvi Principum animos pertentarent, ut summo studio sineque mora negotium pacis urgerent: unde aucta est suspicio, quasi specioso pacis titulo id ageretur; quod neque ex re, neque ex *dignitate* læsæ Germaniæ esset, quippe ad cujus contemptum injuriamvé pertineret, quicquid in re tam ardua præcipitaretur, ubi æqua de satisdando postulata quæ omni jure valere oporteat, contra tot vota obtestationesqve à se factas rejecta fuissent. Eo minùs epistola ab rege Suediæ in extremo hujus anni ad ELECTORES Principesque & *Ordines* imperii perscripta placuit, *quòd tale* quidem id tempus esset, quo honori & causæ Germaniæ favere debeat, ut quod in ea parte à Brandenburgico susceptum actumqve sit, communi consilio atque assensu approbetur: quandoquidem securitatis pariter atque existimationis omnium intersit, afflictis Germaniæ rebus afferri remedium, præstarique laboranti Reipublicæ opem, cujus *suprema* lex sit, ut jura, judicia & libertas conserventur: hoc postulare autorita-
tem

tem Cæsaris & Imperii, hoc suadere extremam rei necessitatem, ut de injuriis posthac non inferendis sibi & Brandenburgico caveatur.

1675. Cum verò nullæ reconciliandæ amicitiæ rationes proficerent, neq; alterutra pars metu armorum, & instantis periculi denunciationibus flecti se cogivé pateretur, tota ea pacis tractatio irrita fuit, cum Suedici apparatus belli vires & consilia distraheret, insigniterq; mutaret: quæ res principiò quidem tardè moderateqve gerebatur, propositis ab Cæsare in eam sententiam conditionibus, ut componendæ cum Brandenburgico controversiæ ratio iniri posset. Præterqvam enim quòd Benedicto Ochsenstirnæ erat confirmatum, Suedos omnia sua in Germania securè habituros, si tranquillitati locū darent, Fœderati Ordines qvoq; curaturos se receperunt, ut qualiscunq; etiam futura esset Regis Galliæ fortuna, nil ad ipsos pertineret, nec aliter Brunsvvigæ Viadischgrazius pronunciavit; hanc Cæsaris esse mentem testatus, ut Regionibus, quæ ab Imperii tutela pendeant, tutò libereque præsint,

modò

modò arma missa faciant, neminem velædant: tùm decreta Comitiorum *Circulorumq́,* oculis obversabantur, quæ ejusmodi erant, ut Brandenburgico contra quamcunqve vim subsidia & securitatem sponderent. Verùm occulta metus ratio & diffidentia erga vicinos Principes tantum apud eos poterat, ut omnem prope suam fortunam successibus Gallicis metirentur: simul reputabant, qvo in discrimine versarentur, si unus ille tam potens Germaniæq; præcipuè timendus Rex ad repetendum pristinos fines armis cogeretur: jam à tempore inde Caroli *Gustavi* Regis multa præter voluntatem suam accidisse, qvæ mutatos Principum animos, ingenia belli & occasionum cupida plus satis docere possint: inanem esse potentiam jure, non vi sua nixam, qvæ ratio sit non deserendi fœderati Regis, qui pacis Westphalicæ socius sponsor vindexqve sit, qvam si convelli patiantur, debile causæ præsidium in Germania habituros: vix æquo & honesto modo controversias *recessu* Sedinensi clo Iↄc LIII. transegisse, qvùm lites qverelæq; passim cœptæ haud

obscurè

obscurè significassent, quali pactorum fiducia niterentur: mox initum quoq; contra se foedus indicio fuisse, dubiam periculiq; plenam pacem fore, ad qvam tenendam socii consortesvé lege armatâ compelli nequeant: quare non posse committere, ut finitimus ELECTOR à jure & aeqvitate foederis declinet, qvi jure gentium plenè & sincerè omnes ejus conditiones implere debeat: his modis ipsum se patriamque à majoribus malis liberaturum, nec aliud sibi propositum esse, quàm ut aequa & honesta pax inter partes bello dissidentes conficiatur: nec dubitare, qvin eam confecturi sint, si ELECTOR res pace constitutas habeat, postulatisq; justis annuat, nihilqve faciat, praeter contraqve formulam pacti conventi. At verò Brandenburgicus ejusmodi pacem abnuebat, qvae non aeqvis utilibusq; patriae conditionibus iniretur, quaeqve non ad omnes atq; singulos bellantes pertineret, essetq; talis, ut securitati suae pariter, & libertati Germaniae adversaretur: jamdiu enim exploratas esse externorum Regum destinationes, qvae eò valeant, ut rerum Germani-

carum

carum arbitrium potestatemqve interpretandi pacta tantùm sibi sumant, qvùm spernant Imperii decreta, infestent Principes, lædantqve Reipublicæ dignitatem: metus & diffidentiæ rationes suggeri & foveri à Gallis, ut per contraria Principum studia ad Germaniæ perniciem tendant: securitatem Suedis promissam & præstitam fuisse, qvoad pacem retinuissent: nunc cum leges convellant, bellumq; conflent, merito suo periclitari: nec ad suam culpam pertinere, qvòd rebus antehac in Dania turbatis, arma in fines eorum converterit, in eo enim nil iniqvè se fecisse, qvòd belli repellendi sibi jus esset: ipsos non stetisse promissis, multa insolenter in se statuisse, in *recessu* etiam Sedinensi pacis studio multa se condonasse, & tanqvam cum vicinis, qvi unius Reipublicæ legibus institutisq; secum coaluissent, egisse: postea vero, qvàm bellum Danicum exarsisset, malè de se meritos, bello ad se capessendo causam dedisse: eo deinde finito, nil hostiliter in eos commisisse, nec plenam voluntatis suæ significationem omisisse, qvùm in defendenda patriæ salute

versa-

versaretur: Cæsaris, Hispaniæ Regis, Batavorumqve Legatos scire & testari posse suam fidem, qvorum prope indignationem accenderit, qvùm rationibus atqve consiliis Svedicis impeditus, arma tardiùs resumeret, unde haud mediocre periculum damnumqve ad Germaniam pervenisset: nec facilè obscurum esse, qvot labores consumpti fuerint in tractatione *articuli separati*, unde intelligi posset, qvid ex justitiæ lege & jure ejus fœderis sibi liceret: tùm si maximè non observasset caput fœderis controversum, nil admisisse in leges de pace publica latas, & si hoc etiam daret, ejus rei causæq, cognitionem ad Comitia Imperii, rejici oportuisse: atqvi verò decreta de tranqvillitate & libertate Reipublicæ promulgata, religionem officii erga patriam, qvæ omni aliâ obligatione potior sit, eam in sententiam se adduxisse: qvanqvam autem novo illo apparatu in invidiam suspicionemq; venerit, qvasi confecto bello Gallico, invadendæ Svedorum viciniæ consilium agitaret, tamen ne data qvidem hac facultate se voluisse aut potuisse uti, qvandoqvidem ita contra leges

& decreta Imperii facturus fuisset, qvod per fidem Imperio obligatam sibi integrum non esset, qvodqve semper vitare studuisset: nam qvæ ad superiores res actaqve pertineant, belli jure excusari, eorumqve oblivionem nuper pace Olivensi esse sancitam: nec offensæ dissensionumqve proximarum causas ab se qvæsitas, nec pacis conciliationisq; conditiones ab Saxone & Bavaro, & postea etiam à Johanne Friderico Duce Luneburgico propositas ulla sua culpa odiové pacis, pro qva universè & firmiter restituenda etiamnum anniteretur, sed ob repulsam congruentis *satisfactionis*, alienaq; postulata repudiatas fuisse. Ab his causis, qvas prout ultro citroqve disceptatæ sunt, memoravi, ducta sunt initia novi belli, qvod magnam qvidem expectationem Regi Galliæ attulit, res vero Suedicas in Germania semper deteriores reddidit, planeq; commutavit superiorem fortunā ejus gentis, qvæ nescire alioqvi non poterat, qvantum in amicitiā ejus Imperii qvod totius Europæ negotia momenti suis ponderat, situm sibi esset, qvanto impendio constarent partę nuper prov

ciæ, & inprimis ea opinio, qvæ nostrâ patrumq; memoriâ apud hostes sociosq; invaluisset, qvasi non posset vinci, haberetq; per se pondus ad pacem invitis partibus exprimendam. Sed ubi iste conatus minimè felicem exitum habuit, senescentisqve Vrangelii fortunæ Suedis exemplum dedit, cladesq; apud Fehrbellinum, & omissa Vismariæ liberatio res convertit, graviusqve in eos Cæsar cum Senatu Imperii statuit, & Turenii etiam Creqviiq; prælium infeliciter cecidit, Danusq; totis viribus in ipsos movit, majorq; Europæ pars, qvæ se à consiliis atq; studiis Gallicis sejunxerat, rebus factisq; his offensa abalienataq; est, apparuit, serum fuisse consilium, incepto desistere, qvùm præter injurias, qvarum causa jam communis, remediumq; difficile & arduum erat, sumptus belli qvoqve ita æstimarentur, ut solvi non possent, rationesqve præcipuè tales inirentur, qvibus conficeretur defensio, totaqve cœpti recens belli moles in auctores rejiceretur. Qvo temporè etsi non levis suspicio erat erga Daniam, qvòd consilia & opportunitates ab eventu peteret, successusq; Fœde-

ratorum suorum expectaret, Poloniaqve confirmatis cum Brandenburgico pactis insisteret, ipsaqve se contra Barbaros ægrè tueretur, & Russis qvoq; more suo *augendorum* finium avidis nova spes *injiceretur*, Germanis autem ea reverentia religioqve in animis inesset, ut domi saltem bella defenderent, non inferrent, legibusvè & pactis publicis starent, nullisqve adeo, licet maximis Gallorum pollicitationibus, ad armorum societatem hactenus induci possent, tamen exacerbatis utrinq; animis, ea tempora consecuta sunt, qvæ *nullam* inter eos & Brandenburgicum *instaurandæ* concordiæ spem reliqvam faciebant. Qvibus rebus impedita est superior expeditio in Alsatiam, bellumq; sociale successu caruit: inter hæc Turenius, distractis hostibus, magnaq; annonæ difficultate affectis, vires & annonam ex Lotharingia & Burgundia refecit, illisq; in vastata & exhausta regione sine belli horreo consistere non ausis, spem Hybernorum eripuit, consiliaq; proficiscendi in hosticum antevertit: sive autem nimia successuum fiducia, sive non constituta commeatus ratio,

sive

sive in sumittendis auxiliis solvendisq; stipendiis cunctatio & tarditas, sive repentina rerum Brandenburgicarum comutatio sociis impedimentum attulit, Turenius annonâ & subsidiis instructus, contra omnes fortunæ casus sese muniebat, specieq; retrocedentis interdum metum periculumq; simulabat, ut his artibus in comodiorem statum perveniret, nocendiq; opportunitatem nanciscer etur. Qvo fiebat, ut Fœderati longinqvitate locorum alimentorumvé inopiâ impediti, Alsatiam præsidiis commeatuq; nudatam Turenio recuperandam relinqverent: nisi qvòd Dagobertsteinium, qvod viam aditumqve ad Alsatiam patefacit, cum præsidio tenebat Haugwizius, qvi dum sedulò & cum fide obit excubias, perfidiâ centurionis Itali cadit, nec multò post deditio fit, castroqve potitur Vaubrunius: mox Landaviam firmat, nulloq; prohibente cis Rhenum progreditur, & tributa imperat, oppidaqve spe auxilii destituta in potestatem redigit; maximeqve Regiones Palatinas more suo vexat. Eodem tempore Philipsburgense præsidium per agros & vicos Pa-

latinos excursiones faciebat, qvo nomine perlatæ sunt qverelæ, qvasi consultando differrentur consilia, occasionesq; negligerentur: cupiebat enim Palatinus, ut *Fridericus* Durlacensis, qvi summam *imperialis* militiæ præfecturam gerebat, infestas sibi maximeq; perniciosas eruptiones inhiberet, qvod cum pro eo, ac postulabat necessitas, in tempore non fieret, nec per vicinam hostis potentiam facilè intercludi aditus posset, frumenta pabulaq; ejus Regionis partim abstulit, partim corrupit licentia militaris. Mox Turenius firmatis Haganoa & Tabernis Alsaticis, *occupatisque* Vogesi itineribus, & pulso ex Lotharingiæ finibus Duce Seniore Carolo, auctusq; supplementis, qvæ ex Lotharingia & Burgundia advenerant, reconciliatisqve Argentoratensium animis, opportunum transitum nactus, festinatis itineribus trans Rhenum movit, & Willstattium Hanovicæ ditionis oppidum, qvod altero lapide Argentorato distat, occupavit. Inde progressum fortuna potiùs, qvàm consilium deseruit, qvum castra loco & ad defensionem, & ad receptum idoneo posuit, & pa-

lude

lude fossaq; diligenter communivit, ut non modò trans Kinzigium Rhenumq; regrediendi liberam facultatem haberet, sed etiam difficilis esset ad eum aditus, minimeq; à tergo invadi posset. Eo rerum statu Cæsarei exercitus Imperator Montecuculi astu & morâ utendum ratus, maximeqve de commeatus pabuliq; copia solicitus, lentè se ad oppugnandum hostem comparavit: siqvidem æstimabat refectas militiæ Turenianæ vires, & subsidiarium Britannici agminis robur, impeditum insuper ob paludes aggeresqve castrenses accessum, præcepta item ab eo itinera, & paratos receptus: his rebus fiebat, ut impressionis faciendæ consilium cautè differret, usq; dum melior occasio se daret, qvam magno qvidem ardore expectabat Dux Lotharingiæ Carolus junior: interim Turenianus miles dum intra paludes & aqvas consisteret, multis afficiebatur incommodis, præterq; crebras pluvias, qvæ illi præcipuè graves erant, continenter fere exhauriebatur molestiis pabulandi, & laboribus observandi hostis, qvi proximas vias obsederat, aditumq; Rencherlochianum præcluserat, ne

Philipsburgum versus tenderet sineq; prælio elaberetur: nam ad id fallendam Montecuculi spem præsetulit, inprimisq; id spectavit, ut appropinqvantibus Cæsaris copiis flumina montesq; objiceret, reditumqve sibi tutum præstaret. In hac cura defixus, relicto Bischoffshemio, Renchenam adit, qvùm Vaubrunius Rotenspachium progressus ex improviso invaditur, sed Turenii adventu ex instanti periculo eripitur, Carolusqve Lotharingus ad suos regreditur, majori impetu reversurus: tùm alii id exemplum secuti, parem audacis consilii exitum habuerunt, propterea qvòd vim hostium sustinere non poterant, seqve in tuta referebant: inter hæc allatus cladis Suedicæ nuncius lætum Cæsareis omen dedit, animosqve ipsorum in spem similis victoriæ erexit, qvando Montecuculi matura tutaqve consilia inibat, & præter constitutas Argentorati rationes frumentarias, ex Suevia Brisgoviaq; annonam curabat, omnesq; circumspecti bellatoris partes administrabat, nec festinatione inutili atqve contra veteranum Ducem minùs cauta utebatur, ne periculum sibi accerse-

re

ret,corrumperetq; fortunam. Pro vero affirmant, Turenium, cum hosti ad se tendenti occurreret, dixisse, sibi cum eo hoste rem esse, qvi cavendo & tergiversando conatus suos eludere studeat, qvod maximè tunc perspexerit, cum Offenburgum Lohramqve is proficisceretur. Tum verò minimè alia de Turenio in castris Cæsaris opinio fuit,qvòd omni fortunâ ita se gerebat;ut neq;ullum rei militaris commodum negligeret,neq; ullum periculum contemneret,qvùm jam usu qvoqve didicisset, eum non posse invadi imparatum. Sed ad ultimum eum destituit felicitas, dum speculandi causa adeqvitat, & situm loci actionesvé hostium contemplatur, globo *tormentario* prostratus, victoriam Cæsari relinqvit,qvo cognito, hostes animis ceciderunt,&clade accepta perturbati trans Kinzium Rhenumq;recesserunt: in qvo prælio multam sibi laudem peperit Dux Lotharingiæ Carolus junior, qvi summo est ardore in hostes concitatus: Hermannum Badensem atq;Archium curâ instrumenti bellici illustravit, propterea qvòd tantam rei tormentariæ diligentiam

adhibuerunt, ut eâ maximum hosti detrimentum inferretur, Tureniusqve ipse Dux nostrâ memoriâ fortissimus opprimeretur: Dux Burnonvillæ, princeps Pio, Verthmullerus, Caprara, hortatu *manuq;* cohortibus suis præiverunt. Verùm ductores Ordinum Gallicorum utcunq; vivo Turenio animosè & fortiter resistebant, tamen inopinato ejus casu perculsi non sine insigni clade locum pugnæ deseruerunt, & suppressis, qvæ tunc gliscebant, præfectorum æmulationibus, necessario receptu sibi consuluerunt. Qvanqvam ea victoria Germanis plus famæ, qvàm *utilitatis* attulit, qvòd perseqvendi hostis opportunitas amitteretur, qvia certa animi inductione sic statuerat Montecuculi, ut fesso belli laboribus militi indulgeret paululum reqviemq; daret, qvùm tutissima qv[...] qve in bello metuenda sint, fugientesqv[...] interdum major metus incessat, si fuge[...] ipsis permittatur: & sæpe nimia adversum cedentes audacia victorem in novas difficultates conjecit, hostemq; desperation[...] armavit: nec tamen iste Gallorum, re[...] ceptus sine jactura & damno fuit, qvum[...] lent[...]

lentas interim securasq; progrediendi rationes constituebat victor, trajectoqve Rheno in spem potiundæ Haganoæ veniebat, sed inclinans in autumnum tempestas, Ducisq; Condæi præcipuè adventus de sententia deducebant: simul ac enim is belli in Alsatia administrandi curam suscepit, Montecuculi insidias & periculum veritus, res viresq; hostium diligenter circumspexit, æstimatisq; importandæ ex longinqvo annonæ molestiis, Haganoæ obsidionem solvit, exercitumq; ex Alsatia in Hyberna reduxit, Condæo eum distinuisse contento, ut Haganoæ oppugnatione desisteret, qvum tales difficultates ei objicerentur, ut rei illic bene gerendæ facultatem expectare non posset. Etenim hostis, cui Turenii casus ante oculos versabatur, potiorem salutis, qvàm victoriæ rationem iniit, defensionisqve satagens, anceps prælium declinavit, fortunamqve transito ab Turenio Rheno flumine, nimis fatigatam emendavit, atq; cis Rhenum opportuniorem castris locum, commodioraq; itinera, tutiores aditus & receptus, promptioraq; rei castrensis subsidia atqve

commeatum habuit, copiasq; extra periculi metum conservavit. Alioqvi Turenius fide & studio in Regem, fortitudineqve in bellis nemini facile concessit, nec lucri, sed gloriæ causa militavit, & expeditionum fama, longoqve armorum usu etiam apud hostes laudem est consecutus: observandis occasionibus, explorandisqve hostium rebus semper intentus, nullis sumptibus pepercit, militesqve suos spe præmiorum & comitate demeruit, pauloqve ante, qvàm tormenti ictu feriretur, Anglicos manipulos donis largè datis ad pugnam incitavit, qvorum in excipiendo impetu egregia virtus spectata erat, maximeqve in eo receptu apparebat, qvùm Gallorum fuga pavorqve tantus esset, ut omnem spem in Rheni transitu collocarent, qvem si Germani intercepissent, pontemqve qvo is trajiciebatur, destruxissent, nulla evadendi occasio Gallis fuisset. Sed ii cum decem diebus stetissent in armis, triduoq; defatigati pugnassent, difficultatesq; aliæ ex aliis, qvas explicare prorsus tam celeriter non poterant, subinde nascerentur, non susceptum est tale consilium, qvod dubium

fer-

fortunæ exitum haberet, suspicioneq; periculi non vacaret. De Turenio multorum erat judicium, eum, si rebus humanis diutius superesse potuisset, inventurum fuisse viam, qvâ res in discrimen adductas firmaret iterum emendaretq; fortunam, qvam præcipiti trans Rhenum expeditione videri potuit, corrupisse. Cognita ejus cæde, Leopoldus Cæsar fidei servatæ laude eum cohonestavit, qvòd Regis salutem atqve gloriam vita qvoqve chariorem duxisset, moremq; & exemplum seqvendi omnibus belli Ducibus Tribunisqve tradidisset; qvippe qvi abditis sensibus prompta consilia conjunxit, amplissimosq; militiæ honores sine ætatis morbiqve impedimento gessit usq; ad mortem. Nec meliori statu res Gallica apud Mosellam fuerunt, qvùm Creqvius Augustam Trevirorum à periculo expugnationis exempturus, in Fœderatos, qvi urbem circumsidebant, incidit, qvi cum in obsidione magnâ impensâ damnové suscepta perseverandum censerent, rei fortiter gerendæ occasione utebantur, summisq; viribus prælium inibant: tribus fere horis magna animorum con-

tentione, fortunaq; ambiguâ concursum est, post inclinatâ Creqvii acie, flos militum Gallicorum cæsus, plurimi capti, impedimenta instrumentumq; bellicum occupata, repulsus cum clade Creqvius evasit, Trevirimq; se recepit. In ea pugna Dux Cellensis, & Lotharingus Senior fortissimorum Ducum officio functi, miro qvodam vigore & alacritate hostem profligarunt, nec ullo periculi metu avocari se passi sunt Ernestus Augustus Osnabrugæ Antistes, Filiusq; ejus natu major, & Johannes Adolphus Holsatiæ Dux prompti ad munia militaria Principes: simul *& fortem* operam navârunt Marchio Grana, Chauvetius & Grandvillerius, qvi pleni animis sese in hostes intulerunt, impetuqve facto inobstinatè resistentes, latè stragem ediderunt, prætereq; apparatum castrensem, octoginta vexilla signaq; militaria eripuerunt. Hoc labore apud pontem Gonziensem, fatalem pugnę locum, perfuncti, urbis oppugnationem aggressi sunt, obsessosqve, ad qvos profugerat Creqvius, tormentorum ictibus tamdiu fatigarunt, donec deditionis consilia amplecterentur,

qvòd

qvòd jam eo fortunæ pervenissent, ut hostis per editas operum murorumq; ruinas sese in urbem inferre posset. Qva in obsidione magna prudentia atqve fortitudo Cellensis & Lotharingi enituit, primusq; effusam hostium multitudinem repulit Fridericus Augustus Dux Wirtembergicus prælioq; post commisso interfuit, atq; nomen illustravit: obsessoribus subsidio venit Vaudemontius, Princeps belli usu egregius, Luvignioq; societate ejus oppugnationis conjunctus: Lotharingus, qvi calamitate Creqvii & solari suum exilium, & lenire ducatus recuperandi desiderium poterat, omnem præcipuè diligentiam adhibuit, ut summa bellantium mala dissensio æmulatioq; tollerentur, conspiratioq; & concordia ad extorqvendam hosti deditionem inter socios Principes servarentur: Cellensi decus rependit Cæsar, perqve epistolam pro navato officio bellico gratias egit, amoremq; & studium in Rempublicam collaudavit. Nam ejus victoriæ, & receptæ pòst urbis permagnus, & gloriæ utilitatisq; plenus fuit fructus, siqvidem ita sita est, ut finitimos Mosellæ Rheniq; aditus ape-

aperiat, ex eaq; circumjacentes Regiones infestari possint, qvæ invadendi opportunitas hostes magis armavit in patriam, fuitqve cum periculo maximo conjuncta, usqve dum excusso jugo, vindicaretur in priorem libertatem. Cæterum non perinde erat fortunatæ expeditionis Belgicæ rationes, consiliaqve tentandi Condæi Ducis ex animi sententia non succedebant, suspensis expectatione sociis, qvi cupiebant, ut pari fœderatorum conatu hostis distraheretur, cum essent qvi mirarentur, qvamobrem: sinerent sibi eripi oblatas rei bene gerendæ occasiones. Qvibus rebus *Hispanorum* fortuna conversa est, captoq; Limburgo, qvod continuam tormentorũ vim sustinere non potuit, Ducatus, qvi ab eo nomen tulit, traditus est in regis Galliæ potestatem: neq; Catalaunia contra incursiones Schombergii firma erat, ratio autem Messanæ recuperandæ difficilior apparebat: ea de causa cũ Batavis de navibus subsidio mittendis tractatũ, negotiumq; certis conditionibus confectum, uti navalis militię pręfectus Ruyterus ad eam expeditionem se accingeret, Gallosq; ex ea urbe

oram

oram maritimam infestantes summoveret: qvod ubi secus evenit, Gallis in alieno solo opportunitatem nactis, & navium militumq; numero auctis, magno qvidem pretio totus ille apparatus constitit, sed ejus rei conficiendæ spes amissa est: qvo tempore Hispani omnibus modis studebant, ut Rex Angliæ, qvi conatus belli socialis clam impediret, prorsus atq; omnino utilitatibus Gallorũ obstaret, salutisq; suæ, ut superiori anno cum Batavis convenerat, cogitationem susciperet, caveretqve, ne suæ ditionis incolæ vi armisq; Gallicis opprimerentur. Contra nitebantur Galli, nervosqve omnes intendebant, ut belli perseqvendi socios in vicinis regionibus conducerent: cumqve in Italia Sabaudum fœdere, Principemq; Monacensem patrocinii fide sibi conjunctum confirmatumqve haberent, per Gravelium & Verjum multa comitate & promissis tentabant quosdam Germaniæ Principes, qvorum mutare animos, prima cura & præcipua belli merces ipsis futura erat: qvæ expectatio postqvàm inanis fuit, cum spe fortuna ipsorum valde imminuta est,

po-

potentiaq; invidiæ obnoxia plurimis cœpit fieri suspectior, præsertim qvùm videbant, regi nil placere modicum, qvòd belli æqvo jure per arbitros finiendi curam abjiceret, compositionemq; dudum *abnueret*, qvippe qvæ perfici non posset, nisi Lotharingum in paciscentium loco haberet, qvandoqvidem socii Principes eam inter se fidem dedissent, ut sine eo nulla pacis pactio iniretur: Bavaro, Neoburgico, neutri parti addictis grata qvies erat, nec Hannoveranus contra pacem publicam, contra sanctiones imperii & sententias in Comitiis latas, contra decreta ab *Circulo* inferioris Saxoniæ facta, contra Fratrum gentiliumqve & cognati regis foedera & communem causam, contraqve domus suæ commoda qvidqvam audebat, firmusqve in proposito mediarum partium permanebat, qvùm Reipublicæ conservandæ honor ita apud eum valebat, ut publicam causam foedere externo potiorem duceret, ancipitiqve amicitiæ præferret. Apud Lusitanos servandæ pacis tenaces, consilia suscitandi belli non modo ingrata populo, sed etiam invisa Petro Principi

erant:

trant: qvare ibi hæc via inita est, ut Cadavalius à Principe, sanguinis dignitate proximus, connubii necessitudine cum Gallis conjungeretur. In Hungaria dissidiorum semina ab eo anno, qvo Rex Christianissimus Cæsari adversum Turcas auxilia misit, eo instigante adhuc studiosè alebantur, donec postea erumperent subitoq; ad perniciem & impedimentum *imperiali* defensionis bello inferendum converterentur: de cętero dura ibi erat conditio Protestantium, Legatiq; & Internuncii Regum atq; Principum pro libero Sacrorum usu Semponii permittendo Cæsarem, qvi eam ad rem Eisenstadium, Semproniensis Comitatus oppidum destinabat, enixè & reverenter orabant, qvi voti qvidem pòst sunt facti compotes, sed moti loco atq; in vincula conjecti Sacerdotes, vix ægreq; fortunam multò afflictissimam deprecari potuerunt, pro qvibus postero anno multum graviterqve Saxo intercessit, & plerosqve eorum Neapolin avectos, ut servile opus facerent remosq; agerent, Ruyterus prætor navalis Batavus obtestatione suâ liberavit. Nec nihil iis artibus in Polonia effectum

ctum est, qvando excitatis ad infringenda pacta Barbaris, rursusq; dum Regi utile erat, in perniciosam Reipublicæ pacem inclinatis, temporum illorum & fortunæ difficultate usus est ad paranda sibi studia, machinandumq; vicinis bellum: non ignorabant Austrii peti se insidiis, ut qvos cuperet iste Rex includi finibus, retineriq; proximis & domesticis turbis, qvibus à defensione Belgii & communis patriæ averterentur: qvod ne fieret, ad auctoritatem Cæsaris Germaniæq; precariam libertatem recusantis securitatem pertinebat. Simul vero tunc Polonis permolestum accidit, qvòd Brandenburgicus ab Suecis læsum se renuncians, auxilia Reipublicæ ex pacto missa domum reducenda flagitaret, eo præsertim tempore, qvo vehementiùs insurgerent Barbari, maximeqve subsidiis indigerent: sed qvoniam sciebant, qvo auctore hæc repentina temporum consiliorumq; mutatio fieret, dolori suo acqvieverunt.

Rex Daniæ spem commodaq; Germaniæ secutus, ex progressu rerum Brandenburgicarum maturandi incepti occasionem cepit, & Cæsari ejusqve sociis fide a

so

fœdere nuper conjunctus, copias apparatusq; bellicos collegit, frustratisq; spe Suedis, qvam in pace, & qvæsito Ulricæ sororis ejus connubio ponebant, Rendsburgū pervenit: ibi principiò cogitavit, qvemadmodum militiæ suæ rationes, qvas ad Imperii & Brandenburgici defensionē comparabat, prorsus in tuto collocaret: qvod dum ipsi constitutum est, à Duce Gottorpino Christiano Alberto postulat, ut belli gerendi causa sibi permittat dependi portionem tributorum, qvæ per agrum regionemq; ejus colligantur: dehinc securitatis suæ causa flagitat, ut sibi extra fines exercitum ducturo arcem Gottorpii, Tonningam, castellumq; Holmense in potestatem tradat consiliumqve de permutanda Tunderensi præfectura in præsens missum faciat, qvòd ea jam sint tempora, qvæ impediant, qvo minùs tale negotium conficiatur: ad qvæ Dux nil mali metuens respondit, se pro voluntate & studio in Regem uraturum, ut collationes majores æqvis portionibus divisæ, ad utriusqve Principis commodum defensionemvé adhibeantur: alioqvi morem veterem servari oportere

tere,qvo Rex atqve Dux,suo qvisqve jure, Principatum illum remq;publicam pacatè & communis utilitatis causa administrassent:mox indicat,quamobrem Rex in eam sententiam jure induci nō possit, *ut oppida munitaq;suę ditionis loca dedi sibi velit*, nihil esse, qvod ab arce Gottorpiensi Regi impendeat, qvæ situ & operibus tam exqvisitè non sit munita, ut metum periculumvé ei inferre possit: de Tonninga nil recusaturum, si una cum Rege ibi præsidiū habeat, qvod utriq; Sacramento adigatur, dummodo Rex de restitutione caveat: in reliqvis, salvo jure suo, *fortunæ cedere* oportere: alioqvi nil admisisse, qvo Rex merito suo offendi qveat. Sed mox, rejectis his excusationibus, Suedicum fœdus ei exprobratum est, qvasi artibus & consiliis turbidis nixus, viam juvandi hostis i[illegible]et: Dux in eo discrimine constitutus omniq; auxilio privatus Regis ausibus obniti non potuit, nisi quòd eum modestè comiterq; appellabat, ut ad restitutionem faciendam se obliget, scriptoq; caveat, sese omnia, ut accepisset, plenè integreq; esse redditurum. Tum subjecit Petrus Gri-

fe

fenfeldius, cujus amicitiæ fiduciâ Kielmanseckium ad suadendum ineundumqve Rendsburgense iter induxerat, Regi morem esse gerendum, qvi pro temporum statu conditiones mitigare non possit, restitutionem verò minimè denegare velit: sed qvoniam ab Rege non impetrabat, ut hoc restitutionis caput conceptis verbis in tabulas referretur, aliqvanto post dimissus Gottorpium, ubi Rex præsidium reliqverat, cumulatisq; deinceps offensis & accusationum causis, diligentiùs asservari cœpit: dum hæc fiunt, accersitur Præses Kielmanseckius, & qvid Rex statutum habeat, per Ahlefeldium indicatur: is verò abitu prohibitus, per delegatos Duci renunciat, qvàm graviter in eum consulatur, qvod Rex censeat, uti supremo Ducis Slesvicensis jure mulctetur: Dux nuncio consternatus Regis fidem mansuetudinemq; implorat, & pacta servari petit: at Rex in sententia persistens denunciabat, si voluntati suæ refragari pertenderet, suo discrimine facturum: videret ergo, ut hæ difficultates sine mora contradictioneq; componerentur; tum Dux preter afflictas res, molestam custo-

custodiam, imminensqve periculum æstimans, cum fratre Augusto Friderico ægre admodumqve invitus in præscriptas conditiones consensit. Eam calamitatem sustinenti venit in mentem subvereri, ne tædium captivitatis in majus malum sibi verteret, pauloqve post dispositos ad fugam eqvos ascendit, commodumqve elapsus libertatem recuperavit. In tuto collocatus causam defendit, cessionemqve supremi juris in Ducatum Slesvicensem invito sibi expressam, nec unqvam ab se ratam esse habitam docet: nam qvod vi metuqve coactus fecerit, jure rescindi irritumqve fieri oportere: ad hæc negotium illud superioribus pactis Rotschildensi & Hafniensi prorsus atq; omnino esse transactū, sponsorumqve fide & auctoritate publica munitum, qvod non modo non tollere, sed ne labefactare qvidem Rex possit, cui nil in se liceat, nisi qvod pacti apud Hafniam conventi rationes patiantur.

IN

INDEX RERUM ET NOMINUM insigniorum Continuatione Schurtzfleischiana comprehensorum.

K Au-

 Cha-

Georg.

Joh.

Me-

Of-

Ru-

Sprag

Vil-

